COLLECTIO

SELECTA

SS. ECCLESIÆ PATRUM.

XCII.

PATRES QUINTI ECCLESIAE SAECULI.

S. JOANNES CHRYSOSTOMUS.

XXIII.

PROSTAT INSUPER VENALE

MONTIS PESSULANI,

Apud **VIRENQUE**, bibliopolam;

PARISIIS,

Apud **BIBLIOPOLAM**, cui nomen gallice;

SOCIÉTÉ POUR LA PUBLICATION DES BONS LIVRES

Rue des Saints-Pères, 16.

PARISIIS — E TYPOGRAPHEO BOURGOGNE ET MARTINET

VIA VULGO DICTA JACOB, N° 30.

COLLECTIO

SELECTA

SS. ECCLESIÆ PATRUM,

COMPLECTENS

EXQUISITISSIMA OPERA

TUM DOGMATICA ET MORALIA, TUM APOLOGETICA ET ORATORIA;

ACCURANTIBUS

D. A. B. CAILLAU,

CANONICO HONORARIO CENOMANENSI ET CADURCENSI,

NONNULLISQUE CLERI GALLICANI PRESBYTERIS,

UNA CUM

D. M. N. S. GUILLON,

EPISCOPO MAROCHIENSI, IN FACULTATE THEOLOGIÆ PARISIENSI ELOQUENTIÆ SACRÆ PROFESSORE, AUCTORE LIBRI CUI TITULUS GALLICE:

BIBLIOTHÈQUE CHOISIE DES PÈRES GRECS ET LATINS

OPUS REGI DICATUM.

TOMUS NONAGESIMUS SECUNDUS.

PARISIIS,

APUD PARENT-DESBARRES, EDITOREM,

VIA VULGO DICTA DE SEINE, 48.

M. DCCC. XXXVIII.

S. P. N. JOANNIS CHRYSOSTOMI

ARCHIEPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI

OPERUM

PARS II.

MISCELLANEA

DE ELEEMOSYNA.
DE NON EVULGANDIS FRATRUM PECCATIS.
DE NON ANATHEMATIZANDIS VIVIS ET DEFUNCTIS.
NON ESSE DESPERANDUM.
OB CLADEM EUTROPII HOMILIÆ II.
CUM SATURNINUS ET AURELIANUS IN EXILIUM MISSI SUNT.
DE RECIPIENDO SEVERIANO.
EJUSDEM SERMO DE PACE.
ANTEQUAM IRET IN EXILIUM HOMILIÆ II.
POST REDITUM AB EXILIO HOMILIÆ II.
QUOD SIT PSALLENDUM.
LITURGIA.

PARS III.

PANEGYRICI, ELOGIA ET EPISTOLÆ.

HOMILIÆ DE SANCTIS.
ELOGIUM DIODORI TARSENSIS.
DE LAUDIBUS THEODOSII MAGNI.

S. JOANNIS CHRYSOSTOMI
CONSTANTINOPOLITANI
ARCHIEPISCOPI.

SERMO

De Eleemosyna habitus cum hiemis tempore pertransiisset, et pauperes mendicosque neglectos vidisset in foro jacentes.

I. Legationem quamdam justam[1], utilem, vobisque congruentem apud vos obiturus accessi hodie; non ab alio quopiam orator constitutus, quam a pauperibus, qui vestram hanc civitatem incolunt; non verbis, non calculis, non senatusconsulto missus, sed miserabilibus acerbissimisque spectaculis. Nam cum ad vestrum cœtum properans, per forum et angiportus transirem, viderenque multos mediis in biviis jacentes, alios exsectis manibus, alios effossis oculis, alios ulceribus vulneribusque insanabilibus plenos, illasque potissimum partes exhibentes, quas propter saniem contegere opus erat; extremæ inhumanitatis esse duxi, si apud charitatem vestram de his non verba facerem, cum maxime præter ea, quæ dicta sunt, me tempus etiam ad eam rem compelleret. Nam semper quidem convenit de eleemosyna sermonem habere, quandoquidem et nos multa Domini qui nos condidit misericordia egemus; sed hac tempestate maxime tanto ur-

[1] Vide D. Guillon, tom. xix, p. 8-25.

gente frigore. Æstate namque temporis commoditas magnum affert pauperibus solatium: nam vel nudi sine periculo ambulare possunt, cum solares radii vestimenti loco sint, cum tuto possint in nudo pavimento cubare, et sub dio noctes transigere: neque adeo calceamentis indigent, non vini potu, non lautiore cibo; nam satis sunt ipsis fontes aquarum: his viliora olera, illis pauca aridaque legumina sufficiant, anni tempestate apparatu facilem ipsis instruente mensam. Aliudque nec minus commodum tunc ipsis adest, operandi nempe facultas: nam qui domos extruunt, qui terram fodiunt, qui in mari navigant, horum maxime ministerio opus habent. Quod enim divitibus sunt agri, domus cæterique proventus, id ipsum est illis corpus, et qui manibus parari potest reditus: aliunde nihil adest. Quapropter æstate quidem quidpiam offertur solatii, hiberno autem tempore magnum illis undique bellum, duplex obsidio, fame intus viscera rodente, frigore que extrinsecus carnem congelante, et quasi mortuam reddente. Idcirco largiore cibo, densiore vestitu opus habent, insuperque tecto, strato, calceamentis multisque aliis. Quodque illis acerbius est, ne operandi quidem facultatem habent: neque enim id anni tempestas patitur. Quandoquidem igitur pluribus indigent iisque necessariis rebus, neque operandi facultas adest, nemine miseros conducente, nemine ad opus vocante; age, conducentium vice, misericordium hominum manus porrigamus: atque ad hanc legationem Paulum egenorum vere patronum et curatorem in collegam assumamus. Etenim magnam ille hujusce rei, et quantam nemo alius, sollicitudinem habet. Unde divisis cum Petro discipulis, pauperum curam non divisit: sed cum dixisset, « Dextras dederunt mihi et Bar» nabæ societatis, ut nos in Gentes, ipsi in circumcisio» nem; » adjecit, « tantum ut pauperum memores essemus :

»quod etiam sollicitus fui hoc ipsum facere[1]. » Etenim ubique per epistolas suas his de rebus sermonem inducit, neque ullam ejus reperias epistolam hujusmodi admonitione vacuam. Sciebat enim, sciebat utique quanti momenti res sit: quamobrem ac si ædificio mirabile fastigium imponat, reliquis monitis et consiliis, doctrinam hac de re adjicit. Quod etiam hoc loco fecit, cum de resurrectione locutus, postquam cætera omnia disposuerat, in hunc de eleemosyna sermonem desinit his verbis « De collectis autem, quæ fiunt in sanctos, sicut ordinavi »Ecclesiis Galatiæ, sic et vos facite. In una sabbatorum »unusquisque vestrum[2]. » Animadverte prudentiam apostolicam, quam opportune hanc tractet admonitionem: postquam enim futurum judicium et tribunal illud tremendum commemoraverat; necnon gloriam illam, qua amiciendi sunt ii, qui probe vixerint, atque vitam immortalem, tunc demum his de rebus sermonem infert, ut bona spe fultus atque expeditior factus auditor, majore ipsum alacritate susciperet, tum instante judicii timore motus, tum repositorum expectatione bonorum gestiens. Etenim qui de resurrectione philosophari potest, et ad futuram illam vitam se totum transfert, præsentia nihili faciet, divitias, facultates, aurum, argentum, sumptuosas vestes, delicias, lautam mensam aut quidvis aliud simile : qui autem hæc nihil esse reputat, pauperum patrocinium facilius suscipiet. Ideoque Paulus, postquam eorum mentem per philosophiam illam de resurrectione pulchre præparaverat, tunc adhortationem illam intulit. Non dixit, De collecta vero in mendicos, vel in pauperes; sed, in sanctos : auditores instituens ut egenos admirationi haberent, si quidem illi pii essent; divitesque respuerent, si virtutem illi despicerent. Solet enim etiam Imperatorem

[1] Galat. II, 34. — [2] I Cor. XVI, 1.

profanum et iniquum vocare, quando inimicus est Dei; et pauperes sanctos, cum probi modestique sunt. Neronem quippe mysterium iniquitatis vocat, dicens: « Mysterium enim nunc operatur iniquitatis[1]; » hos autem qui alimentis egebant, et emendicato pane alebantur, sanctos appellat. Interim vero subobscure docet illos, ne efferantur animo, neve de hujusmodi mandato extollantur, ac si vilioribus et despectioribus largiantur, sed certo sciant sibique persuadeant, id sibi maximo esse honori, quod eorum ærumnas participent.

II. Jam vero operæ pretium erit disquirere, quinam sint illi sancti, non enim hic tantum illorum meminit, sed etiam alibi cum dicit: « Nunc autem proficiscor in Jerusalem ministrare sanctis[2]. » Et Lucas in Actis, cum magna fames immineret, hos ipsos sanctos ita commemorat: « Discipuli autem, prout quis habebat, proposuerunt singuli mittere ad pauperes sanctorum, qui sunt in Jerusalem[3]. » Et iterum, quod ante dicebam, ait, « Tantum ut pauperum memores essemus, quod etiam sollicitus fui hoc ipsum facere[4]. » Postquam vero sic inter nos divisimus, ut mihi Gentes, Petro Judæi contingerent, communi sententia constituimus, inquit, ut divisio hæc ad pauperes non pertingeret. Nam cum prædicabant, ille Judæis, hic gentibus prædicabat: cum vero pauperibus patrocinabantur, non ita res constituta erat, ut ille pauperibus Judæorum, hic vero pauperibus gentium tantam curam impenderet: sed uterque erga pauperes Judæorum magnam gerebat curam. Quamobrem dicebat: « Tantum ut pauperum memores essemus, quod etiam sollicitus fui hoc ipsum facere. » Quinam ergo sunt illi, de quibus hic loquitur, necnon in epistola ad Romanos, et in epis-

[1] 2 Thess. II, 7. — [2] Rom. XV, 25. — [3] Act. XI, 29. — [4] Galat. II, 9.

tola ad Galatas, pro quibus etiam Macedonas hortatur? Judæorum pauperes, qui Jerosolymis degebant. Et cur tantam eorum curam habet? Annon in singulis civitatibus pauperes et mendici erant? Cur ad illos mittit, et pro eis omnes rogat? Non sine causa sane, nec temere, neque ex personarum acceptione; sed utiliter et commode. Rem autem paulo altius repetere necesse est. Quoniam Judæorum res conciderant, et cum Jesum crucifigerent, vocem illam, « Non habemus regem nisi Cæsarem[1], » contra se ratam fecerant, ac demum Romanorum imperio subditi erant, neque sui juris, ut antea, erant; neque prorsus servi, ut jam sunt, sed in commilitonum ordine constituti, tributa Imperatoribus pendebant, et Prætores ab eis accipiebant. Plerumque etiam suis utebantur legibus, et eos qui apud se delinquerent, secundum paterna placita plectebant. Quod autem tributa Romanis penderent palam hinc est, quod Jesum tentantes interrogarent, « Magister, » licet-ne dare censum Cæsari, annon[2]? » at ipse jussis ostendere numisma dixit: « Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæ» sari, et quæ sunt Dei, Deo. » Lucas vero dicit, et milites et tribunos habuisse templum: quæ argumenta non levia sunt fuisse Judæos Romanis subditos: quod autem propriis uterentur legibus hinc palam est, quod Stephanum lapidarint, nec ad tribunal ductum, Jacobum fratrem Domini interfecerint, Christum ipsum crucifixerint; etiamsi judex concederet, ut omni crimine liber abiret. Quapropter manus lavit dicens: « Innocens sum a sanguine[3]. » Et quia admodum hoc instantes videbat, ipse quidem calculum non tulit, sed abcessit: illi vero propria tyrannide usi, totum postea perfecerunt. Paulum etiam sæpe aggrediebantur. Quia igitur suo tribunali utebantur, hinc contigit ut contribules, qui credebant, cæteris asperiora pa-

[1] Joan. xix, 15. — [2] Matth. xxii, 17. — [3] Id. xxvii, 24.

terentur. In aliis certe civitatibus, et tribunalia et leges et magistratus erant; sed non licebat gentilibus eos ex suis, qui deficerent, propria sententia vel interficere vel lapidibus obruere, aut aliquid ipsis mali inferre: aut si quis deprehendebatur tale quiddam præter judicum sententiam patrasse, is puniebatur. Judæis autem magna circa rem hanc potestas concedebatur: quapropter graviora, quam cæteri omnes patiebantur ii ex illis, qui credebant, ac si inter medios lupos intercepti essent, adstante, qui eriperet, nemine. Ita nempe Paulum sæpe flagellabant: audi quomodo id ipse declaret: « Quinquies quadragenas » a judæis semel accepi: ter virgis cæsus sum, semel lapi» datus sum[1]. » Quod autem hæc non conjectura dicta sint, ipse Paulus ad Hebræos scribens declarat: « Reme» moramini autem pristinos dies, in quibus illuminati, » magnum certamen sustinuistis passionum: et in altero » quidem opprobriis et tribulationibus spectaculum facti, » in altero autem socii taliter patientium effecti. Etenim ra» pinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis, cog» noscentes vos habere meliorem substantiam in cœlis, et » manentem[2]. » Et cum Thessalonicenses adhortaretur, illos in medium adduxit: « Vos enim imitatores facti estis, » fratres, Ecclesiarum Dei, quæ sunt in Judæa: quia ea» dem passi estis vos a contribulibus vestris, sicut et ipsi » a Judæis[3]. » Quia igitur graviora quam omnes alii patiebantur, et non modo sine misericordia cum illis agebatur, sed etiam omnia iis rapiebantur et auferebantur, et undique ipsi pellebantur; jure omnes ad eorum suscipiendum patrocinium excitat. Iterumque Corinthios illorum gratia hortatur his verbis: « De collecta autem in sanctos, sicut » ordinavi Ecclesiis Galatiæ, sic et vos facite[4]. »

[1] 2 Cor. II, 24. — [2] Hebr. X, 32. — [3] 1 Thess. II, 14. — [4] 1 Cor. XVI, 2.

III. Itaque quinam illi sancti sint, et cur eorum majorem curam gerat, jam satis demonstratum est: reliquum est ut quæramus etiam, cur Galatarum meminerit. Cur autem non dixit: De collecta autem in sanctos hoc facite: una sabbatorum unusquisque vestrum apud se seponat thesaurizans; sed postquam dixisset, « de collecta autem » in sanctos, sicut ordinavi Ecclesiis Galatiæ, sic et vos fa» cite? » Cur hoc agit, nec unius duarumve aut trium civitatum meminit, sed gentis integræ? Ut majus studium susciperent, aliorumque laudes majoris sibi æmulationis occasio essent. Deinde modum, quo præcepit, declarat: « Per unam sabbati, inquit, unusquisque vestrum apud se » seponat, recondens quod sibi placuerit, ut non cum ve» nero, tunc collectæ fiant[1]. » Unam Sabbatorum, dominicam vocavit. Et cur talem diem oblationi deputat? cur non dixit, secunda Sabbatorum, aut tertia Sabbatorum, aut in ipsis Sabbatis? Non temere profecto, nec sine causa: sed quod vellet a temporis opportunitate juvari, ut majus offerentibus studium accederet. Neque enim parva res omnibus in negotiis temporis opportunitas. Et quid, dices, opportunitatis habet tempus, ut quis persuadeatur eleemosynam dare? Quod hac die ab omni opere cessetur, quod hilarior animus ex hac quiete reddatur, quodque omnium maximum est, quod illo die innumeris fruamur bonis. Hac quippe die soluta mors est, extincta maledictio, deletum peccatum, portæ inferi confractæ, vinctus diabolus, diuturnum bellum diremptum, reconciliati Deo homines, nostrumque genus ad pristinam, imo potius ad longe majorem nobilitatem rediit: viditque sol admirandum illud spectaculum, hominem factum immortalem. Hæc omnia et talia volens ipse nobis in memoriam revocare, diem illum in medium attulit, ceu in advocatum

[1] 1 Cor. XVI, 2.

illum assumens, ut singulis dicat: Cogita, homo, quot quantisque malis ereptus: qualis cum prius esses, qualis postea factus sis. Quod si dies natales nostros recolimus, multi autem servi etiam eos, quibus libertate donati sunt, magno cum honore celebrant; ita ut alii convivia faciant; alii autem liberiores dona largiantur; multo magis nos hunc diem venerari par est, quem non erraverit si quis totius humanæ naturæ diem natalem vocaverit. Perditi enim eramus, et inventi sumus: mortui, et reviximus; inimici, et reconciliati sumus. Quapropter cum honore spirituali colere par est, non conviviis, non vini potu, non ebrietate, non tripudiis, sed fratribus nostris pauperioribus ad rerum copiam adductis. Hæc dico non ut laudetis tantum; sed ut etiam imitemini. Ne putetis enim hæc ad Corinthios solum dicta fuisse, sed etiam ad nostrum singulos et ad universos, qui post futuri sunt. Idipsum vero faciamus quod Paulus præcepit, et die dominico unusquisque nostrum domi opes dominicas reponat: sitque hoc lex et consuetudo immutabilis, neque admonitione deinceps vel consilio opus erit nobis. Non enim tantum valet sermo et admonitio, quantum inveterata consuetudo. Si hoc statuamus, ut singulis dominicis aliquid in subsidium pauperum deponamus, ne quidem si sexcentæ urgeant necessitates, hanc legem transgrediemur. Postquam vero dixit, « Per unam Sabbati, » subdidit, « Unusquisque vestrum; » non divites tantum alloquor, inquit, sed etiam pauperes; non liberos tantum, sed etiam servos; non viros modo, sed et mulieres. Nullus sit ab hoc ministerio immunis, neque hoc lucro vacuus, sed unusquisque offerat: neque collationi huic obstet inopia. Quantumcumque enim pauper sis, non es pauperior vidua illa, quæ omnem substantiam suam exhausit[1]. Quantumcumque pauper sis, non es pauperior muliere Sidonia, quæ licet pugillum farinæ tan-

[1] Luc. XXI, 24.

tum haberet, ne sic quidem ab excipiendo propheta cohibita est; sed licet circumstantes liberos videret, urgentemque famem, neque aliud quidquam haberet depositum, magna cum alacritate prophetam excepit[1]. Qua vero de causa dixit, « apud se seponat thesaurizans? » Quia fortasse cum modicum esset, id ostendere verebatur et erubescebat. Quapropter dixit, Tu serva et custodi, et cum oblationum frequentia quod parvum erat, multum effectum fuerit, tunc in medium producito. Neque dixit, colligens, sed « thesaurizans; » ut discas expensam illam esse thesaurum, quia sumptus ille, thesaurus efficitur: thesausaurus, inquam, omni thesauro melior. Nam hic, qui sub sensum cadit, thesaurus insidiis impetitur et imminuitur, sæpeque eos, qui ipsum invenerant, perdidit: thesaurus vero cœlestis secus; imminui namque et insidiis impeti nequit, salus possidentibus et accipientibus. Non tempore consumitur, non perit invidia, sed talibus prorsus insidiis inaccessus, sexcenta colligentibus confert bona.

IV. Obtemperemus igitur, et sic nos ipsi faciamus: sintque sacræ pecuniæ in domibus nostris cum privatis opibus repositæ, ut per eas privatæ illæ conserventur. Quemadmodum enim in regiis ærariis, si subditi cujusdam pecuniæ intersint, privatæ regiarum causa in tuto collocantur; sic et si domi repositas habeas pauperum pecunias, quas die dominico colligas, illæ tuis securitatem parient. Ita dispensator eris pecuniarum tuarum a Paulo constitutus. Quid dico? eæ quæ jam collectæ ad plures colligendas occasionem tibi ansamque præbebunt. Si enim bonæ huic consuetudini initium dederis, ipse te ipsum excitare poteris sine ullo symbolo. Sit igitur hoc modo cujusque domus Ecclesia, sacris pecuniis intus repositis. Enimvero gazophylacia, quæ hic habentur, illarum sym-

[1] 3 Reg. XVII, 11.

bolum sunt. Ubi pauperum pecuniæ jacent, inaccessus dæmonibus est locus : collectæ namque ad eleemosynam pecuniæ plus, quam scutum, hasta, et arma, omneque corporis robur, aut militum manus domos muniunt. Cum dixisset ergo, quando, a quibus et quomodo hujusmodi pecuniæ colligendæ sint, quantas illas esse oporteat offerentium arbitrio relinquit. Non enim dixit, Tantum et tantum offer, ne onerosum sit præceptum, multis paupertatem objicientibus; ne pauperes dicerent, Quid igitur si non possimus? sed facultati offerentium oblationis modum permisit : « Unusquisque, inquit, vestrum apud se reponat thesaurizans quod sibi placuerit : » non dixit, quod potuerit, aut quod repertum fuerit; sed, « Quod sibi placuerit, » Sive quod commodum fuerit, ostendens super num nutum et benevolentiam ipsi adfuturam esse. Non enim id solum spectabat Paulus, ut pecuniæ pauperibu subministrarentur, sed ut id magna cum alacritate fieret Etenim Deus non ob id tantum eleemosynam præcepit alantur egeni, sed etiam ut dantibus beneficia accederent; propterque hos magis, quam propter illos. Nam si pauperum duntaxat habuisset rationem, præcepisset tantum ut pecuniæ erogarentur, neque erogantium alacritatem requisivisset : at nunc vides Apostolum omni sollicitudine præcipientem, ut læti hilaresque sint largitores; et aliquando dicit, « Non ex tristitia, aut ex necessitate : hilarem enim datorem diligit Deus [1]; » non simpliciter datorem, sed eum qui libenter id agit. Et iterum alibi : « Qui tribuit in simplicitate, qui præest in sollicitudine, qui miseretur in hilaritate [2]. » Hæc est enim eleemosyna, si ita dederis, ut gaudeas, et putes te magis accipere, quam dare. Ideoque modis omnibus conatur ut leve faciat præceptum, ac cum alacritate fiat oblatio. Et considera quot

[1] 2 Cor. IX, 7. — [2] Rom. XII, 8.

capitibus præcepti pondus auferre satagat. Primo jubet non unum, aut duos tresve offerre, sed universam civitatem. Collecta enim nihil aliud est, quam collatio et symbolum ab omnibus oblatum, secundo accipientium dignitati prospicit. Non enim dixit, Pauperes, sed, sanctos. Tertio exemplum affert aliorum, qui simile quiddam fecerant, « Sicut ordinavi, inquit, Ecclesiis Galatiæ. » Ad hæc diei opportunitatem adjicit : « Per unum sabbatorum, » ait, unusquisque vestrum apud se seponat thesaurizans. » Quinto, non jubet omnem confertim inferri eleemosynam; sed sensim et paulatim. Non enim par est ratio omnia uno die inferri præcipere, aut in diuturnum tempus illa minutatim dividere; nam hoc modo impensa ne sentitur quidem. Sexto, non præcribit mensuram, sed offerentium arbitrio relinquit, et illud a Deo datum declarat : nam cum dicit, quod commodum fuerit, hæc ambo indicat. Septimum quoque alium modum adjicit dicens, « Ut non, cum venero, tunc collectæ fiant. » Simul enim eos excitat expectantes adventum suum; et consolatur, certum adventus sui diem significans. Neque his contentus, octavum aliud adjicit. Quodnam illud? « Cum autem » præsens fuero, inquit, quos probaveritis per epistolas, » hos mittam perferre gratiam vestram. Quod si dignum » fuerit ut et ego eam, mecum ibunt[1]. » Vide quam aliena a fastu et quam modesta sit beatà et generosa illa anima, vide quam sollicita, quam amoris plena. Noluit enim, neque passus est ut ii, qui pecunias administraturi erant, arbitratu sui ipsius constituerentur, sed eorum electionem ipsis permisit, neque contumeliæ loco habuit, si Corinthiorum calculo atque sententia, non autem Pauli, constituerentur; contra vero absurdum fore censuit, si oblatio eorum esset, ministrorum autem electio sua. Ideoque id

[1] 1 Cor. XVI, 3.

illis commisit, modestiam simul suam ostendens, atque omnem ansam umbramque adversæ suspicionis resecans. Nam licet sole splendidior et ab omni mala suspicione alienus esset : ex abundanti tamen curabat infirmioribus se attemperare, et falsas suspiciones effugere. Propterea dicit : « Cum autem præsens fuero, quos probaveritis, hos » mittam perferre gratiam vestram. » Quid dicis? Tu non navigas, neque pecunias accipis, sed aliis rem committis? Ne igitur talia cogitantes segniores evaderent, vide quomodo et hoc iterum caveat : non enim simpliciter dixit, quos probaveritis, mittam, sed quid? « Per epistolas. » Etiamsi corpore non adfuturus sim, at litteris meis præsens ero, eorumque ministerii particeps.

V. Num vel umbra Pauli, vel calceamentis ejus digni sumus, quando ille tanta apud omnes gloria fulgens omnium rejicit honores; nos autem stomachamur et ægre ferimus, si non sententia et calculo nostro talium pecuniarum promi creentur : contumeliamque nobis inferri putamus cum nobis inconsultis quipiam pecunias impendunt suas? Vide etiam qua ratione sui ubique mentionem faciat, neque uspiam obliviscatur : neque enim hic mandatum vocat illud, neque eleemosynam, sed gratiam : ostendens sicut mortuos suscitare, dæmones pellere et leprosos mundare; sic et pauperes juvare gratiæ opus esse; imo potius hoc quam illud : atque etiamsi gratia sit, studio tamen et alacritate opus nobis est ut eligamus et velimus, et nos gratia dignos reddamus. Hoc itaque ad consolationem attulit, quod litteras suas cum illis mitteret; aliud vero majus adjecit, quod se polliceretur itineris socium fore : « Quod si dignum fuerit, inquit, ut et ego » eam, mecum ibunt[1]. » Hic animadvertas velim ejus prudentiam. Neque enim negavit se simul iturum, omnino pol

[1] 1 Cor. XVI, 4.

licitus est; sed illud etiam dantium arbitrio permisit, eosque profectionis suæ dominos fecit; indicans, si donum tantum foret, ut se incitare posset, iter se suscepturum esse. Nam cum dicit, « Si dignum fuerit, » id subindicantis est. Quod si profectionem illam omnino negasset, ipsos ignaviores segnioresque reddidisset; sin dubie promisisset, negligentiores fecisset : ideo nec omnino negat, neque pollicetur; sed illud arbitrio Corinthiorum relinquit dicens, « Quod si » dignum fuerit. » Audientes enim Paulum ipsum delaturum oblationem suam, majori studio et alacritate ad id rei ferebantur, quod sanctæ illæ manus dona tractaturæ essent, et huic sacrificio preces illius accederent. Porro si Paulo tradituri dona Corinthii, id cum majore alacritate faciebant; tu Pauli domino daturus, nam per pauperes ille suscipit, quam excusationem habiturus es? Neque enim, nisi magna fuisset oblatio multaque cura digna, ille cui totus orbis creditus, et cui curæ erant omnes sub sole Ecclesiæ, pollicitus esset se pecunias administraturum esse. Hæc igitur animo reputantes, sive largiendum sit, sive aliis largientibus ministrandum, ne segnes simus, neque mœsti, quod facultates nobis minuantur. Quomodo enim absurdum non fuerit, dum agricola semen jaciens, et bona effundens, non tristatur, nec dolet, neque id sumptus loco habet, sed lucrum potius et proventum esse putat, tametsi spes sit incerta; te qui non pro paribus, sed pro multo majoribus seminas, et qui in ipsas Christi manus argentum jacturus es, refugere, torpere, et inopiam prætendere? Annon poterat Deus præcipere telluri, ut proferret aurum purum? qui enim dixit, « Germinet » terra herbam fœni[1], » moxque comantem exhibuit, poterat haud dubie præcipere ut fontes et fluvii aurum jugiter funderent. Verum id noluit, sed multos in pauper-

[1] Gen. 1, 11.

tate dimisit tum ob ipsorum, tum ob tuam utilitatem. Nam ad virtutem opportunior est paupertas divitiis, et iis, qui in peccatis sunt, non parva consolatio oritur ab auxilio egenis præstito. Tantaque hujusce rei cura est Deo, ut cum advenisset carneque indutus cum hominibus conversaretur, non detrectaret, neque ignominiæ loco haberet, quod ipse quæ ad pauperes spectabant dispensaret : etsi vero tot panes fecerat, et quæcumque vellet jussu perficiebat, licet posset sexcentos thesauros confertim ostendere, noluit tamen; sed marsupium habere discipulos jussit, et quæ immittebantur portare, atque inde egenis subministrare. Nam cum Judam ænigmatico de proditione alloqueretur, non intelligentes discipuli quod dicebatur, putabant, inquit, ipsum dixisse illi ut pauperibus aliquid daret : nam « Marsupium, inquit, ipse habebat[1], » et quæ immittebantur portabat. Magnam quippe Deus rationem habet de misericordia, non de sua tantum erga nos, sed de nostra etiam in conservos : qua de re multas et in Veteri et in Novo Testamento leges constituit, hominem jubens et verbis et pecuniis et operibus benignum esse. Hac de re passim Moyses in legibus sermonem inserit : hoc ex persona Dei Prophetæ clamant, « Misericordiam volo, et non sacrificium[2] : » Apostoli quoque iis consona et faciunt et dicunt. Ne itaque rem illam negligamus : non enim pauperibus tantum, sed nobis ipsis maxime prosumus, majoraque accipimus, quam præbemus.

VI. Hæc non sine causa nunc dico; sed quia plerique egenos curiose interrogant, inquirunt patriam, vitam, mores, artem, corporis valetudinem : accusationes intentant, et sexcentas de sanitate rationes repetunt. Ideoque multi corporis mutilationes simulant, ut fictæ calamitatis

[1] Joan. XII, 29. — [2] Osee. VI, 7. et Matth. IX, 25.

artificio crudelitatem immanitatemque nostram flectere valeant. Et æstate quidem taliter criminari, grave licet sit, non usque adeo tamen grave est : hyeme vero urgente frigore ita se inhumanum et ferum præstare judicem, veniamque nullam otiosis concedere, annon summæ crudelitatis fuerit? Cur itaque Paulus, dicet aliquis, Thessalonicensibus hanc legem ferebat : « Si quis non vult la»borare, nec manducet[1]? » Ut et tu hæc audias, et non ipsum tantum, sed te quoque hisce Pauli verbis compelles. Pauli quippe leges non pauperibus tantum, sed etiam nobis positæ sunt. Dicam aliquid onerosum et molestum : scio fore ut vos succenseatis; attamen dicam : non enim ut offendam, sed ut emendem dico. Illis otium objicimus, rem sæpe venia dignam : nos autem ea perpetramus, quæ otio longe graviora sint. At ego, inquies, paternam hæreditatem habeo. An ergo, dic mihi, quia ille pauper est et ex pauperibus ortus, nec opulentos majores habuit, dignus est qui pereat? Profecto ea ipsa de causa commiseratione et misericordia apud divites dignus fuerit. Tu quidem sæpe diem in theatris transigens, vel in consessibus, colloquiisque, ex quibus nihil accedit lucri, multis obloqueris, nihilque mali te facere nec otiosum esse putas : hunc vero miserum et ærumnosum, qui in precibus, lacrymis milleque ærumnis toto die versatur, damnas, ad tribunal trahis, de eoque rationes exposcis? Hæccine, quæso, humani sunt animi? Igitur quando dicis, Quid dicemus Paulo? Tu ea ipsa tibi, non pauperibus dicito. Alioquin vero, ne minas ejus tantum legas, sed et veniam quoque : nam qui dicit, « si quis non laborat, nec man» ducet, » adjecit : « Vos autem, fratres, nolite deficere bene » facientes[2], » At quonam illi specioso obtentu utuntur? Fugitivi sunt, inquiunt, peregrini, verberones, qui sua

[1] 2 Thess. III, 10. — [2] Ibid. 13.

relicta patria in civitatem nostram confluunt. Ideone, quæso, stomacharis, et civitatis coronam vellicas, quia omnes eam communem esse portum existimant, et propriæ alienam præferunt? Imo vero hac de causa exultare oportuit ac lætari, quia ad manus vestras, quasi ad commune quoddam emporium omnes accurrunt, et communem matrem hanc civitatem esse arbitrantur. Ne, quæso, tantum encomium labefactetis, neque antiquam hanc paternamque laudem decidatis. Olim namque cum fames totum orbem invasura esset, hujus civitatis incolæ, Jerosolymitanis, iisdem ipsis, de quibus jam sermo habetur, per Barnabam et Paulum pecunias non paucas miserunt[1]. Qua igitur fuerimus venia, qua defensione digni, quando majores quidem nostri etiam procul positos suis pecuniis etiam ad ipsos accurrentes aluerunt; nos vero eos, qui aliunde ad nos confugiunt, pellimus, deque illis rationes expetimus, cum sciamus nos plurimorum malorum esse reos? Quod si Deus ita diligenter nos scrutaretur, ut nos causam pauperum, nullam veniam vel misericordiam consequeremur: «in quo enim judicio, inquit, judicabitis, »judicabimini[2].» Esto igitur benignus humanusque conservo: multaque peccata dimitte, ac misericordiam exerce, ut et ipse talem impetres sententiam. Quid tibi ipsi negotia facessis? quid curiose scrutaris? Si Deus præcepisset ut aliorum vitam scrutaremur, rationes exposceremus, moresque curiose disquireremus, annon multi id moleste ferrent? annon intra se dicerunt, Quid igitur hoc est? Difficilem nobis rem Deus præscripsit: an possumus aliorum vitam examinare? num scimus quænam ille talis peccata admiserit? Annon multi similia plurima dicerent? Nunc vero cum nos ab hujusmodi perquisitione liberavit, ac mercedem nobis perfectam se daturum polli-

[1] Act. XI, 30. — [2] Matth. VII, 2.

citus est, sive mali sive boni sint ii, qui accipiunt, nobis ipsis negotium facessimus. Et unde hoc liquet, inquies, quod sive bonis, sive malis dederimus, mercedem accepturi simus? Eo quod ipse dixerit : « Orate pro insectantibus, et calumniantibus vos, ut sitis similes patris vestri, » qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos » et malos : et pluit super justos et injustos[1]. » Quemadmodum ergo Dominus tuus, cum innumeri ipsum blasphement, innumeri fornicentur, furentur, latrocinentur, sepulcra effodiant, infinita mala perpetrent, a suis erga omnes beneficiis non absistit, sed communes radios, communes imbres et fructus terræ profert, suam exhibens erga homines beneficentiam, sic et tu facito, et cum tempus misericordiæ humanitatisque exhibendæ affuerit, pauperes fove, famem seda, ab ærumnis libera, nihil ulterius scrutare. Nam si vitam hominum curiose disquiramus, nullius unquam miserebimur; sed hac intempestiva curiositate præpediti, absque fructu, et omni adjumento destituti manebimus, multumque laboris frustra et incassum suscipiemus. Quapropter rogo inopportunam hanc curiositatem abjicientes, egenis omnibus largiamur, idque abundanter faciamus, ut et ipsi illo die magnam a Deo misericordiam et benignitatem consequamur, quam nos omnes obtinere contingat, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, quocum Patri simulque sancto Spiritui gloria, imperium, honor, nunc et semper et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Matth. v, 44.

SERMO

Quod non oporteat peccata fratrum evulgare, neque inimicis imprecari.

I. Laudo vos[1], dilectissimi, quod tanto studio ad paternam domum concurratis. Nam ex hoc studio de vestra secundum animam sanitate confidendi mihi prebetur occasio; si quidem mirabilis quædam est officina medici Ecclesiæ schola: medici non corporum, sed animorum. Spiritualis namque est, neque vulnera carnis, sed peccata mentis sanat: porro peccatorum istorum ac vulnerum medicamentum est doctrina. Hoc medicamentum non ex herbis terrestribus, sed ex verbis constat cœlestibus: hoc non manibus medicorum, sed linguis prophetarum est compositum. Quam ob causam perpetuum est, et neque temporum longinquitate debilitatur, neque morborum virtute superatur. Nam medicorum quidem medicamenta utroque defectu ac vitio laborant: dum recentia sunt, vim suam prodúnt: cum vero multum temporis est elapsum, in modum corporum senectute confectorum imbecilliora redduntur: quin etiam persæpe morborum difficultate vincuntur, quippe quæ humana sint: at divinum medicamentum tale non est, sed multo tempore interjecto suam omnem vim retinet. Sane ex eo tempore quo vixit Moyses; ab illo enim initium est Scripturarum; tam multos homines sanavit, et suam virtutem non amisit: sed neque ab ulla unquam ægritudine superatum est. Hoc medicamentum non nu-

[1] Vide D. Guillon, tom. XIV, p. 539-542.

merata pecunia licet accipere, sed qui sinceram voluntatem et affectum exhibet, totum illud secum reportat. Idcirco divites simul et pauperes pariter hac medicina fruuntur. Nam ubi quidem pecunias impendi necesse est, qui locuples est, utilitatis sit particeps: pauper autem sæpe lucri expers discedit, cum tanti reditus illi non suppetant, ut ad medicamentum conficiendum sufficiant. Hic vero quoniam pecuniam numerare non permittitur, sed fides et voluntas est exhibenda, qui numerare potest ista et cum alacritate persolvere, hic potissimum percipit utilitatem: quandoquidem hæc sunt quæ pro mercede medicinæ istius exiguntur. Et dives et pauper pariter hanc utilitatem participant: imo vero non pariter utilitatem participant, sed majori percepta pauper abscedit. Quid ita? quod nimirum dives variis præoccupatus sollicitudinibus, superbia tumens, et opibus inflatus ac fastu, desidiæ deditus ac negligentiæ, non admodum attente, neque magno cum studio medicinam auditionis scripturæ recipiat: pauper autem a deliciis et ingluvie, ac negligentia immunis, multamque inde animæ suæ concilians philosophiam, dum totum tempus in opere manuum ac legitimis laboribus consumit, attentior ac robustior evadat, ac majori cum diligentia quæ dicuntur percipiat: quo fit, ut majori pretio persoluto, majori decerpta utilitate discedat.

II. Hæc a me non eo dicuntur consilio, ut divites quoscumque vituperem, nec ut pauperes quoscumque laudem: nam neque divitiæ malum sunt, sed divitiis male uti: neque paupertas bonum, sed paupertate bene uti. Torquebatur dives ille qui ætate Lazari vixerat, non quia dives fuerat, sed quia crudelis fuerat et inhumanus. Laudabatur pauper ille in sinu Abrahæ, non quia pauper fuerat, sed quia paupertatem cum gratiarum actione toleraverat. Res enim aliæ: attendite diligenter ad ea quæ dicimus: pote-

runt enim sufficientem philosophiam modestiamque vobis inserere, ac vitiosam omnem cogitationem expellere, atque efficere ut rectum de rebus judicium feratis : res igitur aliæ sunt natura bonæ, aliæ plane contrariæ; aliæ quæ nec bonæ sunt nec malæ, sed medium quemdam locum tenent. Bonum est quidam natura sua pietas, malum impietas : bonum virtus, malum improbitas : porro divitiæ ac paupertas per se neque hoc sunt, neque illud : sed pro ratione propositi ac voluntatis eorum qui utuntur illis, aut hoc aut illud fiunt. Nam si ad humanitatem quidem divitiis utare, tibi res ad occasionem boni traducetur : sin autem ad rapinas, avaritiam et injuriam, in contrarium ipsius usum convertes : verumtamen non sunt in causa divitiæ, sed is qui ad injuriam divitiis est usus. Ita quoque de paupertate dici potest : si quidem illam patienter tuleris Domino gratias agens, res tibi occasio fiet ac materia coronarum : sin autem idcirco blasphemus fueris in creatorem, ejusque providentiam accusaveris, rem ad malum usum rursus traduxisti. Sed quemadmodum illic avaritiæ fraudisve divitiæ causa non sunt, sed is qui male divitiis utitur : sic etiam blasphemiæ culpam non rejiciemus in paupertatem, sed in eum qui rem moderate ferre noluit. Ubique namque cum laus, tum vituperium ex sententia et voluntate nostra pendet. Bonæ sunt divitiæ, sed non simpliciter, verum illi, cui peccatum non est : et rursus mala est paupertas, sed non simpliciter, verum in ore impii, quoniam ægre fert, quoniam blasphemat, quoniam indignatur, quoniam creatorem accusat.

III. Ne igitur divitias accusemus, neque paupertatem simpliciter vituperemus, sed eos qui his rebus recte uti nolunt. Res enim ipsæ sunt in medio positæ. Sed quod dicebam; bonum enim est ut ad prius illud argumentum revertamur; et dives et pauper eadem cum fiducia et li-

bertate his nostris medicamentis fruuntur : sæpenumero etiam majori cum studio pauper. Non hæc medicamentorum istorum præcipua laus est, quod animas sanent, quod temporis longinquitate non corrumpantur, quod a morbis non vincantur, quod eorum utilitas gratis proposita sit, quod ex æquo divitibus et pauperibus pateat medicina : sed et aliud quidpiam nihilo minus his bonis habent. Quodnam illud tandem est ? quod eos qui ad hanc medici officinam veniunt non divulgamus. Nam illi quidem qui ad profanas medicorum officinas abeunt, multos habent vulnerum spectatores : ac nisi prius medicus ulcus detegat, medicamentum non adhibet : hic vero non ita fit, sed cum innumeros videamus ægrotos, occulte illos curamus. Neque enim in medium adductis peccatoribus, eorum deinde peccata divulgamus : sed communi omnibus doctrina proposita, conscientiæ relinquimus auditorum, ut convenientem suo vulneri ex iis quæ dicta sunt eliciant medicinam. Prodit enim ab oratoris lingua doctrinæ sermo qui vituperationem vitii continet, laudem virtutis, reprehensionem luxuriæ, commendationem castitatis, accusationem superbiæ, præconium modestiæ, tanquam varium multiplexque pharmacum ex omnibus speciebus compositum : porro conveniens sibi et utile ut accipiat, est uniuscujusque auditorum. Procedit igitur aperte sermo, et cujusque conscientiæ insidens, latenter suam exhibet medicinam, et priusquam ægritudo publicetur, sæpe restituit sanitatem.

IV. Heri quidem certe audiistis quo pacto virtutem orationis laudarim, quo pacto eos qui negligenter orabant, vituperarim, nec ullum tamen eorum palam notavi. Quotquot igitur conscii fuerunt suæ diligentiæ, laudem orationis exceperunt, et laudibus diligentiores sunt facti : qui vero suæ conscii negligentiæ fuerunt, rursus reprehensionem exceperunt, et desidiam excusserunt. Verumtamen

neque hi nobis, neque illi sunt noti, atque hæc ignorantia prodest utrisque. Quo pacto id fiat exponam. Qui laudes orationis audivit, et suæ diligentiæ conscius est, si multos haberet laudum testes, in superbiam laberetur : jam vero laudem clam excipiens ab omni ostentatione est immunis. Rursus is qui sibi conscius est negligentiæ, dum vituperationem audit, hac vituperatione fit melior, cum neminem suæ reprehensionis habeat spectatorem. Hoc vero non mediocriter illi prodest : nam cum vulgi existimationi simus addicti, quamdiu quidem latere nos putamus, qui mali sumus, fieri meliores studemus : postquam autem omnibus innotuimus, et solatium illud ex occultatione perdidimus, eo magis impudentes ac negligentes evadimus. Et quemadmodum quæ deteguntur ulcera, semperque frigido aëri exponuntur, acerbiora fiunt : ita quoque anima peccati rea, si coram multis, ob ea quæ deliquit, reprehendatur, impudentior evadit. Ne igitur hoc accideret, clam vos sermo curavit. Atque ut intelligatis admodum utilem hanc occultam esse medendi rationem, audite quid Christus dicat : « Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum[1] : » et non dixit, inter te et civitatem, neque inter te et populum, sed « Inter te et ipsum solum. » Sit sine testibus accusatio, inquit, ut facilior sit mutatio in melius. Magnum ergo bonum est, si non publice fiat cohortatio : sufficit conscientia : sufficit incorruptus ille judex. Non ita tu peccatorem reprehendis, ut ipsius conscientia : quippe quod asperior ille sit accusator : neque delicta ejus accuratius nosti. Noli ergo vulnus vulneribus addere, dum auctorem peccati divulgas, sed semotis arbitris admonitionem adhibeto. Hoc igitur nunc quoque nos agimus, quod Paulus egit, dum sine testibus apud Corinthios ejus qui peccarat instituit accusationem. Audi vero quo pacto. « Propterea,

[1] Matth. XVIII, 15.

» fratres, transfiguravi hæc in me ipsum et Apollo[1]. » Atqui non ipse, neque Apollo erant, qui populum sciderant, et Ecclesiam diviserant : accusationem tamen occultavit, et tanquam larvis quibusdam suo et Apollo nominibus reorum vultus obtegens, facultatem illis tribuit ex illa nequitia emergendi. Et rursus : « Ne forte cum venero, humiliet » me Deus et lugeam multos ex iis, qui ante peccarunt, et » non egerunt pœnitentiam super immunditia et impudi- » citia, quam gesserunt[2]. » Vide quo pacto indefinite dicat eos qui peccarunt, ne si manifestam accusationem institueret, impudentiam augeret eorum animæ qui peccarant. Itaque sicut nos tanta cautione reprehensiones facimus, sic admoneo, et vos omni cum studio emendationem admittatis, ac diligenter iis quæ dicuntur, attendatis.

V. Disseruimus apud vos hesterno die de orationis virtute : ostendi quo pacto tum temporis diabolus, ut maleficus est, insidias struat. Cum enim maximum nobis lucrum ex oratione cernat obvenire, tunc maxime impetum facit : ut excusatione nos privet, ut vacuis manibus nos domum remittat. Et quemadmodum apud magistratus, si forte satellites, et qui magistratus latus stipant, eos qui ipsum conveniunt, odio prosequatur, virgis procul arcent illos, atque accedere vetant, et conqueri, ejusque clementiam experiri : sic nimirum et diabolus cum accedentes ad judicem homines viderit, procul arcet non virga, sed negligentia. Novit quippe, probe novit, si providi vigilesque accesserint, et peccata sua confessi fuerint, animaque ferventi defleverint, multam illos veniam impetraturos. Benignus enim est Deus : atque idcirco præoccupat illos et ab alloquio repellit, ut nihil eorum quæ postulant, consequantur. Sed milites quidem magistratuum violenter illos summovent, qui eos conveniunt : hic vero non vim afferens,

[1] 1 Cor. IV, 6. — [2] 2 Cor. XII, 21.

sed nos decipiens, et ad negligentiam impellens. Quapropter nec venia digni sumus, cum nos ipsos bonis sponte privemus. Lux est mentis et animæ cum studio fusa oratio, lux inextincta et perennis. Propterea innumeras nostris mentibus cogitationum sordes injicit, et quæ nunquam cogitavimus, hæc collecta tempore orationis in animam nostram infundit. Et quemadmodum venti sæpenumero ex adverso ingruentes accensum ignem lucernæ flatu diventilatum extinguunt: sic et diabolus cum in nobis accensam orationis flammam viderit, innumeris nos sollicitudinibus hinc inde perflatos non prius sinit quiescere, quam lucem extinxerit. Sed quod illi faciunt, qui lucernas illas accendunt, nos quoque faciamus. Quid illi vero faciunt? Cum vehementem ingruere ventum vident, imposito digito lucernæ foramini spiritui aditum intercludunt. Quamdiu siquidem exterius impetum faciet, resistere valebimus: ubi vero mentis illi fores aperuerimus, et inimicum intus admiserimus, tum non amplius, ne minimum quidem resistere possumus: sed memoria nostra undique extincta ut lucerna fumigans, inania verba sinit os nostrum effundere. Verum ut illi lucernæ foramini digitum imponunt, ita nos rationem menti præficiamus, maligno spiritui aditum intercludamus, ne orationis nostræ lumen extinguat. Meministis hujus exempli utriusque, et militum ac magistratus, et lucernæ? propterea namque vobis hæc exempla recitamus, in quibus versamur, in quibus sumus, ut etiam cum hinc recesserimus, ac domi fuerimus, per eas res quas habemus præ manibus, eorum quæ dicta sunt nobis memoria refricetur. Magna est armatura oratio, magnum præsidium.

VI. Audistis heri quo pacto tres pueri vincti impetum ignis represserint, quo pacto flammam calcarint; quo pacto fornacem superaverint, quo pacto virtutem elementi

devicerint? Audite rursus hodie, quo pacto generosus ac magnus Isaac ipsam corporis naturam oratione superarit. Illi virtutem ignis dissolverunt, hic hodierno die vincula solvit mutilatæ naturæ. Ac disce qua ratione id egerit. « Rogabat, inquit, Isaac pro uxore sua, quoniam sterilis » erat[1]. » Hæc vobis hodie sunt lecta. Heri de oratione sermo est habitus, et hodie rursus demonstratio virtutis orationis occurrit. Videtis ut ita Spiritus gratia disponente sit factum, ut iis consona, quæ dicta sunt heri, hodierno die legerentur? « Rogabat, inquit, pro Rebecca uxore sua, » quoniam sterilis erat. » Hoc in primis operæ pretium est quærere, qua de causa sterilis esset. Admirabilis cujusdam vitæ, magnæque castitatis plena cum ipsa erat, tum vir ejus. Non possumus carpere sanctorum vitam, ac dicere peccatorum effectum esse sterilitatem. Nec ista sterilis fuit sola; sed et mater ipsius Sarra, quæ illum peperit. Neque vero mater ejus tantum sterilis fuit, neque uxor, sed et nurus, Jacobi uxor Rachel. Quid sibi vult hæc turba sterilium? omnes justi, omnes virtute præditi, omnes Dei testimonio approbati erant. De illis enim dixerat: « Ego » sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob[2]. » De iisdem etiam sic loquitur Paulus : « Quam ob causam » non confunditur, Deus vocari Deus eorum[3]. » Multa eorum præconia in novo, multæ illorum laudes in veteri Testamento : omni ex parte clari et illustres, et omnes steriles habebant uxores, ac sine liberis multo tempore vixerunt. Cum igitur virum et uxorem videris ex virtutis præscripto vitam degentes, cum religiosos, pietatis studiosos et liberis destitutos, ne peccatorum retributionem omnino esse liberorum existimes orbitatem. Multæ quippe sunt rationes providentiæ divinæ ac nobis occultæ, et pro omnibus agendæ sunt gratiæ, solique illi miseri censendi qui vitiis

[1] Gen. xxv, 21. — [2] Exod. iii, 6. — [3] Hebr. xi, 16.

contaminati vivunt, non qui liberis carent. Sæpenumero Deus utiliter id agit : nos autem eorum quæ fiunt causam ignoramus. Idcirco sapientiam ejus ubique laudari par est, et benignitati ejus ineffabili gloriam deferri.

VII. Atque hic quidem sermo nostros instruere mores potest : sed et tangenda nobis est causa, ob quam steriles illæ mulieres fuerunt. Quænam igitur fuit causa? Ut cum virginem parientem communem nostrum Dominum videris, fidem habere non renuas. Ergo mentem tua in sterilium utero exerce : ut cum infæcundum ac vinctum uterum videris divina gratia ad liberos gignendos adapertum, ne mireris, dum peperisse virginem audis. Imo vero et mirare et obstupesce, verumtamen credere miraculum ne recusa. Cum dixerit tibi Judæus, Quo pacto peperit virgo? tu dic illi, Quo pacto peperit sterilis et senectute confecta? Duo impedimenta tunc erant, ætas exoleta, et inepta natura : in virgine autem unum fuit impedimentum, quod nuptias experta non esset. Viam igitur sternit virgini sterilis? Atque ut intelligas idcirco steriles præcessisse, ut partus virginis crederetur, audi quibus eam verbis Gabriel sit affatus. Cum enim venisset, eique dixisset, « Concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen » ejus Jesum[1], » obstupuit virgo, et mirata est, dixitque : « Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco[2] ? » Quid igitur Angelus? « Spiritus sanctus superveniet in te. » Noli ordinem quærere naturæ, inquit : cum supra naturam est id quod geritur : ne nuptias et dolores partus circumspice, cum nuptiis superior generationis modus fuerit. « Quomodo fiet istud, inquit, quoniam virum non » cognosco? » Atqui propterea fiet istud, quia virum non cognoscis. Si enim virum cognovisses, habita digna non esses, quæ huic ministerio inservires. Itaque ob hoc ipsum

[1] Luc. I, 31. — [2] Ibid. 35.

crede, ob quod fidem renuis habere. Porro ejusmodi inservire ministerio digna non esses habita, non quod malum sit conjugium, sed quia melior est virginitas : augustiorem enim esse nostro ingressum Domini oportebat; regius quippe erat : atqui rex per augustiorem viam ingreditur. Oportuit illum et generationi communicare, et a nostra differre. Itaque hæc ambo disponuntur : nam ex utero nasci, commune nobiscum est : sed absque conjugio nasci, conditionem nostram excedit. Atque in utero quidem gestari et concipi, naturæ est humanæ : quod autem sine coitu fiat conceptio, natura humana est augustius. Propterea hæc ambo acciderunt, ut et quanto te præstantior sit is qui paritur, discas, et quantum naturæ tuæ communicet.

VIII. Ac mihi sapientiam considera, quæ in iis quæ geruntur, elucet : neque præstantia illa similitudinem et cognationem, qua nobiscum junctus est, læsit; neque cognatio nostra præstantiam ejus obscuravit : sed utraque rebus omnibus declarata est; et alia quidem nostra habebat integra, alia vero a nobis diversa. Sed quod dicebam propterea steriles præcesserunt, ut partus virginis crederetur, ut ista quasi manu duceretur ad fidem promisso ac pollicitationi illi habendam, quam Angelo audivit dicente : « Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi » obumbrabit tibi : » sic, inquit, paritura es. Ne respicias terram, de cœlo venit efficacitas. Spiritus est gratia, quod geritur, ne mihi quæras naturam et leges nuptiarum. Sed quoniam illius captum excedebant hæc verba, vult etiam alteram demonstrationem præbere. Tu vero considera, quo pacto sterilis ad fidem huic rei habendam deducat. Nam quoniam illa demonstratio mentem virginis excedebat, audi quo pacto ad humiliora sermonem demittens per res subjectas sensibus illam quasi manu ducat. « Ecce

»enim, inquit, Elizabet cognata tua, et ipsa concepit » filium in senectute sua : et hic mensis sextus est illi, quæ » vocatur sterilis[1]. » Vides sterilem esse propter virginem? Nam alioqui cur illi protulit in medium cognatæ partum? quam ob causam dixit, «in senectute sua?» cur adjunxit, «ei quæ vocatur sterilis?» illam nimirum his omnibus ad fidem annunciationi habendam incitabat : propterea et ætatem et naturæ imbecillitatem narravit : propterea quoque a die conceptionis elapsum tempus expectavit. Non enim a principio statim illi annuntiavit, sed ut semestre tempus sterili elaberetur, expectavit : ut ventris tumor conceptionem indicaret, et uterum illam gestare dubitare minime posset. Ac mihi rursus prudentiam Gabrielis considera. Neque enim illi revocavit in memoriam Sarram, nec Rebeccam, nec Rachelem, tametsi steriles etiam erant istæ, ac senectute confectæ, neque res carebat miraculo : sed veteres erant illæ historiæ. Porro quæ nova sunt et recentia, quæ nostra ætate acciderunt, multo magis quam antiqua nos solent ad fidem habendam miraculis incitare : quam ob causam, illis prætermissis, exemplum ipsi cognatæ suæ Elizabet proponebat, ut ex eo id, quod illi eventurum erat, intelligeret, ut illius partu ad suum illum maxime tremendum atque venerandum certo credendum induceretur. Medius quippe inter nostrum et Domini partum fuit ille sterilis mulieris, minor quidem virgineo, sed major nostro. Propterea tanquam per quemdam pontem per Elizabet, quæ media erat, a naturali partu ad illum qui naturam excedit, subvehit mentem virginis.

IX. Voluissem equidem plura dicere, vosque alias docere rationes, ob quas sterilis erat Rebecca, et Rachel : sed non sinit tempus, quod orationem cogit ad ostendendam virtutem precum festinare. Idcirco namque de his

[1] Luc. I, 36.

omnibus sermonem instituimus, ut intelligeretis, qua ratione preces Isaac sterilitatem uxoris solverint, et preces temporis tam diuturni. « Deprecabatur, inquit, Isaac pro » Rebecca uxore sua, et exaudivit eum Deus[1]. » Noli enim putare Deum illum invocasse, ac statim exauditum fuisse; multum enim temporis Deum orando consumpsit. Ac si discere velitis quantum, ego vobis illud exacte narrabo. Viginti annorum numerum Deum orando consumpsit. Unde id constat? ex ipsa serie narrationis. Volens enim Scriptura fidem, patientiam et philosophiam justi indicare, ne tempus quidem siluit, sed et ipsum declaravit, licet subobscure, ut negligentiam nostram excitaret; attamen ignotum esse non sivit. Audi ergo, quo pacto subobscure nobis tempus indicarit. « Isaac autem erat quadra» ginta annorum, inquit. quando accepit Rebeccam filiam » Bathuel Syri[2]. » Didicisti quot annorum esset quando duxit uxorem? quadraginta annorum, inquit, erat, quando Rebeccam accepit. Sed quoniam quot annorum esset didicimus, cum sibi matrimonio junxit uxorem, discamus et quando tandem susceperit liberos, et quot annorum esset, cum Jacob genuit; tum videre poterimus quanto tempore sterilis uxor manserit, ac toto illo tempore Isaacum Deum esse deprecatum. Quot igitur annorum erat quando Jacobum genuit? « Exiit, inquit, Jacob dextera » tenens calcaneum fratris sui : propterea vocavit eum » Jacob, illum autem Esaü. Isaac autem erat annorum » sexaginta, quando genuit eos[3]. » Si ergo cum duxit Rebeccam, quadraginta erat annorum, quando porro filios genuit, sexaginta, liquet viginti annos interim sterilem uxorem mansisse, totoque hoc tempore Isaacum Deum orasse.

X. Annon igitur erubescimus et confundimur, cum

[1] Gen. XXV, 21. — [2] Ibid. 20. — [3] Ibid. 25.

justum videmus annos viginti expectasse, nec abstitisse : nos vero post unam vel alteram petitionem sæpe deficimus, et indignamur? tametsi hic multam apud Deum fiduciam habebat, et tamen dilationem doni non ægre ferebat, sed patienter expectabat : at nos innumeris onerati peccatis, prava conscientia torti, nec ullam erga Dominum benevolentiam exhibentes, nisi prius quam elocuti fuerimus, audiamur, animo concidimus, ægre ferimus, a precatione absistimus : quo fit ut vacuis semper manibus recedamus. Quis spatio viginti annorum pro una re Deum precatus est sicut hic justus? vel potius, quis viginti solos menses? Heri quidem dicebam multos esse qui negligenter orant, et oscitantes, se extendentes, ac perpetuo se huc illuc vertentes, omnem incuriam præ se ferunt : hodie vero vitium aliud quod precibus intervenit multo perniciosius illo reperi. Multi enim pronos in terram se projicientes, terram fronte ferientes, calidas fundentes lacrymas, acerbe interius ingemiscentes. extensis manibus, multumque studium præ se ferentes, hoc fervore ac promptitudine animi adversus propriam salutem utuntur. Nam Deo preces offerunt non pro suis delictis, neque ut veniam peccatorum suorum petant, sed hoc studium omne conferunt adversus inimicos : ac perinde faciunt, ac si quis ensem acuat, nec adversus hostes illo genere armorum utatur, sed eo jugulum suum trajiciat. Sic et isti non ad obtinendam suorum veniam delictorum, sed ad accelerandum inimicorum supplicium precibus utuntur : quod est se ipsos gladio suo transfigere. Hoc autem malignus ille excogitavit, ut nos omni ex parte perdamus et, dum negligentes sumus, et dum studium aliquod adhibemus. Hi enim hac sua in precibus incuria Deum irritant, dum per hanc negligentiam contemptum præ se ferunt : illi vero studium exhibent, sed in salutis suæ perniciem exhibent. Ille, inquit, negli-

gens est; hoc mihi sufficit ut nihil obtineat : hic diligens est et attentus; quid ergo faciam? non possum studium ejus infringere, neque in eum torporem immittere; alia ratione perniciem in eum machinabor. Quo tandem modo? efficiam ut studio diligentiaque ad iniquitatem utatur : iniquum enim est adversus inimicos preces fundere. Ita fiet, ut non modo nullo reportato lucro ex studio suo discedat, sed plus detrimenti patiatur, quam negligentia invexisset. Ejusmodi sunt diaboli machinæ : alios per negligentiam, alios per ipsum studium perdit, cum non ex præscripto legum adhibetur.

XI. Sed operæ pretium fuerit verba orationis audire, et quo pacto puerilis verba sint mentis, et animi infantilis. Me quidem pudet illa dicere, necesse est tamen omnino ea ut dicamus, et indoctam linguam illam imitemur. Quænam igitur illa sunt verba? Vindica me de inimicis meis : ostende illis me quoque Deum habere. Non tum Deum nos habere discunt, mi homo, cum nos indignamur, et irascimur et ægre ferimus : sed cum modesti sumus, mites et humani, omnemque philosophiam exercemus. Ita quoque dixit Deus : « Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera » vestra bona, et glorificent patrem vestrum qui in cœlis » est[1]. » Non animadvertis injuriam te facere Deo, cum Deum adversus inimicos rogas? Quo tandem pacto, inquit, Deo fit injuria? Quoniam ipse dixit : « Orate pro inimicis vestris, » et divinam hanc legem invexit. Cum igitur legislatorem rogas, ut suas violet leges, et hortaris, ut suis contrarias leges ferat, et eum qui prohibuerat, ne adversus inimicos orares, precaris, ut te adversus inimicos orantem audiat; non oras, dum id facis, neque hortaris, sed legislatori contumeliam infers, et in eum insolescis, qui bona tibi largiturus erat, quæ occasione precum ob-

1 Matth. v, 16.

veniunt. Et quo pacto fieri, quæso, potest, ut audiaris dum oras, si eum qui est auditurus irrites? Hæc enim dum facis, in barathrum salutem tuam compellis, et in præcipitium ruis, dum inimicum in conspectu Regis percutis. Quamvis enim manibus id non facias, verbis tamen eum percutis : quod erga conservos præstare non audes. Igitur id agere audeas magistratu spectante : licet innumera tua sint recte facta, omnino confestim ad mortem abduceris. Ergone coram magistratu non audes æqualem afficere contumelia : coram Deo autem qui id facis, non, quæso, tremis, non times dum orationis tempore ac precum sic excandescis et efferaris, ac majorem præ te fers iniquitatem illo qui centum denarios repetebat? Quod enim tu majorem injuriam inferas, audi quo pacto testetur historia. Decies mille talenta quispiam domino debebat[1] : deinde cum non haberet unde redderet, orabat ut patienti animo erga se esset, ut vendita uxore, domo, ac filiis debitum domino suo persolveret. Cum autem illum dominus lamentantem videret, miseratione commotus est, et dena millia talentorum remisit. Egressus ille cum alterum servum invenisset, qui centum denarios ipsi debebat, suffocans eum multa cum crudelitate atque immanitate repetebat. His auditis, dominus in carcerem eum conjecit, et quod prius remiserat, debitum denum millium talentorum, illi rursus imposuit, et ille suæ in conservum crudelitatis pœnas dedit.

XII. At tu quanto iniquior illo ac stupidior evaseris, qui adversus inimicos precaris, vide. Ille dominum non rogabat, ut denarios centum repeteret, sed ipse repetebat centum denarios : tu vero Dominum ad impudentem ac prohibitam repetitionem cohortaris. Atque ille quidem non in oculis domini, sed foris conservum suffocabat : at

[1] Matth. XVIII, 24.

tu in ipso tempore orationis stans coram Rege id facis. Quod si ille cum neque dominum ad repetendum esset hortatus, et postquam egressus fuisset, hoc faceret, nullam est veniam consecutus, tu qui Dominum ad hanc vetitam solutionem impellis, et in ejus conspectu hæc agis, quo non supplicio, quæso, mulctaberis? At inflammatur animus tuus ira ex recordatione inimicitiæ, et intumescit, et cor commovetur, ac dum acceptæ injuriæ meministi, animi tumorem non potes reprimere : tu vero isti oppone excandescentiæ peccatorum tuorum memoriam, ac futuri judicii timorem. Recordare quam multorum apud Dominum reus sis, teque istorum omnium pœnis obnoxium esse, tum omnino metus iste iracundiam illam vincet, quandoquidem hæc quoque passio longe est illa potentior. Recordare gehennæ, pœnarum ac suppliciorum tempore orationis, ac ne in mentem quidem veniet inimicus. Contere animum tuum, mentem humilia tuorum recordatione delictorum, ac ne molestiam quidem ullam iracundia exhibebit. Sed hoc illud est, unde cuncta mala nascuntur, quod in aliorum quidem peccata diligenter inquiramus, nostra vero diligenter admodum prætereamus. At contrarium agendum esset, propriorum quidem nunquam obliviscendum esset, aliena nunquam oporteret mente versare. Id si faciamus, et Deus propitius nobis erit, et immortali odio proximum prosequi desinemus, et nullum unquam habebimus inimicum. Qui si quando habeamus, odium cito deponemus, et celerem peccatorum veniam obtinebimus. Nam quemadmodum is, qui acceptarum a proximo injuriarum memor est, dimitti pœnas minime sinit, quas suis peccatis meretur : ita qui ab ira immunis est, cito etiam immunis erit a peccatis. Si enim nos improbi, et iræ servientes, ob Dei mandatum omnia in nos commissa peccata despicimus : multo magis benignus ac

bonus Dominus, cum ab omni perturbatione sit purus, delicta nostra dissimulabit, et nostrorum remissione peccatorum, exhibitam proximo comitatem et humanitatem renumerabitur. Quam utinam nobis omnibus assequi contingat, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO

De non Anathematizandis vivis vel defunctis.

I. Nuper vobis de incomprehensibilis cognitione Dei disserens, multa verba feci, ac tum Scripturarum vocibus, tum naturalibus ratiociniis demonstravi, etiam ipsis invisibilibus Virtutibus inaccessam prorsus esse numinis comprehensionem; illis scilicet, quæ materiæ expertem et beatam vitam agunt: nosque tamen, qui in omni mollitie atque ignavia vitam degimus, et in quodvis nequitiæ genus ruimus, rem invisibilibus substantiis penitus ignotam, assequi conati: unum tantæ rei argumentum habentes cogitationum nostrarum judicium et inanem apud auditores gloriam, neque naturæ nostræ mensuram ratione circumscribentes, neque divinam Scripturam Patresque sequentes; sed opinionis nostræ phrenesi, ceu hyberno torrente detractos, in tantum peccatum delapsos esse. Age nunc postquam de anathemate vobis quantum convenit dissseruerimus, vimque mali hujus, quod pro nihilo reputatur, ostenderimus, hinc freni impatientia ora cohibeamus, morbum detegentes eorum, qui ea in re incuria ni-

[1] Vide D. Guillon, tom. XIII, p. 245-257.

mia laborant. Etenim in tam deploratum statum nostra devenerunt, ut pessime habentes ignoremus nos ne turpiores quidem affectus superare; ita ut vox prophetica in nobis impleatur: « Non est quod imponatur malagma, » neque oleum, neque ligamina[1]. » Undenam igitur de hoc malo dicendi initium faciam? An a Domini mandatorum sanctionibus, an ab inscitia et stupore vestro? Annon rideear et insanire videar, qui ita loquar? Annon clamoribus excipiar, qui hæc tristia et lacrymis digna pertractanda suscipiam? Quid faciam? Doleo, animo dissecor, rumpuntur viscera, dum tantum video stuporem; quia Judaïcam transgressionem et Gentilium impietatem nostra superant. Progressus enim viros cerno, neque ratiocinio ex divina Scriptura edocto præditos, nec quapiam divinæ Scripturæ parte imbutos; multa erubescens taceo; furibundos, nugaces, « Qui nesciunt quæ dicunt, neque de » quibus affirmant[2]; » hoc unum imperite docere audentes, et anathematizare quæ nesciunt; ita ut nostra ab iis, qui a fide alieni sunt, irrideantur; quod nullam instituendæ vitæ curam habeamus, neque benefacere edocti simus.

II. Heu mihi, quam gravia hæc! heu mihi! Quot justi et Prophetæ desideraverunt videre quæ nos vidimus, et non viderunt, et audire quæ nos audivimus, et non audierunt[3]: Et nos hæc quasi lusum habemus. Attendite, quæso, iis quæ audistis, ne quando diffluamus. Nam si sermo per Angelos dictus firmus fuit, et omnis prævaricatio et inobsequentia justam retributionem accepit, quomodo tantam salutem negligentes effugiemus? Dic enim, qui scopus Evangelii gratiæ? quorsum carnalis Dei adventus, an ut nos mutuo mordeamus et devoremus? Atqui cum Christiana sint legali præcepto ubique perfectiora,

[1] Isaï. I, 5. — [2] I Tit. I, 7. — [3] Matth. XIII, 17.

charitatem magis a nobis exigunt. Illic namque dicitur : « Diliges proximum tuum sicut te ipsum[1] ; » hic autem moriendum esse pro proximo. Audi ipsum Christum dicentem : « Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Je» richo, et incidit in latrones, qui etiam despoliaverunt » eum, et plagis impositis abierunt, semivivo relicto. Ac» cidit autem ut sacerdos quidam descenderet eadem via : » et viso illo præterivit : similiter et Levita cum esset secus » locum, et videret eum, pertransiit : Samaritanus autem » quidam veniens in locum et videns eum, misericordia » motus est. Et approprians alligavit vulnera ejus, infun» dens oleum et vinum : et imponens illum in jumentum » suum, duxit illum in stabulum, et curam illius habuit. » Et altera die proferens duos denarios dedit stabulario di» cens : Curam illius habe, et si quid supererogaveris, ego » cum rediero reddam tibi. Quis igitur horum trium » proximus videtur tibi fuisse ei, qui incidit in latrones ? » At ille dixit, qui fecit cum illo misericordiam. Dixit au» tem illi Jesus : Vade, et tu similiter[2]. » Papæ quod miraculum ! Non Sacerdotem, non Levitam dixit proximum, sed eum, qui decreto a Judæis ejectus fuerat ; Samaritanum, inquam, alienum, in multis blasphemantem, hunc solum dixit proximum, quia apud illum inventa est misericordia. Hæc sunt verba Filii Dei, hæc veniens ille etiam operibus exhibuit : nec pro amicis solum et suis mortuus est, sed pro inimicis, pro tyrannis, pro præstigiatoribus, pro odientibus se, pro crucifigentibus, quos ante mundi constitutionem tales fore sciebat, et cum præsciret, creavit, bonitate sua præscientiam vincens : pro iisque sanguinem suum fudit, pro iis necari se passus est. « Panis enim, » inquit, caro mea est, quam ego dabo pro mundi » vita[3]. » Et Paulus hæc per Epistolam dicit : « Si enim

1 Matth. XXII. — 2 Luc. X, 30. — 3 Joan. VI, 51.

» cum mortui essemus, reconciliati sumus Deo per mortem » filii ejus[1]; » rursumque in Epistola ad Hebræos dicit eum pro universis gustasse mortem[2]. Si itaque hæc ab ipso gesta sunt, et horum typos exprimit Ecclesia, dum singulis diebus pro universis precationes fundit, quomodo tu audes talia loqui? Nam, quæso, quid illud est quod tu anathema dicis? vide quid dicas; cognosce quid loqueris, nosti-ne nominis vim? In divina utique Scriptura illud reperies de Jericho dictum: « Et anathematizabis totam civitatem » Domino Deo tuo[3]. » Et penes nos hactenus hic mos invaluit apud omnes, ut dicatur : Ille talis cum hoc fecisset, anathema in hunc modum abduxit. Num hoc est anathema? atqui hoc plerumque in bonam partem sumitur, quasi dicas, offerri Deo. Quid igitur anathema vocas, nisi cum dicitur, offeratur ille diabolo, nec ultra locum salutis habeat, sit alienus a Christo.

III. Ecquis tu es tantæ potentiæ et auctoritatis? Tunc enim sedebit Filius Dei, statuetque oves a dextris et hœdos a sinistris. Cur tantam usurpasti dignitatem, cujus Apostolorum cœtus tantum consors est, necnon ii, qui cum omni accuratione illorum se successores exhibent, pleni gratiæ et virtutis? sane illi præceptum hoc diligenter servantes, ac si oculum dextrum effoderent, sic hæreticos ex Ecclesia ejiciebant : quod sane argumentum est magnæ illorum commiserationis atque mœroris, ac si putridi membri sectio fieret. Quamobrem Christus id dextrum oculum vocavit, illorum qui abjicerent commiserationem declarans. Qua in re sicut et in aliis diligenter se gerentes, hæreses quidem confutabant et ejiciebant : nulli autem hæreticorum hanc infligebant pœnam. Porro in duobus tantum locis Apostolus hanc vocem, quasi necessitate coactus protulisse videtur : neque tamen pro certa et

[1] Rom. v, 10. — [2] Hebr. II, 9. — [3] Josuë VI.

determinata persona illam usurpat, cum in epistola ad Corinthios dicit : « Si quis non amat Dominum nostrum Je-»sum Christum, sit anathema, et, si quis vobis evangeli-»zaverit præterquam quod accepistis, anathema sit[1]. » Quid ergo, an quod nemo eorum qui potestatem acceperant facere vel decernere ausus est, tu facere audebis, plane adversaria morti Domini perpetrans, ac Regis judicium antevertens? Vultis discere, quid dixerit vir quidam sanctus (1), qui ante nos, et de successione Apostolorum fuit, ac martyrio dignatus est? Ut hujus verbi molestiam indicaret, hoc usus exemplo est : quemadmodum si quis, privatus cum sit, regiam purpuram induerit, tum ipse tum commilitones ejus, quasi tyranni interficiuntur; sic qui dominico utuntur decreto, et hominem Ecclesiæ anathema faciunt, in extremam se perniciem abducunt, Filii dignitatem usurpantes. An leve putatis esse ante tempus et judicis adventum tali sententia quempiam condemnare? Nam anathema a Christo prorsus separat. Sed quid dicunt illi ad omnem malitiam audaces? Hæreticus, aiunt, ille factus est, inhabitantem habet diabolum, et loquitur contra Deum nequitiam, multosque suadela vanaque fallacia in profundum exitii abducit : ideoque a patribus ejectus est maxime hujus magister, qui partem Ecclesiæ abscidit, sic aut propter Paulinum, aut propter Apollinarium loquentes. Nam de horum singulorum differentia, sermo multis novitatis notam pulchre effugit, errorem in penetralibus præjudicatæ opinionis invaluisse arguens : « Doce in modestia corripiens eos, qui resistunt, » ne quando det eis Deus pœnitentiam ad cognoscendam » veritatem, et resipiscent a diaboli laqueo, a quo captivi » tenentur ad ipsius voluntatem[2]. » Extende sagenam charitatis, ne quod claudicat, evertatur, sed potius sanetur,

[1] 1 Cor. xvi, 22, et Galat 1, 8. — [2] 2 Tim. ii, 25

Ostende te ex affectu multo bonum proprium commune facere velle. Injice dulcem commiserationis hamum, et cum sic occulta scrutatus fueris, ex profundo perniciei extrahe eum, qui sententia submersus fuerat. Quod vel ex præjudicata opinione vel ex ignorantia putabatur esse bonum, corrige ut ab Apostolica traditione alienum. Ac si quidem id accipere velit is, qui errorem exceperat, secundum Prophetæ vocem, ille vita vivet, et tu animam tuam liberabis. Sin nolit, et contendens persistat; ne tu reus sis, contestare solum cum longanimitate et mansuetudine, ne judex animam ejus de manu tua requirat. Ne oderis, ne averseris, ne persequaris, sed sinceram veramque erga eum charitatem ostendas. Hanc lucrare, et si nihil aliud utilitatis acquiras, hæc magna est utilitas, hoc magnum lucrum, quod diligas, et Christi doctrinam doceas. « In hoc » enim, inquit, cognoscent, quod discipuli mei estis, si » dilectionem habueritis ad invicem[1] : » qua absente, neque cognitionem mysteriorum Dei, neque fidem, neque prophetiam, neque paupertatem, neque testimonium de Christo utilitatem afferre Apostolus declaravit his verbis : « Si habuero mysteria omnia, et omnem scientiam, et fi- » dem, ita ut montes transferam, charitatem autem non » habuero, nihil mihi prodest : et si linguis Angelorum lo- » quar, et si dedero omnem substantiam meam in cibos, » et si tradidero corpus meum, ut comburar, charitatem » autem non habuero, nihil sum. Charitas benigna est, » non inflatur, non quærit quæ sua sunt : omnia suffert, » omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet[2]. »

IV. Nemo ex vobis, dilecti, talem pro Christo affectum exhibuit, qualem sancta illa anima. Nullus hominum præter illum ausus est talia proferre verba : ipsa anima comburebatur dicens : « Adimpleo ea quæ desunt tribu-

[1] Joan. XIII, 25. — [2] I Cor. XIII, 1.

» lationum Christi in carne mea[1]; » et, « optabam ipse ego » anathema esse a Christo pro fratribus meis[2]; » et, « quis » infirmatur, et ego non infirmor[3]? » Cumque tali erga Deum affectu præditus esset, non contumelias, non vim, non anathemata cuipiam inferebat. Alias enim non tot gentes urbesque totas Deo obtulisset: sed humiliatus, percussus, colaphis cæsus, risuique omnium expositus, hæc perpetrabat, blandiendo, hortando, obsecrando. Sic apud Athenienses aditum sibi fecit, cumque invenisset omnes idolorum cultu insanientes, non opprobriis eos aggressus est his verbis; Athei estis, omninoque impii: non dixit, omnia pro Deo habetis, unumque Deum negatis, dominum et opificem universi: sed quid? « Circumiens, inquit, et » videns simulacra vestra, inveni et aram, in qua scriptum » erat, ignoto Deo. Quem ergo ignorantes colitis, hunc ego » annuntio vobis[4]. » O miraculum! o paterna viscera! pie colere Græcos dicit, licet idololatras, licet impie agentes. Quare? Quia quasi pii cultum suum persolvebant, Deum se colere putantes, cum ita sibi persuasissent. Hujus vos omnes hortor imitatores esse, ac vobiscum etiam me ipsum. Nam si Dominus qui singulorum voluntatem prospicit, et scit qualis quisque nostrum futurus sit, id fecit, ut dona magnificentiamque suam impleret: neque enim pro malis creat Deus, et sic tamen eos communibus dignatus est bonis, omnesque vult imitatores ejus esse: cur tu contraria facis, qui in Ecclesiam convenis, et sacrificium Filii Dei perficis? Nescitis quod calamum conquassatum non confregit, et linum fumigans non extinxit[5]? Quid sibi vult illud? Audi. Judam ipsique similes in lapsu non abjecit, donec quisque eorum sponte abductus errori se manciparet. Nonne pro populi ignorantiis supplicationes offer-

[1] Coloss. I, 24. — [2] Rom. IX, 3. — [3] 2 Cor. II. — [4] Act. XVII, 25. — [5] Isaï. XLII, 3.

rimus? Nonne pro inimicis, pro odientibus et persequentibus orare jussi sumus? En ministerium implemus, hortamurque vos: ordinatio non effert, non in sublime extollit, non potentiam præstat: omnes eumdem Spiritum accepimus, omnes in adoptionem filiorum vocati sumus: quos Pater probavit, eos fratribus in potestate servire voluit. Servitutem itaque nostram implentes hortamur vos obtestamurque, ut ab hujusmodi malo desistatis. Nam is, quem tu anathematizare decrevisti, vel vivit in hac mortali vita superstes, vel mortuus est, si ergo superstes est, impie agis, qui adhuc versatilem, qui possit de malo in bonum mutari, abscindas; sin mortuus est, multo magis [abstinere debes.] Quare? Quia domino suo stat vel cadit, neque jam sub humana positus est potestate. Ac de eo, quod occultum est, sæculorumque judici reservatum, sententiam ferre periculosum est; cum ipse solus novit et scientiæ mensuram, et fidei modum. Undenam, quæso, scimus quibus se verbis accusabit, aut quam defensionem proferet in die qua Deus judicaturus est occulta hominum? Vere inscrutabilia sunt judicia ejus, et investigabiles viæ ejus. « Quis enim novit sensum Do» mini, aut quis consiliarius ejus fuit[1]? » Forte nullus ex nobis, dilecti, se baptismo dignatum esse putat, nemo scit judicium unquam futurum esse. Quid dico judicium? ipsam quoque mortem et exitum e corpore ignoramus, ob illam rerum sæcularium phrenesim, quæ nos invasit. Ab hoc, quæso, malo absistite. Ecce dico et contestor in conspectu Dei et electorum Angelorum, hinc nobis in die judicii malum magnum et intolerabilem ignem parari. Nam si in virginum similitudine[2] eos, qui cum splendida fide, et morum candore vixerunt, Dominus universorum qui ipsorum opera vidit, ob commiserationis penuriam a

[1] Isaï. XL, 13. — [2] Matth. XXV, 11.

thalamo alienos reddit; quomodo nos, qui omni cum licentia vivimus, et immisericordes erga contribules nostros nos exhibemus, salute digni habebimur? Quamobrem obsecro vos, ne verba hæc negligenter audiatis. Hæretica quippe dogmata iis, quæ nos accepimus, contraria anathematizare, et impia dogmata confutare oportet: hominibus autem parcendum, et pro eorum salute orandum est. Utinam nos omnes, Dei et proximi amori addicti, atque Dominica exequentes præcepta, cum misericordia et fulgidis lampadibus, in die resurrectionis cælesti sponso occurramus, offerentes illi in gloria quam plurimos commiseratione nostra servatos, gratia et benignitate ipsius unigeniti Filii Dei, quicum Patri gloria una cum sancto Spiritu, nunc et semper et in sæcula. Amen.

SERMO

Non oportere quemquam de se ipso desperare, aut preces contra inimicos fundere, aut animo deficere, quamvis petens non accipiat; et ad maritos de pace erga uxores conservanda.

I. Magnas vobis ago gratias, quod cum animi alacritate habitos de precibus sermones exceperitis, quod beatum me reddideritis. « Beatus quippe, qui narrat in aures au» dientium[1]. » Id mihi non ex plausibus laudibusve tantum, sed et ex iis quæ fieri a vobis cernebam, persuasum est. Cum enim, ut adversus inimicos preces minime funderetis, vos cohortarer, ac dicerem nos, dum id agimus, Deum irritare, ac legibus ejus alias contrarias ferre; dixit enim ipse, « Orate pro inimicis[2], » at nos dum adversus

[1] Eccli. xv, 2. — [2] Matth. v, 44.

inimicos oramus, petimus ab eo ut suam legem ipse dissolvat; cum igitur hæc et talia dicerem, multos inter vos cernebam faciem percutientes et pectus, graviter ingemiscentes, manus in cœlum tendentes, veniam a Deo propter ejusmodi preces fusas postulantes. Tum vero ego sublatis in cœlum oculis Deo gratias egi, quod tam cito nobis doctrinæ sermo fructum protulisset. Ea quippe spiritualis seminis est conditio, non annis indiget, nec temporibus, nec diebus, sed si animam generosam invaserit, confestim spicam virentem et perfectam ostendit : quod et a vobis hesterno die peractum est. Compunctionis sermonem sparseram, et confessionis gemitus germinavit, gemitus multas bonorum divitias secum ferens. Nam si publicanus ille, cum pectus percutiendo dixisset, « Propitius esto mihi peccatori [1], » plus quam Pharisæus justificatus recessit : quantam nos apud Deum nobis conciliasse gratiam verisimile est, cum intra perbreve tempus tantam compunctionem ostenderimus? Tametsi publicano nihil est pejus : cum is improbitatis limes sit ultimus : quod utique Christus indicans in extremorum malorum exemplum meretrices ac publicanos semper in medium adducit. Est enim violentia quæ libere confidenterque grassatur, rapina sine reprehensione, impudens avaritiæ genus, negotiatio a ratione aliena, insolens mercatura : attamen is qui inter tot mala vixerat, nudis verbis potuit tot probra delere, ac plura quam postularat accipere. Nam petierat quidem ille, « Propitius esto mihi peccatori; » Deus autem non propitius tantum fuit, sed etiam illum supra Pharisæum justificavit. Propterea inquit Paulus : « Ei autem, » qui potest omnia facere superabundanter, quam petimus, aut intelligimus [2]. » Atqui precatus est etiam Pharisæus, et in templo stetit, et eumdem Deum invocavit,

[1] Luc. XVIII, 13. — [2] Ephes. III, 20.

et plura verba profudit, et ex gratiarum actione orationis exordium texuit. Unde igitur factum est, ut ille quidem ea quæ habebat bona perdiderit, hic autem eam gratiam ac fiduciam, quam non habebat sibi conciliaverit? quod nimirum orandi modus idem non esset. Nam ille quidem arrogantiæ, fastus, superbiæque totus plenus erat, hic vero multæ probitatis et æquitatis. Idcirco licet hic innumeris peccatorum sarcinis gravaretur, omnes abjecit, et justitiam assumpsit: ille autem qui plenam recte factorum, eleemosynarum, jejuniorum, navem reduxerat, tanquam scopulo cuipiam inanis gloriæ superbiæque tumori allidens in ipso portu naufragium fecit : siquidem in oratione damnum pati, id vero est in portu naufragium facere. Non tamen id ex natura orationis, sed ex culpa voluntatis ejus evenit.

II. Vides ad salutem nobis orationem non sufficere, nisi simul ex legibus, quas tulit Christus, oremus? Quas porro leges ille tulit? ut pro inimicis oremus, tametsi multis molestiis nos affecerint, ac nisi hoc præstemus, plane perimus : id quod ex Pharisæi constat exemplo. Si enim iste cum non adversus inimicos orasset, verum inanis gloriæ cupiditati solum addictus fuisset, tantam pœnam sustinuit, quod supplicium illos manet, qui longos multosque sermones producunt adversus inimicos? Quid facis, mi homo? astas, ut veniam peccatorum postules, et animam iracundia reples? quando omnium mitissimos esse nos oportet, dum alloquimur Dominum, dum pro delictis oramus, misericordiam, clementiam, ac veniam implorantes, tum excandescimus, in feritatem devolvimur, et os nostrum felle complemus? quo pacto, quæso, poterimus salutem adipisci, cum supplicum speciem præ nobis feramus, verba superborum efferamus, et in nos Dominum irritemus : Ingressus es, ut propria vulnera

curares, non ut propinqui vulnera redderes acerbiora. Propitiationis tempus est, orationis tempus, ac gemitus, non iracundiæ : lacrymarum, non excandescentiæ : compunctionis, non indignationis. Cur confundis ordinem? cur tibi ipsi repugnas? cur ædificium tuum diruis? hominem qui orat, ante alia omnia miti animo esse oportet, modesta mente, corde contrito : qui vero clamat adversus inimicos, nunquam illud poterit obtinere : quippe qui sit iræ plenus, neque modestia possit mentem in officio continere. Ne igitur adversus inimicos preces fundamus, sed neque recte factorum memores nostrorum simus, ne nobis id accidat, quod Pharisæo. Nam quemadmodum peccatorum recórdari bonum est, ita recte factorum bonum est oblivisci. Quam tandem ob causam? quoniam recte factorum quidem memoria nos in superbiam erigit, peccatorum autem memoria mentem deprimit atque humilem reddit : atque illa quidem negligentiores efficit, ista vero diligentiores nos reddit. Nam qui nihil sibi esse boni arbitrantur, alacriores ad acquirenda bona fiunt : qui vero multum sibi repositum quæstum existimant, his opibus confidentes non magnum studium præ se ferunt ad plura sibi deinceps comparanda.

III. Noli ergo recte factorum meminisse, ut meminerit illorum Deus. « Dic enim peccata tua primus, ut justificeris, » et rursus : « Iniquitatum tuarum non recordabor[1], » inquit : at tu recordare. Sed quam tandem ob causam publicanum tam cito exaudivit Deus, Isaac autem viginti annos orare permisit, eique pro uxore sua supplicare, ac tum demum justi precibus annuit? sunt enim vobis hesternæ doctrinæ reliquiæ persolvendæ. Quam igitur ob causam id accidit? ut ex iis quæ publicano evenerunt, Domini benignitatem cognoscas : ex iis autem,

[1] Isaï. XLIV, 26.

quæ Isaac evenerunt, patientiam servi cognoscas : qui tarde accepit, et precari non destitit, ut licet peccator sis, non desperes : licet justus sis, non efferaris. « Non est » opus valentibus medico, sed male habentibus[1]. » Male habebat publicanus; propterea cito manum illi porrexit. Isaac autem robustior erat; propterea reliquit ipsum, ut patientiam ejus augeret. Sed hæc quidem ex abundanti a nobis sint dicta. Cur autem uxor sterilis esset, operæ pretium fuerit enarrare, ut cum virginem videris factam esse matrem, credere non recuses : ut cum dixerit tibi Judæus, quo pacto peperit Maria? dicas illi, quo pacto peperit Sarra, et Rebecca, et Rachel? Cum enim mirabile quidpiam magnumque fuerit eventurum, multæ præcurrunt figuræ. Et quemadmodum cum Imperator ingreditur, præcurrunt milites, ne subito ab imparatis excipiatur : ita cum insolitum futurum esset miraculum, præcedunt figuræ, ut nos prius exercitati ac dispositi non subito attoniti hæreamus, nec rei præter expectationem visæ territi novitate obtupescamus. Hoc et in morte : Præcessit Jonas, et mentem nostram exercuit. Ut enim illum post tres dies cetus evomuit, cum in eo proprium et conveniens non reperisset alimentum : proprium quippe conveniensque mortis alimentum est peccati natura : inde nata est, inde corroborata est, inde etiam alitur. Ut igitur in nobis, si quando lapidem deglutivimus imprudentes, tum quidem primum illum vis stomachi concoquere aggreditur : cum vero cibum minime sibi proprium compererit, ubi diutius vim suam concoquendi illi applicuit, non illum corrumpit, sed virtutem suam perdit : unde nec priorem cibum potest continere, sed defessa cum ipso illum quoque non sine gravi dolore evomit : ita quoque in morte accidit. Lapidem angularem deglutivit, neque

[1] Matth. IX, 12.

concoquere ipsum potuit, omnis ejus virtus elanguit : propterea cum ipso reliquum quem habebat cibum ejecit, dum hominum naturam simul evomuit. Neque enim deinceps illam in finem poterit continere. Propterea steriles quoque præcesserunt, ut etiam partus fides fieret, vel potius non modo ut fides partus fieret, sed si exacte examinare velimus, ipsius etiam mortis figuram sterilitatem fuisse reperiemus.

IV. Sed attendite : subtile namque est quod dicemus : quippe dicturi sumus quo pacto ad fidem resurrectionis nos uteri Sarræ sterilitas quasi manu ducat. Quoniam igitur pacto manu ducit? Quemadmodum illa cum esset mortua beneficio Dei suscitata est, et Isaaci corpus vivum germinavit : sic cum esset mortuus Christus propria virtute resurrexit. Neque violentam esse nostram expositionem, audi qua ratione Paulus testetur : Cum enim de Abrahamo dixisset : « Non consideravit emortuam vulvam » Sarræ, sed confortatus est fide dans gloriam Deo, plenissime sciens, quia quæcumque promisit, potens est et » facere[1] : » hoc est, efficere ut ex corporibus mortuis filius vivus enascatur : deinde ab illa fide, ut ad hanc nos deduceret, adjecit : « Non est scriptum tantum propter » ipsum, quia reputatum est illi : sed et propter nos[2]. » Ad quid? « Quibus reputabitur, inquit, credentibus in » eum, qui suscitavit Jesum Dominum nostrum a mor- » tuis. » Quod autem dicit, est ejusmodi. Isaacum ex mortuis corporibus excitavit : sic etiam filium suum qui mortuus erat suscitavit. Visne alterius etiam rei symbolum fuisse sterilitatem cognoscere? Multitudinem fidelium paritura erat Ecclesia : ut igitur credere minime recusares quo pacto infecunda, infrugifera, sterilis peperisset, præcessit ea, quæ natura sterilis erat : quæ sterili volun-

[1] Rom. IV, 19. — [2] Ibid. 24.

tati viam præmuniret, et Sarra facta est Ecclesiæ figura. Nam ut illa cum sterilis esset, peperit in senecta : sic et ista cum sterilis esset, novissimis temporibus peperit. Atque hoc verum esse, quo pacto Paulus testetur audi : « Nos autem sumus liberæ filii[1]. » Cum enim figura sit Ecclesiæ Sarra, quæ libera est, idcirco addidit, nos liberæ filios esse. Et rursus : « Itaque, fratres, secundum Isaac » promissionis filii sumus[2]. » Quid est hoc, promissionis? Quemadmodum illum natura non peperit, sic neque nos natura peperit, sed gratia Dei. Et rursus : « Quæ autem » sursum est Jerusalem libera est, quæ est mater nostra[3], » hæc est autem Ecclesia. « Accessistis enim ad Sion mon» tem, inquit, et civitatem Dei viventis, Jerusalem cœles» tem, et Ecclesiam primitivorum[4]. » Si ergo superna Jerusalem est Ecclesia, porro Jerusalem supernæ figura est Sarra, prout dixit, « Duæ sunt, una quidem in servi» tutem generans, quæ est Agar : quæ autem sursum est » Jerusalem libera est, quæ est mater nostra[5] : » manifestum est Jerusalem, quæ sursum est, figuram esse Sarram habita ratione partus ac sterilitatis.

V. Scio subtiliora esse quæ diximus : sed si attendamus, nihil eorum nos effugiet, quæ dicuntur. Hi ergo pleniores mysteriorum sunt dogmatumque sermones : sed si lubet, accommodatiorem ad mores cum illis proferemus. Sterilis erat uxor, ut castitatem mariti cognoscas : quod nec illam expulerit, tametsi tum id lex nulla prohiberet, neque alteram ductam præter liberam introduxit : quod tamen faciunt multi quærendorum specie liberorum, ut luxuriam suam expleant, et has ejiciunt, illas introducunt : alii quoque pellices in eas armant, et infinitis pugnis ac rixis domos complent. At non ita justus ille : sed quietus erat data

[1] Galat. IV, 31. — [2] Ibid. 28. — [3] Ibid. 26. — [4] Hebr. XII, 13. — [5] Galat. IV, 24.

sibi a Deo uxore contentus, ac naturæ Dominum precabatur, ut naturæ vincula solveret, neque uxori exprobravit. Unde vero constat eum non exprobrasse? ex ipsa Scriptura. Si exprobrasset, hoc quoque scriptura dixisset, neque tacuisset : si quidem et præclara facinora, et vitia justorum commemorat, ut hæc fugiamus, illa æmulemur. Cum igitur apud filium ejus nurus ipsius Rachel lamentaretur, et ille objurgaret, expressit utrumque, nec celavit Scriptura. Cum enim dixisset : « Da mihi liberos : si autem non moriar[1] : » quid ille ait? « Numquid Deus ego, qui privavit te fructu » ventris? Da mihi liberos. » Muliebris postulatio, et a ratione aliena. Marito dicis, da mihi liberos et naturæ Dominum prætermittis? Idcirco et ille cum illam increpando respondisset, absurdam ejus petitionem repressit, et a quo petendum esset edocuit. At non ita iste, neque tale quidquam ipse dixit, neque apud istum illa conquesta est aut lamentata. Hinc castitatem docemur simul et fidem. Nam cum Deum precetur, fidem ejus hoc indicat : cum vero nequaquam uxorem ejiciat, id ejus manifestam reddit castitatem : cum autem non exprobret, neque desperet, id patientiam ejus et animi moderationem, multamque modestiam et amorem erga uxorem ostendit. Neque enim, quemadmodum nunc multi factitant, qui in ejusmodi ærumnis ad veneficia præstigiasque confugiunt, illa superflua, inutilia, noxia, animæque lethifera ille fecit, sed omissis omnibus his, cunctisque contemptis rebus humanis, ad naturæ Dominum, qui poterat his solus mederi, recurrit.

VI. Audite hæc mariti, discite uxores, imitemur justum omnes, nihil pluris faciat uxor, quam virum : nihil magis vir diligat, quam uxorem. Hoc omnium nostrum vitam tuetur, hoc mundum continet universum. Nam quemad-

[1] Gen. xxx, 2.

modum concusso fundamento totum corruit ædificium: sic etiam cum dissidia inter conjuges oriuntur, tota vita nostra subvertitur. Vide namque: mundus ex urbibus constat, urbes ex domibus, ex viris ac uxoribus domus. Si igitur inter viros et uxores pugna consurgat, dum ista turbantur, etiam urbes evertuntur: quod si urbes turbentur, universum etiam orbem omnino necesse est tumultibus, bellis, pugnisque compleri. Propterea Deus istius rei maxime curam gerit: Propterea uxorem ejici non sinit, præterquam ob solam fornicationem. Quid igitur si contumeliosa sit, dicet aliquis, si profusa sit et sumptuosa, et innumeris aliis vitiis scateat? patienter fer omnia, neque propter vitia ejice, verumtamen vitia corrige. Propterea tu capitis locum tenes, ut corpori scias mederi. Nam neque si corpus nostrum innumeris sit confossum vulneribus, illud a capite separamus. Ne igitur uxorem quoque separes a te ipso: nobis enim corporis loco est uxor. Quam ob causam beatus etiam Paulus aiebat: « Viri diligere uxores » sic debent, ut corpora sua[1]. » Et pro uxoribus eadem lex datur: sicut tuum caput amas, et colis uxor, ita virum tuum cole: neque enim sine causa tantam istius rei rationem habemus. Scio quot bona conciliet istud, si nullum inter virum et uxorem dissidium oriatur: scio quot malorum occasiones pariat, si inter se contendant. Tunc enim non divitiæ, non felicitas quam boni afferunt liberi, non multitudo liberorum, non magistratus ac principatus, non gloria, non honor, non deliciæ, non sumptus, non alia quævis felicitas uxorem exhilarare, vel virum poterit, si inter se rixentur.

VII. Huic potissimum rei præ cæteris omnibus studeamus. Vitiosa est uxor, fac quod Isaac fecit, Deum precare. Si enim ille precum assiduitate debilitatem solvit naturæ,

[1] Ephes. v, 28.

multo magis nos, si assidue Deum oremus, poterimus vitia voluntatis corrigere. Si te Deus viderit studio suæ legis observandæ tolerare patienterque ferre delicta uxoris, ad illam docendam te juvabit, ac patientiæ tibi mercedem rependet. « Unde enim scis, vir, inquit, si uxorem salvam » facies? aut unde scis, uxor, si virum salvum facies[1]? » Noli autem animum despondere, noli desperare. Fieri enim potest ut ipsa quoque salva fiat : quod si se non corrigat, tu tamen patientiæ mercedem non amittes : sin autem ejeceris, illud unum primum peccasti, quod legem transgressus fueris, et adulter apud Deum judiceris : « Quicumque » enim ejecerit uxorem suam, inquit, excepta fornicationis » causa, facit eam mœchari[2]. » Sæpenumero autem accepta difficiliori, peccatum admisisti, nec tamen ullam relaxationem aut quietem nactus es. Sin meliorem assumpseris, non permittitur tibi, ut sincera voluptate perfruaris ex secunda, ob dimissionem prioris, cum inde tibi adulterium imputetur. Est enim adulterium priorem dimittere. Cum igitur aliquam videris oriri difficultatem vel in matrimonio, vel in aliquo alio rerum statu, Deum precare : hic solus optimus e malis emergendi modus. Magna quippe est orationis armatura. Hoc et sæpenumero dixi, et nunc dico, neque dicere cessabo : licet peccator sis, converte oculos tuos in publicanum qui repulsam non tulit, qui tam multis se peccatis expiavit. Visne intelligere quanta res sit oratio? Non tam valet amicitia apud Deum quam oratio. Neque meus est hic sermo : neque enim auderem tanti momenti rem ex mea sententia definire ; audi ex Scriptura, quod amicitia non perfecit, id ab oratione esse perfectum. « Quis ex vobis est, qui habebit amicum, et ve» niens dicet ei, Amice, commoda mihi tres panes : et ille » respondens dicet illi, Ostium clausum est, pueri sunt in

[1] 1 Cor. VII, 16. — [2] Matth. V, 32.

»cubili : noli mihi molestus esse. Dico enim vobis, etsi »quod amicus ejus sit, non dabit ei, propter importunitatem tamen ejus dabit ei quotquot habet necessarios[1].» Vides quo pacto quod non potuit amicitia, hoc assiduitas potuerit? Nam quoniam fuit amicus, qui petebat, ne propterea rem illum perfecisse censeres, dixit, « Etsi quod »amicus ejus sit non dabit ei, propter importunitatem »ejus dabit ei.» Licet id amicitia non præstet, inquit, assiduitas tamen præstabit id quod amicitia minime potuit. Et ubi tandem id accidit? In publicano. Neque enim erat amicus Deo publicanus, sed amicus est factus : itaque licet inimicus sis, assiduitate fies amicus. Vide etiam Syrophœnissam, et audi quid illi dicat : « Non est bonum sumere »panem filiorum, et dare canibus[2].» Cur igitur id fecit, si bonum non est? assiduitate mulier id bonum effecit, ut discas nos quibus digni minime sumus, iis per assiduitatem dignos evadere.

VIII. Hæc ego dixi, ne dicas peccator sum, fiduciam non habeo, preces non habeo. Ille fiduciam habet qui se non habere illam putat : sicut is qui se fiduciam habere putat, fiduciam amisit, quemadmodum Pharisæus : qui vero se ipsum abjectum putat et fiducia destitutum, is maxime exaudietur, quemadmodum Publicanus. Vide quam multa tibi exempla suppetant, Syrophœnissa, Publicanus, Latro in cruce, amicus in parabola, qui tres panes petebat, quique non tam propter amicitiam, quam propter assiduitatem obtinuit. Horum unusquisque si dixisset : Peccator sum, et pudore suffusus, et idcirco accedere non debeo, nihil promisisset. At quoniam illorum quisque non ad peccatorum suorum respexit magnitudinem, sed ad divitias benignitatis Dei, confidens et audax fuit, et quamvis peccator præter dignitatem suam postulavit, et quæ vo-

[1] Luc. XI, 5. — [2] Matth. XV, 26.

luit quisque perfecit. Hæc igitur omnia mente versemur, et assidue preces fundamus, vigiles, confidenter, bonæ spei pleni, multo cum studio. Quanto cum studio cæteri adversus inimicos preces fundunt, tanto cum studio nos pro inimicis et pro fratribus preces fundamus, et omnino cuncta quæ in rem nostram fuerint obtinebimus. Benignus enim est qui largitur, nec adeo nos desideramus accipere, ut desiderat ille largiri. Hæc igitur omnia cum sciamus, licet in infimum nequitiæ profundum simus devoluti, ne sic quidem de salute nostra desperemus, sed bona etiam cum spe accedamus, nobisque persuadeamus omnino fore ut quod patimur assequamur, si ex præscripto latarum ab ipso legum petamus. « Eum qui potest omnia facere su- » perabundanter quam petimus et intelligimus, » Christum omnium regem Deum nostrum decet omnis gloria, honor et adoratio, una cum Patre initii experti, ac sanctissimo vivificoque Spiritu, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA

In Eutropium eunuchum Patricium ac Consulem.

I. Semper quidem[1], nunc vero maxime opportunum est dicere, « Vanitas vanitatum, et omnia vanitas[2]. » Ubi nunc inclytus ille consulatus splendor? ubi illustres illæ faces? ubi applausus illi ac choreæ, epulæque et festi conventus? ubi coronæ et aulæa? ubi strepitus urbis, et illæ circensium faustæ acclamationes, spectatorumque adulationes? Omnia

[1] Vide D. Guillon, tom. XVI, p. 1-29. — [2] Eccle. I, 1.

illa perierunt: procella vehemens folia dejecit, arborem spoliatam reddidit, jam radicitus vacillantem: tantaque vis venti impacta est, ut cum nervos ejus universos concusserit, tum ipsam funditus prosternere minetur. Ubi nunc fucati illi amici? ubi compotationes et cœnæ? ubi parasitorum examen, et merum per totam diem exhaustum, variæque coquorum artes, et potentatus cultores illi, ad gratiam omnia dicere ac facere assueti? Omnia illa nihil nisi nox et somnium fuerunt, et appetente die evanuerunt: flores fuerunt verni, et vere exacto emarcuerunt omnia: umbra erant, et præterierunt: fumus erant, et soluta sunt: bullæ erant, et dirupta sunt: araneæ erant, et lacerata sunt. Quapropter spirituale hoc dictum occinimus, frequenter dicentes, « Vanitas vanitatum, et omnia vanitas. » Hoc enim dictum in parietibus, in vestibus, in foro, in ædibus, in viis, in januis, in atriis; sed potissimum in ipsa cujusque conscientia continenter inscriptum esse oportet, omnique tempore cogitationi obversari: quandoquidem negotia fraudulenta et personata ac mimica veritatis opinionem apud plerosque sibi paraverunt: hoc dicto, in prandio, in cœna, in cœtu hominum, quemque proximum suum compellare oportebat, idemque ab illo vicissim audire, nempe « Vanitas vanitatum, omnia vanitas. » Annon assidue tibi dicebam fugitivas esse divitias? tu vero nos non ferebas: annon dicebam eas ingratum domesticum esse? tu vero credere nolebas: Ecce experientia docuit non solum fugitivas et ingratas, sed homicidas etiam esse, ut quæ in tremorem ac metum nunc te conjecerint. Nonne dicebam tibi, cum me indesinenter objurgares vera monentem, me tibi potius amicum esse, quam adulatores; me qui arguerem, majorem tui curam gerere, quam eos, qui tibi per omnia obsequerentur? Nonne et hoc addebam, fide digniora esse vulnera ab amicis, quam voluntaria os-

cula inimicorum[1]? Si mea vulnera tulisses, haudquaquam tibi illorum oscula hoc exitium attulissent : mea enim vulnera sanitatem afferunt, illorum oscula morbum immedicabilem tibi conciliaverunt. Ubi nunc pocillatores tui? ubi qui in foro populum de via decedere cogebant, tuasque laudes passim apud omnes prædicabant? Transfugerunt, abnegarunt tuam amicitiam, suam securitatem tuis periculis quærunt. At non tales nos, sed et tunc quamvis ægre ferentem non destituimus, et nunc collapsum protegimus ac curamus. Ecclesia a te hostiliter habita, expanso sinu te suscepit : theatra autem magnis obsequiis a te culta, quorum causa sæpius nobis infensus fuisti, et prodiderunt te et perdiderunt : attamen nunquam destitimus his te verbis alloqui : Cur ista facis? in Ecclesiam debaccharis, et te ipsum in exitium præcipitem agis : et tu hæc omnia monita negligenter prætercurrebas. Et circensis quidem multitudo exhaustis in se tuis facultatibus gladium in te acuit : Ecclesia vero importuno tuo furore exagitata, ultro citroque cursitat, si quo pacto te ex his cassibus implicitum extricare queat?

II. Et hæc nunc dico, non quod prostrato insultem, sed quod eos qui adhuc stant, tutiores reddere cupiam : nec ut plagas vulnerati refricem, sed ut nondum vulneratos in sanitate conservem : non ut jactatum fluctibus demergam, sed ut eos, qui secundis auris navigant, erudiam, ne forte in profundum deferantur. Quo autem modo caveri possit? Nimirum si rerum humanarum mutationes consideremus. Si enim iste mutationem timuisset, nunc eam non pateretur. Sed quoniam iste nec domesticis nec alienis consiliis corrigi potuit, vos saltem qui divitiis extollimini, hujus calamitatem in vestrum profectum convertite : nihil enim est humanis rebus infirmius : quapropter quocumque

[1] Prov. xxvii, 6.

nomine earum vilitatem significaveris, minus quam pro rei veritate dixeris: vel si fumum eas, vel fœnum, vel somnum, vel flores vernos, vel quidlibet aliud nominaveris: usque adeo sunt fragiles, et magis nihili quam nihil ipsum; quod autem non solum nihili sint, sed et in præcipiti stent, vel hinc apparet. Quis hoc homine fuit excelsior? nonne in toto orbe divitiis præcellebat? nonne ad ipsa fastigia honorum conscendit? nonne omnes eum formidabant ac verebantur? Sed ecce factus est et vinctis miserior, et servis miserabilior, et mendicis fame tabescentibus indigentior, per singulos dies gladios præ oculis habens in se exacutos, et barathra et carnifices, et viam quæ ad supplicium ducit: ac neque memoria præteritarum voluptatum fruitur, imo ne luce quidem communi, sed meridie quoque tanquam in densissima nocte angustiis parietum inclusus, oculorum usu privatur. Et quorsum hæc commemorare attinet, cum quantumvis adnitar, nullis verbis exprimere valeam, quis illi animus sit, per singulas horas capitis supplicium expectanti? Aut quid nostris verbis opus est, cum ipse hæc nobis tanquam in imagine depingat? Heri namque missis ad eum ab Imperatore qui vel per vim hominem pertraherent, cum ad sacrarium confugisset, nihilo meliorem, ut nunc quoque, quam mortui colorem obtinebat: tunc dentium stridor, tremor totius corporis, vox singultiens et lingua titubans, in summa talis habitus, qualem oportebat habere animam quæ lapidea esset.

III. Hæc dico non exprobrandi causa, neque insultans ejus infortunio, sed ut vestrum animum molliam, et ad commiserationem pertraham, eoque inducam ut præsenti hominis pœna sit contentus. Quoniam enim multi sunt e nostris adeo inhumani, ut nos etiam incusent, qui eum sacrario excepimus; illorum duritiem notris sermonibus

mollire volens, miserias istius traduco. Quid enim est, quæso, dilecte, quod indigne fers? dices, quia in Ecclesiam confugit, qui eam indesinenter impugnabat. Atqui hoc potissimum nomine glorificandus erat Deus, quod permisit eum in tanta constitui necessitate, ut et potentiam Ecclesiæ et clementiam disceret: potentiam, eo quod in tantam inciderit mutationem ob bella quæ ipsi intulerat: clementiam vero, quod ipsum objecto nunc scuto protegat, et alarum obtentu tueatur, præteritarumque injuriarum oblita, sinus ei amantissime pandat. Hoc enim quovis tropæo splendidius, quavis victoria illustrius; hoc ethnicos, hoc Judæos pudefacit; hoc placiditatem vultus ejus ostentat, quod hosti captivo parcat, et ab omnibus desertum ac contemptum sola ut amantissima mater suis velamentis occultet, Imperatoris simul iræ et intolerabili populi furori ac odio se opponens: hoc ipsum est eximium altaris ornamentum. Dices, Hoccine ornamentum, hominem scelestum, avarum, rapacem altare contingere? Cave talia dixeris: quandoquidem et meretrix pedes ipsius Christi contigit, incesta illa et impura: nec tamen hoc in crimen Domino Jesu cessit, sed in laudem magnam et admirationem: neque enim purum impura offendit, sed scelestam meretricem purus et inculpabilis suo contactu purificavit. Cave injuriarum memineris, o homo. Crucifixi illius servi sumus dicentis: « Remitte illis, non enim » sciunt quid faciunt[1]. » Dices, at præclusit hujus loci refugium legibus scriptis, quibus hoc irritum facere conatus est. At nunc re ipsa didicit, quale sit quod fecit: et suomet facto legem suam primus abrogavit, factus orbis totius spectaculum: et sileat licet, omnes tamen admonet; nolite hæc facere, ne qualia ego patiamini. Sua calamitate alios docet, et altare hoc ipso illustrem ex se splendorem

[1] Luc. XXIII, 34.

emittit, ac vel hinc tremendum videtur, quod leonem vinctum contineat : quandoquidem et regiæ effigiei non tantum ornatus ex eo contingat, si solio rex sublimi sedeat purpuratus et diademate redimitus, quantum si sub pedibus quoque regiis barbari manibus post terga revinctis proni jaceant. Et quod verbis non sit usus ad persuadendum paratis, vosmet festinatione vestra ac concursu attestamini. Etenim præclarum hodie nobis spectaculum et hilaris conventus contingit : nec minorem nunc video populi frequentiam, quam in sacra Paschæ celebritate : adeo exciti estis istius silentio, quod impræsentiarum quavis tuba clariorem sonum emittit. Et virgines thalamis, et mulieres gynæceis desertis, et viri foro vacuo relicto, universi huc concurristis, ut humanam naturam traduci videretis, et sæcularium negotiorum momentaneam mutabilitatem detegi, illamque meretriciam faciem heri ac nudius tertius præclarissime splendentem (talis enim est ex alienis injuriis felicitas, quæ rugosa quavis anicula deformior apparet) rerum mutatione tanquam spongia quadam tectoria fucosque abstersisse.

IV. Tanta nempe est hujus infortunii vis, quæ virum felicem ac conspicuum, nunc omnium abjectissimum reddidit. Introeat dives aliquis, et magnam utilitatem percipiet : videns enim tam celso fastigio delapsum eum qui totum orbem nutu concutiebat, ac formidine contractum, quavisque rana aut lepore timidiorem, et absque vinculis columnæ huic hærentem, et vice catenæ timore affixum trementemque, reprimet arrogantiam, fastum exuet, et consideratis quæ in humanis casibus consideranda sunt, discedet re ipsa doctus, quæ scripturæ nos docent. Quale est illud : « Omnis caro fœnum, et omnis gloria hominis » ut flos fœni : aruit fœnum, et flos ejus decidit[1] : » item

[1] Isaï. XL, 7.

illud : « Sicut fœnum velociter arescent, et sicut olera » herbarum cito decident : quoniam sicut fumus dies ejus sunt[1] : » et reliqua similia. Contra pauper introgressus, et hoc spectaculum animadvertens, non displicet sibi ipse, neque sortem suam deplorat ; sed gratias insuper paupertati habet, quæ sibi et asyli vice sit tutissimi, et portus tranquillissimi, et arcis munitissimæ : et his visis, si detur optio, mallet præsenti conditione contentus esse, quam omnium facultatibus paulisper occupatis, mox in proprii sanguinis periculum venire. Vides non parvam utilitatem divitibus et pauperibus, et celsis et humilibus, servis et ingenuis, ex hoc istius refugio enatam esse? Vides ut cum remedio quisque hinc abeat, hujus rei spectaculo affectus curans suos? Num igitur mollivi vestros animos, aut indignationem expuli? num inhumanitatem extinxi? num ad commiserationem adduxi? equidem adduxisse me opinor : idque ex vultibus vestris ac lacrymis colligo. Quandoquidem igitur petra cordis vestri in pinguem et fertilem agrum versa est, age jam fructum quoque misericordiæ proferentes, uberesque commiserationis spicas præ nobis ferentes, procumbamus Imperatori ad genua : vel potius deprecemur benignissimum Deum, ut molliat iram Imperatoris, et cor illi tenerum dare dignetur, quo hanc gratiam integram ab ipso auferre possimus. Jam enim ex illo die quo huc confugit iste, non parva est facta mutatio : postquam enim cognovit Imperator eum ad asylum hoc se recepisse, affluente exercitu et concitato ob ejus crimina, deposcenteque hominem ad supplicium, longam habuit orationem qua militarem indignationem compesceret, postulans ut non culparum modo, sed etiam recte factorum rationem haberent : ut qui pro illis gratiam haberet, et si quid secus accidisset, tanquam homini ignoscendum duceret. Cum autem

[1] Psal. xxxvi, 2, et ci, 4.

illi de integro urgerent ad vindictam læsi Imperatoris, clamantes, exilientes, ad mortem deposcentes, hastas vibrantes : tum vero fontes lacrymarum clementissimis suis oculis effundens, et sacrosanctæ mensæ, ad quam perfugerat, religionem illis incutiens, ægre tandem iram eorum sedavit.

V. Admoveamus igitur nos quoque quæ a nobis adhiberi par est. Qua enim ipsi venia digni essetis, si Imperatore propriam injuriam condonante et oblito, vos nihil tale passi in ira obstinate pergeretis ? aut quomodo hoc spectaculo soluto sacramenta contrectabitis, et precationem illam dicetis, qua rogare jubemur : « Dimitte nobis sicut » et nos dimittimus debitoribus nostris[1], » si a debitore vestro pœnas exigatis ? Injuriis vos forte magnis affecit ac contumeliis ? ne nos quidem istud inficias ibimus. Sed non tribunalis est præsens tempus, sed misericordiæ potius : non repetundarum, sed clementiæ : non examinis, sed condonationis : non suffragiorum ac calculorum, sed miserationis ac gratiæ. Ne igitur quis vestrum accendatur, neve ægre ferat, sed potius mitissimum Deum deprecemur, ut reo vitam proroget, eumque ex impendente cæde eripiat, ut ipse errata sua corrigat : et communi opera interpellemus clementissimum Imperatorem pro Ecclesia et altari, unum hominem sacrosanctæ mensæ donari obsecrantes. Quod si fecerimus, et Imperatori gratum faciemus, et Deus prius quam Imperator factum nostrum approbabit, magnamque nobis hujus humanitatis mercedem retribuet. Sicut enim crudelem et inhumanum aversatur et odit : ita misericordem et humanum amplectitur et amat : eique sive justus sit, splendidiores plectit coronas : sive peccator, peccata ejus dissimulat, commiserationis erga conservum talionem illi retribuens. « Mise-

[1] Matth. VI, 12.

»ricordiam volo, inquit, et non sacrificium[1].» Et per universam Scripturam vides eum semper hoc requirere, atque hanc esse dicere peccatorum medelam. Proinde nos quoque ad hunc modum illum propitium reddemus, sic peccata nostra redimemus, sic Ecclesiam ornabimus, sic et Imperator clementissimus, ut dixi, nos laudabit : ita fiet ut universus populus nobis applaudat, et usque ad fines orbis terræ humanitatis et clementiæ nostræ fama celebretur, et hoc comperto ubique terrarum laude afficiamur. Ut igitur talibus bonis frui contingat, procidamus ad genua, obtestemur, deprecemur : eripiamus e periculis captivum, profugum, supplicem, ut et ipsi futura bona consequamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui gloria et imperium nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA

Cum extra Ecclesiam deprehensus Eutropius abreptus fuit. De paradiso seu horto, et de Scripturis ; atque in illud, Astitit regina a dextris tuis[2].

I. Suave pratum, suavis est hortus, at longe suavior divinarum Scripturarum lectio[3]. Illic quippe marcescentes flores, hic sententiæ vividæ : illic zephyrus spirat, hic aura Spiritus : illic spinæ sepiunt, hic providentia Dei tutatur : illic cicadæ cantitant, hic Prophetæ modulantur : illic ex aspectu voluptas, hic ex lectione utilitas. Hortus

[1] Osee. VI, 6. — [2] Psal. XLIV, 10. — [3] Vide D. Guillon, tom. XIII, p. 153-163.

uno in loco, Scripturæ ubique terrarum. Hortus tempestatum necessitati subditus est, Scripturæ et hyeme et æstate comantes foliis, fructibus onustæ sunt. Attendamus igitur Scripturarum lectioni : nam si Scripturæ attendas, abigit illa mœrorem, voluptatem inserit tibi, malitiam tollit, virtutis radices roborat, nec sinit in negotiorum tumultu fluctuantium more turbari. Furit pelagus : tu vero cum tranquillitate navigas ; vice namque gubernatoris habes Scripturarum lectionem : hunc enim funiculum non abrumpit negotiorum tentatio. Quod autem non mentiar, res ipsæ testificantur. Ante dies aliquot obsessa fuit Ecclesia : venit exercitus, qui ignem oculis emittebat, neque tamen olivam marcidam reddidit : nudabantur enses nemoque vulnus accepit : Imperatoria ostia in anxietate versabantur, et Ecclesia in tuto posita erat, etiamsi huc bellum eruperit. Hic quærebatur is, qui huc confugerat : illorumque furorem non formidantes astitimus. Quare? Aderat nobis tutissimum pignus, nempe illud : « Tu es Petrus, » et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et » portæ inferi non prævalebunt adversus eam [1]. » Ecclesiam dico, non locum tantum, sed mores ; non muros Ecclesiæ, sed leges Ecclesiæ. Cum confugeris in Ecclesiam, non locum pete, sed animo transfuge. Ecclesia enim non murus et tectum, sed fides et vitæ ratio est. Ne dicas eum, qui proditus est, ab Ecclesia proditum esse : nisi deseruisset Ecclesiam, captus non fuisset. Ne dicas ipsum confugisse et proditum fuisse : non Ecclesia ipsum dimisit, sed ipse Ecclesiam dimisit. Non intus proditus est, sed foris. Cur reliquit Ecclesiam? Te servatum volebas? altare complecti oportebat : non hi muri, sed Dei providentia te tutum præstare poterat. Peccator eras? non te Deus ideo respuit : non enim venit vocare justos,

[1] Matth. xvi, 18.

sed peccatores ad pœnitentiam. Meretrix salutem consecuta est, quia pedes apprehendit. Audistis-ne hodiernam lectionem? Hæc porro dico, ut nunquam dubites in Ecclesiam confugere. Mane in Ecclesia, et non proderis ab Ecclesia. Quod si fugeris ab Ecclesia, tunc Ecclesia in causa non erit. Nam si intus fueris, lupus non ingreditur; sin exieris, a bellua capieris; verum non caula, sed pusillanimitas tua in causa erit. Nihil Ecclesiæ par est : ne mihi commemores muros et arma; muri enim tempore deteruntur, Ecclesia vero nunquam senescit. Muros barbari demoliuntur, Ecclesiam ne dæmones quidem vincunt. Quod hæc non sint jactantiæ verba, res ipsæ testantur. Quot Ecclesiam oppugnarunt, ipsique perierunt? Ecclesia vero cœlos transcendit. Talis est Ecclesiæ magnitudo, vincit impugnata, insidiis appetita superat, contumeliis affecta splendidior evadit : vulnera excipit, nec ulceribus cadit; agitata fluctibus non demergitur, procellis impetita naufragium non patitur: luctatur, nec prosternitur; pugilatu certat, nec vincitur. Cur ergo bellum permisit? Ut illa splendidius tropæum erigeret. Aderatis illo die, ac vidistis quanta moverentur arma : militaris furor igne vehementior erat : nosque ad aulam imperatoriam properabamus. Sed quid? per Dei gratiam nihil eorum nos terruit.

II. Hæc porro dico, ut et vos imitemini. Cur non perterriti sumus? quod nullum præsentium malorum formidaremus. Quid enim grave est? an mors? nequaquam gravis est illa, citius enim ad tranquillum portum deveniemus. An bonorum publicationes? « Nudus egressus sum » de utero matris meæ, et nudus revertar[1]. » Num exilia? « Domini est terra, et plenitudo ejus[2]. » Num calumniæ? « Gaudete et exultate, cum dixerint omne malum verbum » adversum vos mentientes, quoniam merces vestra multa

[1] Job. I, 21. — [2] Psal. XXIII, 1.

» est in cælis[1]. » Videbam gladios, et cælum cogitabam : expectabam mortem, et in mentem veniebat resurrectio : has infimas ærumnas cernebam, et superna præmia numerabam : insidias observabam, et supernam coronam meditabar : certaminum argumentum satis erat ad consolationem. Abducebar utique; sed id mihi contumeliæ non erat : una quippe contumelia est, peccatum. Licet enim te totus orbis contumelia affecerit; si eam tu tibi ipse non inferas, nequaquam contumelia affectus es. Proditio ea solum est, quæ ex conscientia procedit. Ne tuam prodas conscientiam, et nemo te prodet. Abducebar, et videbam negotia; imo potius verba mea in negotia conversa; nempe concionem meam, quam verbis habueram, in foro per res ipsas denunciatam. Quam concionem : Eam quam semper dicebam : Insufflavit ventus, et folia dejecit. « Ex» siccatum est fœnum, et flos decidit[2] : » abiit nox, et illuxit dies : rejecta est umbra, et apparuit veritas. Ascenderunt usque ad cœlos, et descenderunt usque ad planitiem. Fluctus enim, qui se in altum extulerant, per humana negotia depressi sunt. Quomodo? Doctrina erant ea, quæ gesta sunt. Et dicebam intra me ipsum : An posteri hinc erudientur? an duobus non transactis diebus hæc, quæ gesta sunt, oblivioni sunt tradita? Manentia erant illa monita. Rursus dicam, iterum loquar : Quæ hinc utilitas? Imo utilitas aderit. Licet enim non omnes audiant, pars saltem dimidia audiet; si nec dimidia pars, saltem tertia; si neque tertia, quarta : si non quarta pars, saltem decem; si non decem, quinque; si non quinque, saltem unus : si neque unus, ego paratam mercedem habeo. « Exsiccatum est fœnum, et flos decidit : verbum au» tem Dei manet in æternum[3]. »

III. Vidistis-ne humanarum rerum vilitatem? Vidistis-

[1] Matth. v, 12. — [2] Isaï. xl, 8. — [3] Ibid.

ne potentiæ fragilitatem? Vidistis-ne divitias, quas semper fugitivas dixeram, non modo fugitivas, sed etiam homicidas? Non enim solum se possidentes deserunt, sed etiam jugulant. Cum enim quis eas studiose colit, tum maxime illæ cultorem suum produnt? Cur divitias colis, quæ hodie penes te sunt, cras penes alium? Cur divitias colis, quæ nunquam retineri possunt? Vis eas colere, vis retinere? Ne defodias eas, sed in pauperum manus tradas. Feræ sunt divitiæ, si retineantur, fugiunt; sin dispergantur, manent: Nam « Dispersit, inquit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in sœculum[1]. » Disperge, ut maneant: ne defodias, ne fugiant. Ubinam sunt divitiæ? ut placide interrogem eos, qui tunc abcesserunt. Hæc autem non exprobrans dico, neque ulcera refricans, absit; sed ut aliorum naufragia in portum vobis convertam. Cum milites, cum gladii aderant, cum urbs incendebatur, cum diadema nihil poterat, cum purpura contumeliis afficiebatur, cum omnia furore plena erant, ubinam divitiæ? ubi vasa argentea? ubi argentei lecti? ubi domestici? In fuga omnes. Ubi eunuchi? omnes sese proripuerunt. Ubi amici? larvas ponebant. Ubi domus? claudebantur. Ubi pecuniæ? earum possessor aufugit. Et ubi tandem pecuniæ? defossæ sunt. Ubinam reconditæ? Num molestus vobis sum? num onerosus dum semper dico, divitias eos, qui ipsis male utuntur, prodere? Venit tempus, quo verborum veritas ostenderetur. Quid eas retines, quæ in tentatione nihil te juvare possunt? Si quid habent virium, adsint tibi cum in necessitatem incideris: si tunc diffugiunt, cuinam tibi usui sunt? ipsæ res testificantur. Quænam ex iis utilitas? Gladii acuti, mors imminens, exercitus furens, tot minarum expectatio: divitiæ vero nusquam comparent. Quo se subduxerunt illæ fugitivæ?

[1] Psal. CXI, 8.

ipsæ tibi hæc omnia mala procurarunt, et in tempore necessitatis fugiunt. Quanquam me multi semper accusant, quod divites incessam : at illi pauperes semper incessunt. Ego vero semper incesso divites; non, inquam, divites, sed eos, qui male divitiis utuntur. Semper enim dico me non criminari divitem, sed rapacem. Aliud dives, aliud rapax; aliud opulentus, aliud avarus. Res distingue, ne confundas ea, quæ commisceri non possunt. Dives es? non prohibeo? Rapax es? hoc do crimini. Tua possides? his fruare. Aliena rapis? non sileo. Vis me lapidare? paratus sum sanguinem profundere, peccatum duntaxat tuum prohibeo. Non curo odia, non bellum : una mihi cura est auditorum profectus. Filii mei sunt perinde divites atque pauperes : ambos enim eadem parturivit alvus; iisdem ambo doloribus nati. Si itaque pauperem incessas, te arguo : non tantum est damnum pauperis, quantum divitis : nam pauper non multum detrimenti patitur; in pecuniis enim læditur: tu vero in anima læderis. Qui vult cædat, lapidibus impetat, odio habeat. Materia quippe coronarum insidiæ sunt : præmiorum idem numerus, qui vulnerum.

IV. Insidias igitur non timeo : unum timeo peccatum. Ne me quis peccati arguere possit, et totus orbis me bello impetat. Hoc quippe bellum me splendidiorem efficit. Ita et vos instituere volo. Ne timeatis insidias viri potentis, sed timete vim peccati. Homo te non lædet, nisi tu te ipsum. Si peccatum non habeas, et innumeri adsint gladii, te Deus eripiet : si peccatum habeas, et in paradiso fueris, inde excides. In paradiso erat Adam, et cecidit; in fimo sedebat Job, et coronatus est. Quid illi profuit paradisus, quid huic obfuit fimus? Illi nemo insidiabatur, et supplantatus est? huic diabolus insidiabatur, et coronatus est. Nonne facultates ejus abstulit? Sed pietatem non eripuit. Nonne filios ejus sustulit? sed fidem non succussit.

Nonne corpus ejus sauciavit? Sed thesaurum non invenit. Nonne uxorem ejus armis instruxit? Sed militem non prostravit. Nonne tela sagittasque emisit? Sed ille vulnera non accepit. Machinas admovit, sed turrim non quassavit; fluctus induxit, sed navem non demersit. Hanc mihi legem servate, quæso, vestraque tango genua, et si non manu, saltem animo, lacrymasque fundo. Hanc mihi servate legem, et nemo vos lædet. Nunquam beatum prædicetis divitem; neminem miserum dicatis, nisi eum qui in peccato sit. Beatum prædicate eum qui in justitia. Non enim natura rerum, sed mens hominum et hunc et illum talem efficit. Nunquam gladios timeas, nisi conscientia te accuset: nunquam timeas in bello, si conscientia tua pura sit. Ubinam sunt ii, qui hinc abcesserunt? Nonne omnes demissi stabant, nonne qui in maxima dignitate constituti erant, tremebant illos? nonne venerabantur? Sed venit peccatum, et omnia prostrata sunt: famuli judices, adulatores carnifices effecti sunt: qui manus ejus osculabantur, ipsum ab Ecclesia abripuerunt: qui heri manum ejus osculabatur, hodie inimicus illius est. Quare? quia heri non vere illum diligebat. Venit tempus, et larvæ deprehensæ sunt. Annon heri manus osculabaris, eumque servatorem, curatorem et beneficum vocabas? Nonne laudes texebas innumeras? Cur hodie accusas? Heri laudator, hodie accusator? Heri laudes, hodie crimina offers? Quæ mutatio? Quæ translatio?

V. At non ego talis: qui insidiis appetebar, patronus effectus sum. Innumera gravia passus, non par pari retuli. Dominum meum imitor, qui in cruce dixit: « dimitte eis, » non enim sciunt quid faciunt[1]. » Hæc autem dico, ne malorum vos suspicio corrumpat. Quot mutationes extiterunt, ex quo civitati huic præfui, et nemo ad meliorem se

1 Luc. XXIII, 34.

frugem recipit? Cum autem dico, nemo, non omnes condemno, absit. Non enim fieri potest, ut hoc pingue arvum, sementem recipiens, segetem non proferat. Sed ego insatiabilis sum, nolo paucos, sed omnes salutem consequi. Si vel unus pereat, ego perii: puto me pastorem illum imitari, qui cum nonaginta novem haberet oves, ad unam quæ erraverat accurrit[1]. Quousque pecuniæ? quousque argentum, quousque aurum, quousque vinum effusum? quousque famulorum adulationes? quousque crateres coronati? quousque satanica convivia, diabolica operatione plena? Num nosti vitam præsentem esse peregrinationem? numnam tu civis? Viator es. Intellexisti quid dixerim? Non es civis, sed viator et peregrinus. Ne dixeris: Hanc et illam civitatem habeo. Nemo civitatem habet. Civitas sursum est. Præsentia via sunt. Quotidie igitur iter facimus, donec natura cursum perficit. Est qui in via pecunias recondat: est qui in via aurum defodiat. Ingressus diversorium, illudne exornas? Minime, sed comedis et bibis, atque hinc egredi festinas. Diversorium est vita præsens. Ingressi sumus, præsentem vitam finimus: curemus cum bona spe egredi, nihil hic relinquamus, ne illic nobis pereat. Ingressus in cauponam quid puero dicis? Vide quo loco res nostras deponis, ne quid hic relinquatur, ne quid quantumvis leve vel exiguum pereat, ut omnia domum reportemus. Sic et nos in præsenti vita: eam quasi cauponam respiciamus, nihilque hic relinquamus, sed omnia in metropolim reportemus. Viator es ac peregrinus, imo viatore vilior. Quomodo? Ego dicam. Viator scit quando ingreditur diversorium, et quando egreditur: in ejus enim arbitrio est egressus, quemadmodum et ingressus. Ego autem ingressus in diversorium, hoc est in præsentem vitam, quando egressurus sim ignoro.

[1] Luc. xv, 7.

Atque interdum pro lôngo tempore alimenta paro, et Dominus repente me vocat : « Stulte, quæ parasti cujus » erunt? Hac enim nocte accipient animam tuam[1]. » Incertus exitus, instabilis possessio, sexcenta præcipitia, undique procellæ. Cur insanis circa umbras? Cur relicta veritate ad umbras confugis.

VI. Hæc dico, nec dicere desinam, dolorem inferens, et vulnera comprimens; idque non propter eos qui ceciderunt, sed propter eos qui supersunt. Illi namque abscesserunt, finemque acceperunt : qui vero supersunt, eorum calamitatibus cautiores evaserunt. Et quid, inquies, faciemus? Unum hoc facito, pecunias odio habeas, et vitam tuam diligas. Abjice facultates, non dico omnes, sed superfluas reseca. Aliena ne concupiscas, viduam ne expolies, pupilli bona ne rapias, domum ne accipias : non personas dico, sed res. Si quem conscientia mordet, ipse in causa est, non meus sermo. Cur rapis ubi invidia? rape ubi corona? Ne rapias terram, sed cœlum. « Violentorum » est regnum cœlorum, et violenti rapiunt illud[2]. » Quid rapis pauperem accusantem? rape Christum laudantem. Vidisti improbitatem et insaniam? Rapis pauperem pauca possidentem? Christus dicit, Me rapito, rapinæ tibi gratiam habeo: regnum meum rapito, et vim facito, Terrenum regnum si rapere volueris, imo si id vel cogitaveris, supplicium lues : supernum vero si non rapueris, pœnas lues. Ubi mundana, ibi invidia : ubi vero spiritualia, ibi charitas. Hæc singulis diebus meditare ; ne post biduum cernens alium curru vectum, serico indutum vestimento, sese efferentem, conturberis aut stupeas. Ne laudes divitem, sed eum tantum qui in justitia vivit. Pauperem ne vituperes; sed circa res omnes disce recto et incorrupto uti judicio. Ab Ecclesia ne abstineas, nihil enim

1 Luc. XII, 20. — 2 Matth. XI, 12.

fortius Ecclesia, spes tua Ecclesia, refugium tuum Ecclesia. Cœlo excelsior et terra latior est illa. Nunquam senescit, sed semper viget. Quamobrem ejus firmitatem stabilitatemque demonstrans Scriptura montem illam vocat: ejus incorruptibilitatem, appellat virginem; magnificentiam ejus reginæ nomine declarat; cognationem, quam cum Deo habet, filiæ voce indicat; propter numerosam prolem illam olim sterilem, nunc vocat eam, quæ peperit septem; sexcenta nomina, ut ejus nobilitatem indicet. Quemadmodum enim Dominus ejus multa habet nomina; nam pater vocatur, via, vita, lux, brachium, propitiatio, fundamentum, ostium, impeccabilis, thesaurus, Dominus, Deus, filius, unigenitus, forma Dei, imago Dei: an sufficit nomen unum ad totum repræsentandum? Nullo modo: ideoque innumera sunt nomina, ut de Deo vel tantillum ediscamus. Sic et Ecclesia multis vocatur nominibus: Virgo appellatur, quæ tamen prius meretrix erat: nam, quod in sponso mirabile est, accepit meretricem, et effecit virginem. O rem novam et admirabilem! Nuptiæ apud nos virginitatem solvunt, nuptiæ apud Deum virginitatem resuscitant. Apud nos quæ virgo erat, nupta, non est virgo; apud Christum quæ meretrix erat, nupta, virgo efficitur.

VII. Hoc solum velim interpretetur hæreticus, qui de superna generatione curiosius inquirit, ac dicit, Quomodo genuit Pater? Dic illi, Quomodo Ecclesia, quæ meretrix erat, virgo effecta est? Quomodo illa quæ genuit, virgo permansit: « Æmulor enim vos Dei æmulatione, inquit » Paulus, despondi enim vos uni viro, virginem castam » exhibere Christo[1]. » O sapientiam, et intelligentiam, « Æmulor enim vos Dei æmulatione. » Quid hoc est? « Æmulor, inquit. » Æmularis tu qui spiritualis es. « Æmu» lor enim, » inquit, ut Deus. Ergo-ne Deus æmulatur?

[1] 2 Cor. XI, 2.

Etiam æmulatur, non animi morbo, sed charitate et zelotypia. « Æmulor enim vos Dei æmulatione. » Dicam tibi quomodo æmulatur. Vidit terram a dæmonibus corruptam, et Filium suum tradidit. Verba quippe de Deo dicta non eadem sunt vi prædita : exempli causa, æmulatur Deus, irascitur, pœnitentia movetur, odit, verba sunt humana, sed sensum habent Deo congruentem. Quomodo æmulatur Deus ? « Æmulor enim vos Dei æmulatione. » Irascitur Deus ! « Domine ne in furore tuo arguas me[1]. » Itaque etiam dormit Deus ? « Exurge, quare obdormis, Domine[2]. » Pœnitentia movetur Deus ? « Pœnitet, inquit, me fecisse » hominem[3]. » Odio habet Deus ? « Solemnitates vestras » et neomenias odit anima mea[4]. » Verum ne verborum vilitatem spectes, sed sententias, ut Deum decet, intellige. Æmulatur Deus, quippe qui diligat. Irascitur Deus, non animi motu, sed ultione et supplicio. Somnum capit Deus, non dormiens, sed diutius tolerans. Dictiones cum delectu accipe : sic cum audieris Deum gignere, ne sectiones cogites, sed consubstantialitatem. Verba enim multa similia a nobis mutuatus est Deus, ut et nos ab illo mutuati sumus, ut id nobis sit honori.

VIII. Intellexisti quid dixerim ? Attende sedulo, dilecte. Divina sunt nomina, et humana sunt nomina. A me accepit, et mihi dedit ipse. Da mihi tua, inquit, et accipe mea. Meorum opus habes verborum : non opus habeo ego, sed tu. Quia enim substantia mea incorrupta est : tu autem homo es corpori connexus, corporeas quærens dictiones ; ut tu corpori connexus, a notis tibi verbis sententias quæ te superant intelligas. Quænam accepit a me, quænam dedit mihi nomina ? Ipse Deus est, et Deum me vocavit : ibi natura rei, hic honor nominis. « Ego dixi,

[1] Psal. VI, 1. — [2] Id. XLIII, 25. — [3] Gen. VI, 7. — [4] Isaï. I, 14.

»Dii estis, et filii Excelsi omnes[1].» Hic verba sunt, illic rerum natura. Vocavit me Deum, hoc enim me honore dignatus est: ille vocatus est homo, vocatus est filius hominis, vocatus est via, ostium, petra. Hæc a me accepit, illa vero sibi propria nomina dedit mihi. Cur vocatus est via? ut discas nos per eum ad Patrem ascendere. Cur vocatus est petra? ut ediscas sinceram simul et inconcussam fidem. Cur vocatus est fundamentum? ut scias eum omnia portare. Cur vocatus est radix? ut discas nos in ipso florere. Cur vocatus est pastor? quia nos pascit. Cur vocatus est ovis? quia pro nobis immolatus, factus est propitiatio. Cur vita? quia nos mortuos suscitavit. Quare lux? quia nos a tenebris liberavit. Cur brachium dicitur? quia consubstantialis Patri. Quare Verbum? quia a Patre genitus. Quemadmodum enim verbum meum ab anima mea gignitur, sic et Filius a Patre genitus est. Cur vocatus est vestimentum? quia ipso indutus sum in baptismo. Cur mensa? quia ipsum comedo, dum fruor mysteriis. Quare domus? quia in ipso habito. Cur inhabitans dicitur? quia templum ejus efficimur. Cur caput? quia membrum ejus sum constitutus. Quare sponsus vocatus est? quia in sponsam me concinnavit. Quare castus dicitur? quia me virginem duxit. Cur Dominus vocatur? quia ancilla ejus sum.

IX. Vide enim Ecclesiam, ut dicebam, quomodo aliquando sponsa sit, aliquando filia, interdum virgo, nonnunquam ancilla, modo regina, modo sterilis, aliquando mons, deinde paradisus, interdum fecunda, modo lilium, aliquando fons: omnia est. Quamobrem his auditis, cave putes corporea illa esse: sed mentem tuam ad scopum dirige; corporea quippe talia esse non possunt: verbi gratia, mons non est virgo; virgo non est sponsa; regina non est ancilla. Ecclesia hæc omnia est. Quare? quia hæc non in corpore, sed in anima. Nam in corpore hæc contineri

[1] Psal. LXXXI, 6.

nequeunt : in anima vero magnum est pelagus. « Astitit » regina a dextris tuis[1]. » Regina illa conculcata et inops, quomodo facta est regina? quo ascendit? sursum astitit hæc regina, quomodo? quia rex factus est servus: non erat, sed factus est. Disce igitur quæ sunt divinitatis, et sapienter intellige quæ ad œconomiam spectant. Disce quis erat, et quis propter te factus sit: ne res confundas, neque ejus erga nos benignitatis argumentum, blasphemiæ occasionem efficias. Sublimis erat, et hæc humilis; sublimis non loco, sed natura. Incorrupta et immortalis erat substantia, incorrupta natura, incogitabilis, invisibilis, incomprehensibilis, semper existens, eodem modo existens, transcendens Angelos, supernis Virtutibus superior, ratiocinia superans, montem transcendens : videri non potest, credi solum potest. Angeli videbant et tremebant: Cherubim alas obtendebant præ metu. Respiciebat terram, et faciebat eam tremere : minabatur mari, et exsiccabat illud. Fluvios ex deserto educebat. Montes statuit in pondere, et saltus in statera. Quomodo narrabo, quomodo declarabo? Magnitudinis ejus non est terminus, sapientiæ ejus non est numerus, judicia ejus investigabilia, viæ ejus inscrutabiles. At ille tantus et talis, si tamen sine periculo dici potest, tantus et talis : verum quid faciam, homo sum, et humane loquor. Luteam possideo linguam, veniam a Domino postulo. Non enim ex arrogantia his vocibus usus sum, sed ex infirmitatis penuria, et ex linguæ nostræ natura. Propitius esto, Domine, non enim ex arrogantia hujusmodi voces usurpo, sed quod aliæ non suppetant. Neque tamen in dictionis vilitate consisto, sed alis intelligentiæ ascendo. Tantus et talis. Hæc dico, ut ne dictionibus vel dictorum inopiæ immorans, tu quoque id ipsum facere discas. Quid miraris si id ego facio, quod et

[1] Psal. XLIV, 10.

ipse facit, quando vult quidpiam indicare quod humana transcendat. Quoniam homines alloquitur, humanis utitur imaginibus, quæ quod dicitur satis quidem demonstrare non possunt, neque totam rei mensuram in medium adducere, sed ad auditorum infirmitatem sufficiunt.

X. Hic mentis contentionem adhibe, nec sermonis prolixitate fatiscas. Sicut enim cum apparet, non ut est videtur, neque nuda substantia apparet. Nemo enim vidit Deum, hoc ipsum scilicet quod ille est. Nam licet attemperatione quadam appareret, Cherubim tremebant. Attemperate descendit, et montes fumigant: attemperate descendit, et mare siccatur: attemperate descendit, et cœlum commovetur. Ac nisi attemperate descendisset, quis ferre potuisset? Ut enim non apparet id quod est, sed pro facultate ejus qui respicit; ideo aliquando senex apparet, aliquando juvenis; interdum in igne, interdum in aura; modo in aqua, modo in armis: non mutans substantiam, sed visum conformans ad subjectorum varietatem. Sic quoties vult quidpiam de se ipso dicere, humanis utitur imaginibus. Exempli causa ascendit in montem, « Et » transfiguratus est ante eos, et resplenduit facies ejus sicut » lux, vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix[1]: » aliquatenus ipsis divinitatem suam aperuit, ostendit eis inhabitantem Deum: « Et transfiguratus est ante eos. » Attendite sermoni diligenter: dicit, « Et transfiguratus est » ante eos, » et resplenduerunt vestimenta ejus sicut lux, et vultus ejus sicut sol. Quando dixi, tantus et talis, et dixi etiam, Propitius esto mihi, Domine: non enim in hac dictione persto, sed hæreo, nec habeo aliam compositam loquendi formam. Volo discas, me a scriptura hoc edoctum esse. Ejus ergo splendorem declarare voluit Evangelista, dicitque, resplenduit. Quomodo resplenduit, dic

[1] Matth. XVII, 2.

mihi : vehementer. Quo pacto dicis: « Sicut sol. » Sicut sol dicis? Etiam. Quare? Quia nullum aliud splendidius astrum dicendum habeo. Et albus erat « Sicut nix. » Quare sicut nix? quia nulla alia suppetit candidior materia. Nam quod non ad eum modum splenduerit, ex sequentibus ostenditur. Et ceciderunt in terram discipuli. Si resplenduisset sicut sol, non cecidissent discipuli : nam solem quotidie videbant, neque cadebant: sed quia plus quam sol, et plus quam nix resplenduit; ideo splendorem non ferentes ceciderunt.

II. Dic ergo mihi, o Evangelista, plusquam sol refulsit, et tu dicis, sicut sol? Etiam. Cum tibi lucem illam repræsentare volo, nullum astrum majus habeo, non aliam imaginem inter astra regnantem. Hæc dixi, ut ne in dictionis tenuitate consistas. Lapsum discipulorum ostendi. Ceciderunt in terram, sopore oppressi et aggravati sunt. « Surgite, » inquit, et excitavit eos; aggravatique erant. Splendoris quippe vehementiam non tulerant, sed sopor occupaverat oculos eorum; ita nempe lux illa splendens solem superabat. Dixit autem Evangelista, « Sicut sol : » quia hoc astrum notum nobis est, ut alia astra superans. Verum, ut dicebam, ille tantus et talis meretricem concupivit. An meretricem concupiscit Deus? Etiam meretricem, naturam dico nostram. Meretricem-ne concupiscit Deus? Homo quidem si meretricem concupiscat, damnatur, et Deus meretricem concupiscit? sane quidem. Homo meretricem concupiscit, ut fornicarius efficiatur: Deus vero meretricem concupiscit, ut eam virginem efficiat. Itaque concupiscentia hominis, concupitæ pernicies est: concupiscentia vero Dei, est concupitæ salus. Tantus ac talis meretricem concupivit? Quare? Ut fieret sponsus. Quid vero facit? Non mittit ad eam aliquem servorum, non mittit Angelum ad meretricem, non Archangelum, non Cherubim vel Se-

raphim : sed ipse amator accedit. Rursum cum audis amorem, ne putes eum esse qui sub sensum cadit. Delectum habe sententiarum in verbis, quemadmodum optima apis, quæ ad flores advolat, et favum accipit, herbasque relinquit. Meretricem concupivit : et quid facit? Non sursum eam ducit, nollet enim meretricem in cœlum adducere ; sed ille descendit. Quia illa non poterat sursum ascendere, ipse deorsum properat. Ad meretricem ingreditur, nec erubescit : in ejus latibulum intrat. Videt eam ebriam. Et quomodo venit? Non nuda substantia ; sed id efficitur, quod erat meretrix, non voluntate et proposito, sed natura : ne videns eum perturbaretur, ne resiliret, aut fugeret. Venit ad meretricem, et efficitur homo. Et quomodo efficitur? Gestatur in utero, paulatim crescit, venitque in viam ætatis meæ Quisnam? œconomia, non divinitas : servi forma, non Domini : caro mea, non substantia ejus : crescit paulatim, et cum hominibus miscetur : etsi invenit eam ulceribus plenam, efferatam, a dæmonibus oneratam. Ecquid facit? accedit ad eam. Vidit illa et fugit. Vocat ille Magos. Quid timetis? Non sum judex, sed medicus : non veni ut judicem mundum, sed ut salvum faciam. Statim Magos vocat. O rem novam atque mirabilem! Magi mox primitiæ sunt. In præsepi jacet qui portat orbem, et pannis involvitur, qui universa administrat. Ponitur templum, et inhabitat Deus. Veniunt Magi, et statim adorant : venit publicanus, et fit Evangelista : venit meretrix, et virgo efficitur : venit Chananæa, et benignitate fruitur. Id amantis erat peccatorum pœnas non reposcere, sed delicta peccataque condonare. Ecquid facit? Accipit eam, despondet sibi. Quid illi dat? Annulum : qualem? Spiritum sanctum. Dicit Paulus : « Qui autem confirmat nos vobiscum Deus, » qui et obsignavit nos, deditque pignus Spiritus sancti[1]. »

[1] 1 Cor. 1, 22.

Spiritum ei dat. Deinde ait: Nonne in Paradiso te plantavi? respondet, Etiam. Ecquo modo istinc excidisti? Venit diabolus, et ex paradiso me abripuit. Plantata eras in Paradiso, et te inde ejecit. Ecce in me ipso planto te, ego te gesto. Quomodo? Non audet ille ad me accedere. Non te in cœlum inducam: sed melius hic eris, quam in cœlo. In me ipso te porto, qui sum Dominus cœli. Pastor gestat, et lupus non ultra accedet; imo potius ut accedat permitto. Ille portat naturam nostram, et accedit diabolus, et vincitur. Plantavi te in me ipso. Ideoque dicit: « Ego radix, » vos palmites[1]. » Et plantavit eam in se ipso. Ecquid postea? Sed peccator sum, inquit, et immundus (2). Ne sis sollicitus, medicus sum. Novi vas meum, scio quo pacto depravatum sit. Luteum prius erat, et perversum est. Refingo illud per lavacrum regenerationis, et trado illud igni. Vide namque, accepit pulverem de terra, et fecit hominem; formavit eum. Venit diabolus, et pervertit eum. Venit ipse et denuo acceptum refinxit eum, denuo conflavit eum in baptismate; neque sivit ejus corpus esse luteum, sed testaceum ipsum effecit. Lutum tradidit igni Spiritus: « Ipse » vos baptizabit in Spiritu sancto, et igni[2]. » In aqua, ut reformaretur; in igni, ut consolidaretur. Ideo propheta olim vaticinans dicebat: « Tanquam vasa figuli conteres » eos[3]. » Non dixit, tanquam vasa testacea, quæ singuli possident. Sunt enim illa vasa figuli, quæ figulus in rota sua effingit. Sed vasa figuli lutea: nostra vero testacea. Prænuntians itaque conflationem per baptisma denuo repetendam, « Tanquam vasa, inquit, figuli conteres eos. » Refingit, inquit, et conflat. Descendo in baptisma, et refingitur forma mea, denuo conflat ignis spiritus, et efficitur testacea. Quod autem hæc non ex jactantia prodeant, audi Jobum: « Fecit autem nos lutum[4]. » Paulus autem: « Ha-

1 Joan. XV, 10. — 2 Matth. III, 11. — 3 Psal. II, 9. — 4 Job. XXXIII, 6.

» bentes autem thesaurum hunc in vasis testaceis[1]. » At vide testæ fortitudinem : non enim in igne coacta est, sed in spiritu. Quomodo testaceum est? « Quinquies quadra- » genas una minus accepi : ter virgis cæsus sum, semel la- » pidatus sum[2], » et testaceum vas non confractum est. « Nocte et die in profundo maris fui. » In profundo fuit, et vas testaceum non solutum est : naufragium fecit, et thesaurus non periit. Navis submersa est, et onus ejus navigavit. « Habentes autem thesaurum. » Quem thesaurum? Spiritus commeatum, justitiam, sanctificationem, redemptionem. Quem, quæso, thesaurum? « In nomine Jesu » Christi, surge et ambula : Ænea, sanat te Jesus Christus. Tibi dico, maligne spiritus. Exi ab eo[3]. »

XII. Vidisti thesaurum regiis thesauris splendidiorem? Quid enim tale facere unquam poterit regia margarita, quale verba Apostoli ediderunt? Appone innumera diademata mortuis, et non excitabuntur : unum ex Apostolo egressum verbum, rebellem naturam reduxit, et in pristinum statum restituit. « Habentes autem thesaurum hunc. » O thesaure qui non servatur solum, sed qui servat domum in qua reconditur! Intellexisti quid dixerim? Reges terræ et principes, cum thesauros habent, magnas construunt domos, muros nempe, vectes, fores, custodes, seras, ut custodiatur thesaurus : Christus autem contrarium fecit; non in lapideo, sed in testaceo vase thesaurum posuit. Si magnus thesaurus, cur vas infirmum? Atqui ideo vas infirmum est, qui magnus est thesaurus. Non enim servatur a vase, sed ipse vas conservat. Ego thesaurum pono, quis eum suffurari potest? Venit diabolus, venit orbis terræ, venerunt sexcenti homines, et thesaurum non furati sunt. Flagellatum est vas, et thesaurus non proditus est. Demersum est in mare, et naufragium non fecit. Mortuum est,

[1] 2 Cor. IV, 7. — [2] 1 Cor. XI, 24. — [3] Act. III, 6, et IX, 34.

et thesaurus manet. Dedit igitur arrhabonem. Ubinam sunt qui in Spiritus majestatem blasphemant. Mentem adhibete. « Qui autem confirmat nos vobiscum in Christum Deus, » qui dedit arrhabonem spiritus[1]. » Scitis vos omnes, arrhabonem partem exiguam esse totius : audi quomodo. Abit quis empturus domum pretio multo : et dicit, da mihi arrhabonem pro cautione. Abit quis mulierem ducturus : de dote et de facultatibus paciscitur, et dicit : da mihi arrhabonem. Attende : in auctione servi arrhabo, itemque in omnibus commerciis. Cum itaque Christus pacta nobiscum inibat ; me etenim sicut sponsam erat ducturus, mihique dotem ascribit, non pecuniæ, sed sanguinis. Dotem vero mihi ascribit, largitionem bonorum, « Quæ » oculus non vidit, et auris non audivit, et in cor hominis » non ascenderunt[2]. » In dotem igitur ascripsit immortalitatem, laudem cum Angelis, immunitatem a morte, libertatem a peccato, hæreditatem regni ; ingentes sunt divitiæ ; justitiam, sanctificationem, liberationem a præsentibus, futurorum adeptionem. Magna mihi dos erat. Attende diligenter : vide quid faciat. Venit acceptum meretricem, sic eam voco, quod esset impura, ut sponsi amorem ediscas. Venit, accepit me, dotem mihi ascripsit. Dicit, Do tibi divitias meas. Quomodo ? Perdidisti, inquit, Paradisum ? Accipe illum. Perdidisti, inquit, formam ? Accipe illam. Hæc omnia accipe. Verum dos mea hic mihi non datur.

XIII. Adverte animum, quapropter hanc dotem prædicit. Mihi in dotem ascripsit resurrectionem corporum et incorruptionem. Resurrectionem quippe non necesario sequitur incorruptio : sed hæc duo erant. Etenim multi resurrexerunt, et rursus defuncti sunt : quemadmodum Lazarus et corpora sanctorum. Verum hic non similiter : sed

[1] 2 Cor. I, 21. — [2] 1 Cor. II, 9.

resurrectionem promittit, incorruptionem, choreas cum Angelis, filii occursum in nubibus, « Et sic semper cum » Domino erimus[1] : » creptionem a morte, libertatem a peccato, demersionem interitus. Quale illud est? « Oculus non » vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt » ea, quæ præparavit Deus diligentibus se[2]. » Bona ne mihi das quæ non novi? etiam, ait. Hic te desponso, hic me ama. Cur mihi non hic dotem tradis? Cum ad Patrem meum veneris, cum veneris in regia atria. Ego ad te veni, an tu ad me? Veni non ut hic maneas, sed ut te assumam, et ascendam. Ne hic quæras dotem; omnia in spe, omnia in fide. Nihil-ne hic das mihi? Respondet: Accipe arrhabonem, ut mihi de futuro credas: accipe pignora, accipe sponsalia. Ideo Paulus dicit, « Despondi enim » vos[3]. » Ceu sponsalia tradidit nobis Deus præsentia bona; sponsalia et pignus sunt præsentia. Dos tota illic manet. Quomodo? Ego dicam. Hic senesco, illic non senesco: hic morior, illic non morior: hic doleo, illic non item. Hic paupertas, morbus, insidiæ; illic nihil ejusmodi: hic tenebræ et lux, illic lux tantum. Hic insidiæ, illic libertas: hic morbus, illic sanitas: hic vita, quæ finem habet, illic vita, quæ non habet terminum. Hic peccatum, illic justitia, peccatum vero nunquam. Hic invidia, illic nihil simile. Hæc mihi dato, inquit. Expecta, ut et conservi tui salvi fiant: expecta. Qui nos confirmat, dedit nobis arrhabonem. Quem arrhabonem? Spiritum sanctum, Spiritus sancti donum. Sed de Spiritu loquor. Annulum dedit Apostolis dicens: Accipite, et date omnibus. Annulus-ne in partes scinditur? In partes scinditur, nec dividitur: in partes scinditur, nec absumitur. Disce Spiritus donum. Accepit Petrus, accepit et Paulus Spiritum Sanctum. Circuibat orbem, peccatores a peccato liberabat: claudos erige-

[1] 1 Thess, IV, 17. — [2] 1 Cor, II, 9. — [3] 2 Cor, XI, 2.

bat, nudos induebat, mortuos suscitabat, leprosos mundabat, diabolo os obturabat, dæmonas suffocabat, cum Deo loquebatur: Ecclesiam plantavit, templa diruit, altaria evertit, malitiam solvit, virtutem plantavit, homines Angelos fecit.

XIV. Hæc omnia eramus. Hæc arrha implevit totum orbem terrarum. Cum dico totum, terram dico, quantam sol respicit, mare, insulas, montes, saltus, colles. Circuibat ceu volucris Paulus, uno tantum ore decertans, tentoriorum opifex, qui cultrum concinnandis coriis tractabat, et pelles consuebat. Hoc artificium non fuit virtutis impedimentum : sed tentoriorum opifex dæmonibus fortior erat, infacundus philosophis argutior. Undenam? Accepit arrhabonem, gestavit annulum et circumtulit. Videbant omnes a rege desponsatam naturam nostram : videbat dæmon, et recedebat : videbat arrhabonem, et tremebat, seque subducebat : vestimenta videbat, et fugam faciebat. O virtutem Spiritus! Non animæ dedit potestatem, non corpori tantum; sed et vestimento, nec vestimento solum, sed umbræ. Circuibat Petrus, et umbra ejus morbos fugabat, dæmonas abigebat, mortuos suscitabat. Circuibat Paulus orbem, impietatis spinas resecans, semina pietatis jaciens; sicut arator optimus, aratrum doctrinæ tractans. Et ad quosnam venit? Ad Thracas, Scythas, Indos, Mauros, Sardos, Gotthos, ad feras agrestes, et omnia mutavit. Undenam? Ex arrhabone. Quomodo ad hæc sufficere potuit? Per gratiam Spiritus. Idiota, nudus, discalceatus : qui dabat arrhabonem Spiritus. Ideo dicit : « Et ad hæc quis idoneus[1]? Sed sufficien- » tia nostra ex Deo est, qui et idoneos nos fecit ministros » Novi Testamenti, non litteræ, sed Spiritus[2]. » Vide quid fecerit Spiritus : invenit terram dæmonibus plenam, et ip-

[1] 2 Cor. II, 16. — [2] Id. III, 6.

sam cœlum fecit. Ne præsentia cogitetis; sed illa cogitatione repetite. Tunc luctus erat, tunc ubique altaria, ubique fumus, ubique nidores, ubique fornicationes, ubique initiationes, ubique sacrificia, ubique dæmones debacchantes, ubique arx diaboli, ubique fornicatio coronabatur : unusque Paulus erat. Quomodo non submersus est? quomodo non discerptus? quomodo os aperuit? Ingressus est in Thebaïdem, et captivos fecit : ingressus in aulam regiam, et regem fecit discipulum. Ingressus est ad tribunal, et dicit ei judex : Parum abest quin suadeas mihi, ut fiam Christianus[1] : judexque factus est discipulus. Ingressus est carcerem, et carceris custodem cepit. Ingressus in barbarorum insulam, viperam fecit doctorem. Abiit ad Romanum populum, et Senatum ad se pertraxit : abiit ad flumina, ad deserta loca quocumque per orbem. Non terra, non mare ejus præclarorum officiorum expers fuit. Dedit enim arrhabonem annuli, datoque arrhabone ait : Hæc tibi jam do, cætera polliceor. Quamobrem dicit ei Propheta : « Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato[2]. » Non vestimentum dicit, sed virtutem. Ideo scriptura alibi ait : « Quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem[3]? » Itaque non vestem dicit, sed fornicationem, et obscœnum impurumque facinus. Quemadmodum sordida vestimenta peccatum sunt, sic et aurea, virtus. Sed vestimentum hoc regis erat : ipse vestitum illi dedit : nuda quippe erat, nuda et turpiter deformata. « Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato. » Non vestimenta dicit, sed virtutem : non dixit, in auro; attende : vox hæc magnam habet sententiarum nobilitatem. Non dixit, in auro, sed, « Deaurato. » Solerter audi. Aureum vestimentum, totum est aureum; deauratum vero quasdam aureas, quasdam sericas partes habet. Cur ergo

[1] Act. xxvi, 28. — [2] Psal. xliv, 10. — [3] Matth. xxii, 12.

non dixit sponsam ferre aureum vestimentum, sed deauratum? Attende diligenter. Conversationem Ecclesiæ dicit, quæ varia est. Quia non unam omnes ducimus vitam; sed alius virginitatem, alius viduitatem, alius pietatem exercet : vestimentum Ecclesiæ est conversatio Ecclesiæ.

XV. Cum igitur sciret Dominus noster, si unam posuisset viam, multos in segnitie victuros fuisse, multas instituit vias. Non potes per virginitatem ingredi? intra per unicum matrimonium. Non potes per unicum? ingredere saltem per secundum. Non potes per continentiam? ingredere per eleemosynam. Non potes per eleemosynam? intra per jejunium. Non potes hoc modo? illo saltem. Non potes illo? alio ingredere. Ideo non ostendit aureum vestimentum, sed deauratum. Aut serica vestis est, vel purpurea, vel aurea. Non potes esse aureus? esto sericus. Suscipio te, tantum in vestimento. Ideo Paulus : « Si quis ædificat super » fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos[1]. » Non potes esse lapis pretiosus? esto aurum. Non potes esse aurum? esto argentum; tantum in fundamento. Et alibi rursum: « Alia claritas solis, alia claritas lunæ, et alia claritas » stellarum[2]. » Non potes esse sol? esto luna. Non potes esse luna? esto stella. Non potes esse magna quædam stella? esto saltem parva : tantum sis in cœlo. Non potes esse virgo? nuptias contrahe cum continentia; sed tantum in Ecclesia. Non potes esse inops? fac eleemosynam, tantum in Ecclesia, tantum in vestimento, tantum sub regina. Deauratum vestimentum, varium vestimentum. Non tibi occludo viam : virtutum enim copia, regis dispensationem facilem reddit. « In vestitu deaurato circumdata, varietate » ornat. » Varium est ejus vestimentum : ac si vis, profundum hujus sermonis explica, ac vide vestitum deau-

[1] 1 Cor. III, 12. — [2] Id. XV, 41.

ratum. Hic enim sunt monachi, alii honorabile connubium colunt, nec multum ab illis distant. Alii unas contraxere nuptias; aliæ viduæ sunt ætate florentes. Quare paradisus? quare varius? habens scilicet varios flores, et arbores et multas margaritas. Multæ stellæ, sed unus sol. Multa vivendi genera, sed unus paradisus: multa templa, sed unus paradisus: multa templa sed una mater. Illud est corpus; illud oculi; illud digitus; sed omnes unus. Id ipsum enim est parvum, et magnum, et minus. Virgo opus habet ea, quæ nupta est: nam virgo ex nuptiis, ne nuptias aspernetur. Virgo est radix nuptiarum. Omnia copulantur, parva magnis, et magna parvis. « Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato circum» data, varietate ornata. » Quod reliquum est, « Audi filia. » Pronubus ait, te egressuram esse ad sponsum, qui et substantia et natura sit longe superior. Ego pronubus. Audi filia. Statim-ne facta est uxor? Etiam. Nihil enim hic corporeum. Etenim ut uxorem desponsavit, ut filiam diligit, ut ancillam curat, ut virginem servat, ut hortum muro cingit, ut membrum fovet, ut caput providet, ut radix pullulat, ut pastor pascit, ut sponsus desponsat, ut propitiatorium condonat, ut ovis immolatur, ut sponsus in decore sponsam conservat, et ut vir ipsi providet. Multi sunt variique sensus, ut vel minima dispensationis parte fruamur. « Audi filia, et vide, » et nuptialia spiritualiaque negotia respice. « Audi filia. » Hæc prius dæmonum filia erat, filia terræ, ipsa tellure indigna; et nunc facta est filia regis. Id autem voluit ejus amator: qui amat enim formam non requirit; amor non respicit deformitatem. Ideo autem vocatur ἔρως, quia plerumque deformem amat. Sic et Christus fecit, deformem vidit; non enim illam formosam dixerim; et adamavit: illamque innovat, ut non habeat maculam, aut rugam. O sponsum ornantem deformitatem sponsæ! Audi filia, audi, et vide. Duo dicit,

audi, et vide. Duo hæc ex te sunt, illud ab oculis, hoc ab auribus. Quoniam igitur dos ejus in auditu erat: si qui ex vobis acutius prævident, expectent tamen infirmiores: et vos laudo præoccupantes, et illis ignosco sequentibus. Quoniam dos ejus in auditu erat. Quid est in auditu? In fide: « Nam fides ex auditu. » In fide, non in fruitione, nec in experientia omni. Prius dixi, ipsum in duas partes divisisse dotem ejus, et alia ipsi dedisse pro arrhabone, alia vero in futurum tempus pollicitum esse. Quid ipsi dedit? peccatorum veniam, supplicii remissionem, justitiam, sanctificationem, redemptionem, corpus dominicum, mensam divinam ac spiritualem, mortuorum resurrectionem. Hæc quippe omnia habuerunt Apostoli. Itaque alia dedit, alia promisit: alia in experientia erant et fruitione, alia in spe et fide. Audi iterum: Quid dedit? Baptisma, sacrificium: hæc in experientia. Vide autem. Quid promisit? resurrectionem, corporum incorruptionem, unionem cum Angelis, choreas cum Archangelis, vitam in ipsius consortio, vitam immortalem, bona « Quæ oculus non vidit, et auris non audivit, et in cor hominis » non ascenderunt, quæ præparavit Deus diligentibus se[1]. »

XVI. Intelligite id, quod dicitur, ne perdatis illud: ideo laboro, ut intelligatis. In duas igitur partes erat dos ejus divisa; in præsentia, et in futura; in ea quæ visu, et in quæ auditu percipiuntur: in ea quæ dantur, et in ea quæ creduntur: in ea quæ in experientia, et in ea quæ in fruitione: in ea quæ in præsenti vita, et in ea quæ post resurrectionem. Hæc vides, illa audis. Vide igitur quid dicat illi. Ut ne putaret quod hæc solum accepisset: etsi magna erant et ineffabilia, et mentem omnem superantia. « Audi filia, et vide: » audi illa, et hæc vide; ut ne dicas, rursum in spe, rursum in fide, rursum in futuro. Et vide;

[1] 1 Cor. II, 9.

alia do, alia promitto. Illa itaque in spe, hæc vero accipe pignora, hæc accipe in arrhabonem, hæc in specimen accipe. Promitto tibi regnum : crede ex præsentibus, crede mihi. Regnum mihi promittis? Etiam. Quod majus erat tibi dedi, nempe Dominum regni, qui « Proprio filio non » pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum : Quo» modo non etiam cum illo omnia nobis donabit[1] ? » Resurrectionem-ne das corporum? Etiam. Quod majus erat tibi dedi. Quodnam illud? Quod libereris a peccato. Quo pacto majus est illud? Quia peccatum mortem peperit. Matrem interfeci et filium non interficiam? Radicem arefeci, et fructum non tollam? « Audi filia, et vide. » Quid videam? Mortuos suscitatos, leprosos mundatos, mare frenatum, paralyticum in vigorem restitutum, paradisum apertum, panes ubertim erogatos, peccata soluta, claudum subsilientem, latronem paradisi civem factum, publicanum in evangelistam mutatum, meretricem virgine continentiorem. Audi, et vide : audi illa, hæc vide. A præsentibus argumentum accipe : de illis etiam pignora dedi tibi : hæc illis meliora sunt. Ecquid tandem dictura est? mea hæc sunt. « Audi filia, et vide. » Hæc dos sunt? Quid infert sponsa? Videamus. Et tu inferas quoque. Ecquid tu tandem, ut ne maneas indotata? Ego quid possim inferre ab altaribus, a nidore, a dæmonibus? Quid inferendum habeo? Quid? voluntatem et fidem. « Audi filia, et vide[2]. » Ecquid vis faciam? « Obliviscere populum tuum. » Quem populum? Dæmonas, idola, fumum, nidorem, sanguinem. « Et vide, et obli» viscere populum tuum, et domum patris tui. » Dimitte patrem, et ad me veni. Ego patrem dimisi, et ad te veni, et tu non dimittes patrem tuum? Cæterum illud, dimisi, de Filio dictum, ne ita intelligas, quasi dimiserit. Me tibi attemperavi, dispensatione usus sum, carnem assumpsi.

[1] Rom. VIII, 34. — [2] Psal. XLIV, 11.

Hoc sponsi, hoc sponsæ est, ut relinquamus parentes, et nos mutuo copulemur. « Audi filia, et vide, et obliviscere » populum tuum, et domum patris tui. » Ecquid mihi das, si obliviscar? « Et concupiscet rex decorem tuum. » Habes amatorem Dominum : si illum amatorem habeas, quæ illius sunt utique habes : si tamen quod dictum est possitis intelligere : subtilis quippe est sententia; voloque Judæorum linguam consuere. Sed hic mentem adhibete : sive enim quis audiat, sive non, ego fodio : ego terram aratro scindo. « Audi filia et vide, et obliviscere populum tuum, » et domum patris tui, et concupiscet rex decorem tuum. » Hic decorem, qui sensum movet, intelligit Judæus; non spiritualem, sed corporeum.

XVII. Attende, discamus quæ sit corporea pulchritudo, et quæ spiritualis. Est anima, est corpus : duæ substantiæ sunt, est pulchritudo corporis, et est pulchritudo animæ. Quæ est pulchritudo corporis? Supercilium extensum, subridens gratia oculorum, gena rubens, labia puniceo colore, collum erectum, coma leniter fluctuans, digiti prælongi, statura arrecta, candor efflorescens. Hæc pulchritudo corporis vel a natura, vel a voluntate efficitur. In confesso autem est a natura proficisci. Attende ut philosophorum sententiam ediscas. Hæc pulchritudo, sive vultus, sive oculorum, seu comæ, seu frontis, vel a natura, vel a voluntate efficitur : palam est a natura effici. Nam deformis etiam si innumeris utatur artificiis, quod ad corpus attinet, formosa effici nequit. Etenim quæ sunt a natura, immota manent, definita terminis, qui præteriri nequeunt. Quæ igitur pulchra est, semper est pulchra, et si nullo utatur artificio; deformis vero se formosam facere nequit, nec formosa deformem. Quare? quia naturæ sunt hæc. Vidisti-ne ergo corpoream pulchritudinem? Eamus intus ad animam : ancilla dominam adeat. Ad ani-

mam ducamus. Vide pulchritudinem illam; imo potius audi, non potes enim illam videre, invisibilis quippe est. Audi illam pulchritudinem. Quid igitur est animæ pulchritudo? Temperantia, modestia, eleemosyna, charitas, fratrum amor, benignitas, obsequentia Deo præstita, legis observatio, justitia, contritio animi. Hæc animæ pulchritudo. Hæc itaque naturæ non sunt, sed propositi. Ea qui non habet, adipisci potest : qui habet, si supine se gerat, utique perdit. Ut enim de corpore dicebam, deformem non posse formosam fieri; sic et de anima contrarium dico, deformem animam formosam fieri posse. Quid enim anima Pauli deformius, quando blasphemus et contumeliosus erat? Quid vero formosius illa, cum diceret : « Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi[1]? » Quid deformius anima latronis? quid contra formosius ea cum audivit, « Hodie mecum eris in Paradiso[2]? » Quid deformius publicano, quando rapiebat? quid vero formosius illo, quando propriam edidit sententiam? Vides te formam corporis non posse mutare : non enim id voluntatis est, sed naturæ. Animæ vero decor ex proposito nobis comparatur. Accepisti definitiones. Quas vero? pulchritudinem animæ ex obsequentia erga Deum proficisci. Si enim deformis anima Deo obtemperaverit, deformitatem ponit, et formosa efficitur. « Saule, Saule, quid me persequeris? Ille vero, Et quis es, Domine? Ego sum Jesus[3]. » Et obedivit, et obedientia deformem animam, formosam effecit. Rursum publicano dicit : « Veni, sequere me. » Et surrexit publicanus, factusque est Apostolus : deformis anima, formosa effecta est. Undenam? ex obedientia. Rursum piscatoribus dicit : « Venite post me, et faciam vos fieri piscatores hominum[4], » exque obedien-

[1] 2 Tim. IV, 7. — [2] Luc. XXIII, 43. — [3] Act. IV, 14. — [4] Matth. IV, 19.

tia ipsorum mens formosa facta est. Hic videamus quam dicat pulchritudinem. «Audi filia, et vide, et obliviscere »populum tuum, et domum patris tui : et concupiscet rex »decorem tuum.» Quem decorem concupiscet? utique animæ; undenam? Quia oblita est. Dicit, Audi igitur, et obliviscere. Hæc voluntatis sunt. Audi, ait. Deformis audit, et deformitas corporis non solvitur. Dic peccatrici animæ, audi : et si obediat, vide quali decore ornetur. Quia igitur deformitas sponsæ non erat naturalis, sed voluntaria : non enim audierat Deum, sed prævaricata fuerat; ideo alia illam medicina ducit. Deformis igitur facta est, non ex natura, sed ex voluntate : et ex obedientia, formosa facta es. «Audi filia, et vide, et obliviscere po»pulum tuum, et domum patris tui : et concupiscet rex »decorem tuum.» Deinde ut discas, eum hic nihil sensibile dicere, cum audis pulchritudinem, ne oculos putes, non nasum, non os, non collum; sed pietatem, fidem, caritatem, quæ intus sunt : «omnis enim gloria filiæ regis »ab intus[1].» Pro his vero omnibus gratias agamus Deo horum datori, quia ipsum solum decet gloria, honor, imperium in sæcula sæculorum, amen.

[1] Psal. XLIV, 14.

HOMILIA

Cum Saturninus et Aurelianus acti essent in exilium, et Gaïnas egressus esset e civitate; et de avaritia.

I. Multo tempore silui[1], et post longum temporis spatium ad charitatem vestram reversus sum. Verum id non accidit ulla vel animi socordia, vel corporis desidia, sed abfui tumultus componens, fluctus atque tempestatem sedans: eosque qui jam demergi cœperant, ad portum et in tranquillum porrecta manu reducere studens. Sum enim communis omnium pater, eoque necesse est curam agere non tantum eorum qui stant, sed eorum quoque qui collapsi sunt: non illorum tantum, qui secundis navigant ventis, sed et illorum qui tempestate jactantur: non eorum modo qui in tuto sunt, verumetiam illorum qui periclitantur. Harum sane rerum gratia reliqui vos ad temporis spatium, obambulans, exhortans, obtestans, supplicans, ut a dominis ea calamitas depelleretur. Posteaquam autem inamœnis illis ac tristibus finis est impositus, denuo me ad vos recepi, qui in tuto estis, qui multa cum tranquillitate navigatis. Ad illos profectus eram, ut tempestatem sedarem: ad vos reversus sum, ne qua tempestas exoriatur. Ad illos discesseram ut eos a molestiis liberarem: ad vos redii, ne in molestias incidatis. Quemadmodum enim oportet habere curam, non eorum modo qui stant, sed eorum quoque qui lapsi sunt: ita rursus non lapsi tantum nobis debent esse curæ, sed et stantes: illi ut erigantur, hi ne cadant: illi ut ab urgentibus malis li

[1] Vide D. Guillon, tom. xx, p. 331-337.

berentur, hi ne incurrant in ærumnas imminentes. Nihil enim est in rebus humanis stabile, nihil inconcussum, sed ea sunt quasi mare vesaniens, quotidie parturiens naufragia stupenda gravissimaque. Omnia tumultuum ac turbarum plena sunt, omnia scopuli et præcipitia, omnia rupes sub aquis latentes. Omnia terrores, discrimina, suspiciones, tremores et angores. Nemo cuiquam fidit, a suo quisque proximo metuit. Tempus fortassis illud in propinquo est, quod Propheta depinxit his verbis : « Ne fiduciam habeatis in amicis, et in principibus nolite spem ponere[1], » a suo quisque proximo cavete, « A conjuge tua cave, ne quid illi credas. » Quid ita tandem? Quia tempus malum est, « Quia omnis frater insidiatur calcaneo, et omnis amicus dolose incedit[2]. » Non est amicus tutus, non frater firmus. Sublatum est charitatis bonum, civile bellum occupat omnia, civile, et non apertum, sed obumbratum. Innumeræ ubique larvæ, simulatæque facies. Multa ovium vellera innumeri ubique lupi sub his occultati : ut jam inter hostes aliquis tutius vixerit, quam inter eos qui videntur amici. Qui heri adulabantur, qui manus osculabantur, hodie repente comperti sunt esse hostes, abjectisque larvis facti sunt omnibus accusatoribus acerbiores. Pro quibus hesterno die gratias agebant, hos nunc incusant et calumniantur.

II. Quæ est igitur horum omnium causa? Pecuniarum amor, vesana divitiarum cupiditas, morbus insanabilis, fornax quæ nunquam extinguitur, tyrannis quaquaversum per totum orbem terrarum diffusa. Hanc ob causam et nos quæ prius dicebamus, nunc dicere non desinemus, tametsi nuper complures incusabant nos, talia loquentes : Itane nunquam desines adversus divites armatam habere linguam? Non desines hos assidue impugnare. Num ego

[1] Mich, VII, 5. — [2] Jerem IX, 4.

cum illis bellum gero? Num adversus illos armor? Annon potius pro illis cuncta tum dico, tum facio, ipsi vero adversus se ipsos gladios acuunt? Annon id declaravit ipsa rerum experientia, quod ego quidem increpans et assidue objurgans, quærebam illorum commodum; sed illi verius sunt hostes qui nobis hæc loquentibus culpam impingunt. Vidistis eventus rerum cum oratione nostra congruere. Annon semper dixi, fugitivas esse divitias, ab hoc ad illum transeuntes? Atque utinam transissent solum, non etiam occidissent: utinam discessissent tantum, ac non e medio quoque sustulissent. Nunc autem præterquam quod deserunt, etiam gladio tradunt, et in barathrum pertrahunt, eo quod sint periculosæ proditrices, cumque iis potissimum bellum gerunt, a quibus amantur. Ingratæ sunt, fugitivæ, homicidæ, implacabiles, bestiæ incurabiles, præcipitium undequaque præruptum, scopulus assiduis plenus fluctibus: mare innumeris ventis agitatum, tyranni acerbe imperantes, dominæ quovis barbaro sæviores, inimicæ irreconciliabiles, hostes implacabiles, quæque nunquam erga eos a quibus possidentur, remittunt simultatem.

III. At non hujusmodi paupertas, sed iis quæ dicta sunt contraria. Ea siquidem est tutum asylum, portus tranquillus, perpetua securitas, deliciæ periculorum expertes, voluptas sincera, vita turbationum nescia, vita fluctuum ignara, copia inexpugnabilis, philosophiæ parens, frenum arrogantiæ, supplicii sublatio, radix modestiæ. Cur itaque hanc fugientes, illas persequimini? illas hostes, illas homicidas, illas quavis bestia sæviores? Talis enim est pecuniarum amor, tale vesanum auri studium. Cur hostem tibi perpetuum contubernalem fecis? Cur bestiam irritas, quam delinire oportuit? Et quo pacto, inquis, fiet mansueta? Si vel nunc mea verba toleretis, cum clades ad-

sunt, cum calamitas viget, cum omnes in tumultu sunt ac mœrore. Qui fieri possit ut bestia non sit bestia? Equidem possum illam immutare, si vos velitis. Nam ea sermonum vis est. Quo pacto igitur a feritate sua mutabitur? Si didicerimus quomodo sæva efficitur? Quomodo ergo sæva efficitur? More leonum, more pardorum, more ursorum, qui dum includuntur coërcenturque in tenebris, erigunt animos, acuuntque iras. Itidem et divitiæ dum includuntur et defodiuntur, acrius rugiunt quam leones, ac terrorem undique incutiunt. Quod si eas e tenebris educas, et in egenorum ventres dissemines, ex feris bestiis fiunt oves: ex insidiis, præsidia, ex scopulis portus, ex naufragio tranquillitas. Quandoquidem hoc et in navigiis videre licet; si quando onus est justo gravius, demergit cymbam. Rursum cum est moderatum, prospero fertur cursu. Idem usu venit in nostris ædibus: cum ultra quam usus postulat, congeris pecunias, exigui venti flatus, et quivis rerum inexpectatarum incursus demergit cum viris cymbam. At si tantum reponas, quantum postulat necessitas, etiam si vehemens turbo ingruat, facile percurris undas. Noli igitur plus concupiscere, quam exigit necessitas, ne totum amittas. Noli quæ superant usum congregare, ne perdas etiam necessaria. Noli præfinitos terminos prætergredi, ne facultatibus universis exuaris, sed quod superest reseca, ut in necessariis ditescas. An non vides quod agricolæ vitem putant, ne vim omnem in pampinis et palmitibus, sed in radice proferat? Idem et tu facito: amputa folia, omneque studium huc intende, ut quamplurimum fructus ferat. Quod si facere recuses in rebus prosperis, expectes adversas. In tranquillitate tempestatem, in divitiis paupertatem ac mendicitatem expecta. « Memento, inquit, tem» poris famis, in tempore abundantiæ mendicitatis et eges-

» tatis, in diebus opulentiæ[1]. » Ad hunc modum si fueris affectus, tum et divitias multa cum sobrietate administrabis: et egestatem, si incidat, fortissime perferes. Malum quippe inexpectatum perturbat animum, si incidat. Quod enim expectabatur, si accidat, non multum adfert perturbationis. Ita duo commoda lucrifeceris, alterum ne prosperitas te reddat ebrium et insolentem: alterum ne commovearis ac perturberis rebus in diversum commutatis: maxime si semper expectatione contrariorum pendebis: sufficit enim pro experientia expectatio. Tale est quod dico: dives es? expecta quotidie paupertatem. Quare et Quamobrem? Quoniam ista expectatio tibi maximam afferre poterit utilitatem. Etenim qui expectat paupertatem, in divitiis non extollitur, non mollescit, non diffluit, non concupiscit aliena. Nam expectationis metus pædagogi cujusdam vice cohibet ejus mentem, nec patitur mala avaritiæ germina subnasci, dum ea metu contrariorum veluti falce quadam prohibet crescere amputatque.

IV. Hoc igitur unum est e maximis bonis quæ lucrifacies. Alterum autem non est isto minus, videlicet ut si accesserit paupertas, non expavescas. Prævertat ergo tristis expectatio, ne quando veniat ipsa tristium experientia: ob hoc enim venit experientia, quod non adsit expectatio. Quod si illa correxisset hominem, hac non erat opus admodum. Hujus rei testis Jonas Ninivitis prædicens interitum[2]. Siquidem illi dum expectant quod Propheta prædixerat, eis imminere calamitatem insanabilem, expectatione malorum venturorum fregerunt iram numinis. Contra Judæi non credentes Prophetæ prædicenti Jerosolymorum excidium, acerba perpessi sunt. « Sapiens enim metuens declinavit malum, insipiens fiducia sua confunditur[3]. » Qui expectat paupertatem, dum versatur in di-

[1] Eccli. XVIII, 25. — [2] Jonas. c. 3. — [3] Prov. XIV. 16.

vitiis, haud facile fiet pauper. Nam quod ab expectatione lucrari noluisti, id ab ipsa experientia pulchre disces. Proinde cum in divitiis es, expecta paupertatem: cum in affluentia, expecta famem: cum in gloria, expecta ignominiam: cum in sanitate vivis, expecta morbum. Assidue perpende rerum humanarum naturam, quæ nihilo melius habet, quam amnium defluxus, et fumo in aërem evanescente fugacior est, et umbra prætercurrente inanior. In his si philosophatus fueris, nec suavia te poterunt inflare, nec molesta dejicere: si præsentibus bonis non admodum inhæreas, neque his absentibus discruciaberis. Si consuefacias animum ad expectationem adversorum, sæpe quidem fiet ut adversa non accidant, sed si acciderint, non vehementer te commovebunt.

V. Atque ut intelligatis me hæc non ex conjectura loqui, volo vobis narrare veterem quamdam historiam. Fuit vir quidam admirabilis et magnus et ubique per orbem terrarum celebratus, beatus ille Job, ille pietatis athleta, ille totius mundi victor et coronifer, qui per omnia certaminum genera transivit, qui innumera tropæa erexit de victo diabolo. Hic fuit dives et pauper, gloriosus et vilis, multorum liberorum pater et orbus. Hic versatus est in aulis regalibus, sed idem fuit in sterquilinio. Hic fuit in splendida veste, sed post illam in corrosione tinearum. Hic possedit innumerum famulitium, sed postea sustinuit innumeras contumelias, a familiaribus in ipsum insurgentibus, ab amicis conviciantibus, ab uxore insidiante. Omnia illi prius velut e fonte affluebant, pecuniarum copia, potentiæ magnitudo, gloriæ accessio, pax et securitas, honores et obsequium, corporis sanitas, et filiorum opulentia, nec erat in his quicquam molestum. Aderant illi divitiæ cum securitate, prosperitas stabilis: atque optimo quidem jure. Deus enim illum undique vallaverat. Sed postea illa om-

nia recesserunt, moxque innumeræ tempestates immigrarunt in domum illius, omnes, inquam, sibi vicissim succedentes ac perpetuæ et ingentes. Siquidem universæ facultates illi simul ereptæ sunt: famuli liberique præmatura violentaque morte oppressi sunt, ad mensam et ipso in convivio mactati, non quidem securi aut gladio, sed a malo spiritu, qui domum concussit. Tum uxor in illum armabatur, suasque machinas admovit justo. Famuli porro et amici, partim exspuerunt in faciem ejus, quemadmodum ait ipse, « Non pepercerunt faciem meam conspuere[1]: » partim irruerunt in eum, et ex domo ejectus est, ac deinceps in sterquilinio vitam egit, ac vermium fontes scatebant, undique sanguine et sanie diffluebat ille pretiosus adamas; et accepta testa abstergebat saniem, ipse sibi factus carnifex: dolor dolorem excipiebat, et cruciatus intolerabiles, et nox die molestior, et dies nocte terribilior, sicut ipse dicit: « Cum obdormiero, dico, » quando erit dies? Cum surgo, rursum dico, quando erit » vespera? Plenus dolore sum a vespera usque ad diluculum[2]. » Omnia præcipitia, omnia scopuli, nec est ullus qui consoletur, qui insultent innumeri. Attamen in tanta tempestate, tantisque fluctibus adeo intolerandis, constitit adversus omnia generoso animo et inconcussus. In causa fuit id quod dicebam: nimirum quia cum dives esset, expectabat egestatem; cum sanus esset, expectabat ægrotationem: cum tot liberorum esset pater, subitam orbitatem. Atque hunc timorem semper apud se suscepit, et hanc anxietatem semper apud se aluit, intelligens rerum humanarum naturam, momentaneamque volubilitatem negotiorum considerans. Eoque dixit: « Timor quem timebam, evenit mihi: et periculum quod metue» bam, occurrit mihi[3]. » Semper enim cogitatione spec-

[1] Job. XXX, 10. — [2] Id. VII, 4. — [3] Id. III, 25.

tabat ad illum timorem, operiens eum, sperans expectansque: ideo cum advenisset, non perturbavit illum. «Neque » pacem habui, inquit, neque quievi, sed mihi venit ira[1].» Non dixit, non pacem habeo, neque quiesco, præsenti tempore: sed, non quievi, præterito tempore. Etiamsi enim rerum prosperitas arrogantiam suadebat, sed expectatio tristium non sinebat me quiescere. Quamquam affluentia vehementer hortabatur ad delicias, sed asperitas eorum quæ expectabantur, profligabat securitatem: et licet præsens felicitas cogeret frui rebus, tamen futurorum sollicitudo voluptatem interrupit. Ideoque quoniam præmeditans in animo suo hæc ventura prospexerat rebus lætis, hæc certamina posteaquam acciderunt fortiter et animose pertulit, utpote jam olim ad illa exercitatus: et quoniam ea expectatione jam ceperat, non est perturbatus cum cerneret illa adesse. Quod autem ne tum quidem cum adessent læta, vehementer illis adhæserit, audi quid dicat: « Si delectatus sum cum mihi multæ affluerent divitiæ, si » reposui aurum fortitudinem meam, si fiduciam habui in » lapidibus pretiosis, si ad innumerabilia posui manum » meam[2]. » Quid ais, homo? non delectatus es divitiis affluentibus tibi? Nequaquam, inquit. Quid ita? Quoniam videbam illarum instabilem fluxamque naturam, videbam possessionem haud durabilem. « At video quidem, inquit, » solem orientem ac deficientem, lunam vero intereun» tem[3]: » non enim penes ipsos est. Quod autem dicit, tale est: Si stellæ quæ sunt in cœlis perpetuoque lucent, recipiunt nonnullam mutationem, sol nempe deficiens, et luna interiens, annon extremæ dementiæ sit, terrena pro stabilibus fixisque ducere? Eoque nec præsentibus magnopere delectabatur, nec discedentibus vehementer contristatus est: quoniam probe noverat earum rerum na-

[1] Job. III, 26. — [2] Id. XXXI, 24. — [3] Id. XXV, 5.

turam. Hæc nos audientes, charissimi, neque paupertate dejiciamur, neque divitiis intumescamus, sed in rerum permutatione animum immutabilem retinentes, philosophiæ fructum metamus, ut et hic voluptate perfruamur, et futura assequamur bona, quæ contingat nobis omnibus adipisci, gratia et bonitate Domini nostri Jesu Christi.

HOMILIA

De recipiendo Severiano.

Sicuti capiti corpus cohærere necessarium est, ita Ecclesiam Sacerdoti, et Principi populum : utque virgulta radicibus, et fontibus fluvii, ita et filii patri, et magistro discipuli. Hæc autem non superfluo ad charitatem vestram præfati sumus : sed quoniam dicenda mihi sunt quædam apud vos, ut nemo turbetur, neque sermoni nostro aliqua oriatur interruptio, sed ut obedientia discipulorum crescat in vobis, et quantum affectum patri deferatis, appareat. Adornate me, filii, et imponite mihi obedientiæ vestræ coronam, facite me apud omnes beatum judicari, et doctrinam meam magnificate per obedientiam vestram secundum Apostoli monita, dicentis : « Obedite præpositis vestris, et obtemperate eis; quia ipsi » pervigilant pro vobis, quasi pro animabus vestris rationem » reddituri[1]. » Hæc ergo præmoneo, ne quis superbiat in commonitionem nostram. Pater enim sum, et necesse est me filiis consilium suadere : quod enim in carnalibus patribus natura carnis, hoc in nobis gratia Spiritus agit.

[1] Hebr. XIII, 17.

Pater sum, et pater nimis super filios tremens, ita ut sanguinem meum pro vobis fundere paratus sim. Et in hoc non est mihi gratia. Apostolica enim lex est, et Domini præceptum dicentis : «Pastor bonus animam suam » ponit pro ovibus suis[1]. » Sed et vos eadem facite pro nobis : simili namque erga nos devincti estis affectu. Nam et Paulum audite quid dicit. « Salutate, inquit, Priscillam » et Aquilam adjutores meos in Christo, qui pro anima » mea suas cervices posuerunt[2]. » Sicut enim pulchrum est pastorem pro ovibus immolari : ita rursum pulchrum est et oves a pastore nec morte sejungi. Cum enim inseparabiles fuerint ab eo, lupum diabolum non timebunt. Murus enim charitatis firmior est adamante. «Et frater cum » adjuvatur a fratre, erit sicut civitas munita et firma[3]. » Hæc autem præmitto, ut cum omni affectu, quæ dicimus, audiatis, neque aliquis vestrum incipiat perturbari. Loquimur rem, quam dignum est in Ecclesia loqui, et quam dignum est libenter audiri. Pro pace loquimur ad vos. Et quid ita conveniens, quam sacerdotem Dei pacem populo persuadere ? Contradictio nulla est, ubi et legatio sancta et legatus acceptus est. Pro pace loquimur, pro qua filius Dei descendit ad terras, ut pacificaret per sanguinem non solum quæ in terra sunt, sed et quæ in cœlis, et terrena cœlestibus sociaret. Pro pace loquimur, pro qua filius Dei passus est, propter quam crucifixus est et sepultus, quam nobis pro omni hæreditatis censu reliquit, et velut murum Ecclesiæ dedit, quam scutum adversum diabolum posuit, quam gladium adversum dæmones dedit, quam portum tranquillissimum fidelibus collocavit, quam repropitiationem ad Deum dedit, quam delictorum absolutionem concessit : pro hac ergo legatus ad vos missus sum. Nolite mihi incutere pudorem, nolite legationem meam

[1] Joan. x, 11. — [2] Rom. xvi, 3. — [3] Prov. xviii, 19.

fœdare, acquiescite mihi, quæso vos. Multa dudum tristia gesta sunt in Ecclesia, Deum confiteor, sed non laudo perturbationes, seditiones non amplector. Sed omittamus jam hæc, desinite, conquiescite, cohibete animos, refrenate iracundiam : sufficit jam quod laboravit Ecclesia, finis sit, desinat turbatio : hoc enim et Deo placitum, et piissimo principi acceptum est. Oportet enim et regibus obedire, maxime cum et ipsi obtemperent ecclesiasticis legibus. Dicit enim Apostolus, « Principibus et potestatibus subditi estote[1] : » quanto magis religioso principi, et pro Ecclesia laboranti? Si ergo præparavi animos vestros ad suscipiendam legationem meam, recipite fratrem nostrum Severianum episcopum. Habeo gratiam quod sermonem meum laudibus prosecuti estis. Dedistis mihi fructus obedientiæ : nunc me semen bonum gratulor seminasse. Ecce enim statim frumenti manipulos colligam. Retribuat vobis Dominus præmium benignitatis, et obedientiæ mercedem. Nunc enim veram hostiam pacis obtulistis Deo, quia nemo turbatus est audito hoc nomine, sed cum charitate suscipitis : simul ut sermone locuti sumus, omnem ex animo fugastis iracundiam. Suscipite ergo eum pleno pectore, apertis manibus. Si quid triste gestum est, omittite : quia ubi tempus pacis, recordatio dissensionis nulla est, ut sit gaudium in cœlo, gaudium in terra, lætitia et exultatio spiritualis in Ecclesia Dei. Et oremus de reliquo, ut pacificam Deus custodire dignetur Ecclesiam, pacem fixam et perpetuam dare, in Christo Jesu Domino nostro, cum quo est gloria Deo Patri, una cum Spiritu sancto, in sæcula sæculorum. Amen.

[1] III, 1.

SERMO

Severiani de pace, cum susceptus esset a beato Joanne Episcopo Constantinopolitano.

In adventu Domini et Salvatoris nostri atque in præsentia ejus corporali, Angeli ducentes choros cœlestes evangelizabant pastoribus, dicentes : «Annuntiamus vobis »hodie gaudium magnum quod erit omni populo[1].» Ab ipsis enim sanctis Angelis etiam mutuatam nos vocem, annuntiamus vobis hodie gaudium magnum. Hodie enim in pace Ecclesia est, et hæretici in ira. Hodie Ecclesiæ navis in portu est, et hæreticorum furor jactatur in fluctibus. Hodie Pastores Ecclesiæ in securitate, et hæretici in perturbatione sunt. Hodie oves Domini in tuto, et lupi insaniunt. Hodie vinea Domini in abundantia, et operarii iniquitatis in egentia. Hodie populus Christi exaltatus est, et inimici veritatis humiliati sunt. Hodie Christus in lætitia, et diabolus in luctu. Hodie Angeli in exultatione, et dæmones in confusione. Et quid opus est multa dicere? Hodie Christus, qui est Rex pacis, cum sua pace procedens, fugavit omne dissidium, dissensiones depulit, discordiam perturbavit. Et sicut cœlum splendor solis, ita Ecclesiam fulgor pacis illuminat. O quam desiderabile nomen pacis, quam religionis Christianæ stabile fundamentum, et altaris dominici cœlestis armatura ! Et quid possumus de pace proloqui ? Pax nomen est ipsius Christi, sicut dicit et Apostolus : «Quia Christus pax nostra, qui »fecit utraque unum[2],» quæ nequaquam fide, sed invidia

[1] Luc. II, 10. — [2] Ephes. II, 14.

diaboli dissidebant. Verum sicut procedente rege et plateæ mundantur, et tota civitas diversis floribus et ornatibus coronatur, ut nihil sit quod minus dignum vultui regis appareat : ita et nunc procedente Christo rege pacis, omne quod triste est, auferatur e medio, et illucescente veritate fugetur mendacium : fugiat discordia, resplendescente concordia. Et sicut frequenter fieri vidimus, ubi regum vel fratrum tabulæ pinguntur, ut in utrisque unanimitatis declarentur insignia, artifex picto femineo habitu post tergum utriusque, concordiam statuit, brachiis suis utrumque complectentem, indicans quod hi qui videntur corporibus separati, sententiis et voluntate conveniant : ita nunc pax Domini media assistens, et utrumque nostrum gremio palpante connectens, discreta corpora in unum convenire animum, ulnis jungentibus docet. In qua sine dubio completur sermo propheticus, qui ait : «Et erit »consilium pacificum inter utrosque[1].» Et hesterno quidem die pater noster communis evangelico pacem sermone præfatus est : hodie vero nos verba pacis exponamus. Ipse nos heri resupinis manibus in verbo pacis excepit, et nos hodie dilatato pectore, ulnisque patentibus ad Dominum cum muneribus pacis occurramus. Jam bella destructa sunt, pulchritudo pacis obtinuit. Nunc in luctu est diabolus, et in lamentatione omnis dæmonum turma; nunc in cœlestibus lætitia, et in Angelis exultatio, quibus specialis familiaris pax. Hoc enim etiam cœlestes admirantur Virtutes opus, quas fons ejus habet perennis, ex quo etiam terrena hæc nostra guttis quibusdam exinde stillantibus irrorantur. Et ideo etiamsi in terris pax, laudis ejus splendor redundat in cœlum, laudant eam cœlestes Angeli, et dicunt : «Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus »bonæ voluntatis[2].» Vides quomodo cœlestes omnes et

[1] Zach. vi, 13. — [2] Luc. ii, 14.

terrestres invicem sibi munera pacis emittunt? Cœlestes Angeli pacem terris annuntiant, Sancti in terris Christum, qui est pax nostra, collaudant in cœlestibus positum, et mysticis choris acclamant; « Osanna in excelsis[1]. » Dicamus ergo et nos: « Gloria in altissimis Deo, » qui humiliavit diabolum, et exaltavit Christum suum. « Gloria in » altissimis Deo, » qui discordiam fugat, et pacem statuit. Dico enim vobis artem diaboli, cujus neque vos astutiam ignoratis. Vidit Satanas firmitatem fidei, stabilitatem in ea pietate dogmatum septam, vidit et operum bonorum fructibus abundantem: et ideo pro his omnibus ad insaniam venit, et rabie furoris exarsit, ut scinderet amicitiam et evelleret charitatem, ut disrumperet pacem: sed pax Domini semper sit nobiscum, in Christo Jesu Domino nostro, cum quo est Deo Patri et Spiritui sancto gloria, in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA I.

Ante exilium.

I. Multi fluctus instant gravesque procellæ[2]: sed non timemus ne submergamur: nam in petra consistimus. Sæviat mare, petram dissolvere nequit: insurgant fluctus, Jesu navigium demergere non possunt. Quid, quæso, timeamus? Mortem-ne? « Mihi vivere Christus est, et mori » lucrum[3]. » An exilium, dic mihi? « Domini est terra et » plenitudo ejus[4]. » An facultatum publicationem? Nihil intulimus in mundum, certumque est nos nihil hinc ef-

[1] Matth. xxi, 9. — [2] Vide D. Guillon, tom. xiii, p. 163-171. — [3] Philip. i, 21. — [4] Psal. xxiii, 1.

ferre posse : terribiliaque hujus mundi mihi despectui sunt, et bona ejus risu digna. Non paupertatem timeo, non divitias concupisco : non mortem metuo, nec vivere opto, nisi ad profectum vestrum. Ideo præsentia commemoro, rogoque charitatem vestram, ut fiduciam habeat. Nullus quippe nos separare poterit; quod enim Deus conjunxit, homo separare nequit. Nam si de viro ac de muliere dicit : « Propter hoc relinquet homo patrem suum et » matrem suam, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in » carnem unam : quod ergo Deus conjunxit, homo non » separet[1]. » Si nuptias non potes dirimere, quanto minus Ecclesiam Dei potes dissolvere? Sed eam oppugnas, cum nihil possis lædere eum quem impetis. Verum me reddes splendidiorem, tuamque vim mecum pugnando dejicies. Durum namque tibi est contra stimulum acutum calcitrare. Non obtundes stimulos, imo sanguine pedes inficies; quandoquidem fluctus non petram dissolvunt, sed ipsi in spumam abeunt. Nihil Ecclesia potentius, o homo : bellum solve, ne robur dissolvas tuum. Ne inferas cœlo bellum; si homini bellum inferas, aut vinces, aut superaberis : si Ecclesiam oppugnes, vincere nequis : omnibus quippe fortior est Deus. « An æmulamur Domi» num[2]? » An fortiores illo sumus; Deus fixit et firmavit, quis concutere tentaverit? Non nosti virtutem ejus. « Res» picit terram, et facit eam tremere[3] : » jubet, et quæ concutiebantur firma consistunt. Si concussam urbem firmavit, quanto magis Ecclesiam firmare poterit? Ecclesia est ipso cœlo fortior : « Cœlum et terra transibunt, » verba autem mea non transibunt[4]. » Quæ verba : « Tu es » Petrus, et super hanc meam petram ædificabo Eccle-

[1] Gen. II, 24. — [2] 1 Cor. X, 22. — [3] Psal. CIII, 32. — [4] Matth. XXIV, 35.

» siam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus » eam[1]. »

II. Si non credis verbo, rebus crede. Quot tyranni Ecclesiam opprimere tentaverunt? quot sartagines? quot fornaces, ferarum dentes, gladii acuti? nihilque perfecerunt. Ubinam sunt hostes illi? Silentio et oblivioni traditi sunt. Ubinam Ecclesia? plus quam sol splendescit. Quæ illorum erant extincta sunt, quæ ad illam spectant sunt immortalia. Si cum pauci erant Christiani, non victi sunt, quando orbis totus pia religione plenus est, quomodo illos vincere possis? « Cœlum et terra transibunt, verba autem » mea non transibunt[2]. » Et jure quidem. Amabilior enim est Ecclesia Deo, quam cœlum ipsum. Cœli corpus non accepit, sed Ecclesiæ carnem accepit; propter Ecclesiam cœlum, non propter cœlum Ecclesia. Ne vos conturbent ea, quæ acciderunt. Hanc mihi gratiam præbeatis, immobilem fidem. Annon vidistis Petrum ambulantem super aquas, paululum dubitantem, in periculum submersionis venisse non ob aquarum impetum, sed ob fidei infirmitatem? Num humanis calculis huc accessimus? num homo nos adduxit, ut homo dejiciat? Hæc non ex arrogantia vel jactantia dico, absit; sed ut quod in vobis fluctuat constabiliam. Quoniam sedata erat civitas, Ecclesiam diabolus concutere voluit. O sceleste et flagitiosissime! muros non expugnasti, et Ecclesiam te succussurum speras? An muris Ecclesia constat? in multitudine fidelium Ecclesia consistit. En quam firmæ columnæ, non ferro ligatæ, sed fide constrictæ. Non dico tantam multitudinem igne vehementiorem esse : sed nec, si unus tantum esset, superasses. Nosti quantas tibi plagas inflixerint martyres. Ingressa sæpe est puella tenera innupta : cera mollior erat, sed petra solidior extitit. Ejus latera lancinabas, et fidem non

[1] Matth. XVI, 18. — [2] Id. XXIV, 35.

auferebas. Cessit carnis natura, neque concidit fidei virtus : consumebatur corpus, et viriliter agebat animus : absumebatur substantia, et manebat pietas. Ne unam quidem mulierem superasti et tantum populum te superaturum confidis? Non audis Dominum dicentem : « Ubi duo » vel tres congregati sunt in nomine meo, illic sum in me» dio eorum[1]? » Et ubi tam numerosus populus charitatis vinculis constrictus, non aderit? Ejus pignus habeo : num propriis sum viribus fretus? Scriptum ejus teneo. Hic mihi baculus : hæc mihi securitas : hic mihi portus tranquillus. Etsi conturbetur orbis totus, rescriptum teneo : ejus litteras lego : hic mihi murus, hoc præsidium. Quas litteras? « Ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad » consummationem sæculi[2]. » Christus mecum, quem timebo? Etsi fluctus adversum me concitentur, etsi maria, etsi principum furor : mihi hæc omnia aranea sunt viliora. Ac nisi charitas me vestra detinuisset, ne hodie quidem abnuissem alio proficisci. Semper enim dico, « Domine » fiat voluntas tua[3] : » non quod talis et talis, sed quod tu vis [faciam]. Hæc mihi turris, hæc mihi petra immobilis : hic mihi baculus non vacillans. Si id Deus velit, fiat. Si velit me hic manere, gratias habeo. Ubicumque voluerit, gratias refero.

III. Nemo vos conturbet : precibus vacate. Hoc effecit diabolus, ut vestrum circa supplicationes studium interciperet. Sed nihil profecit : imo vos diligentiores alacrioresque invenimus. Cras ad supplicationem vobiscum pergam. Atque ubi sum ego illic et vos estis; ubi vos estis : illic et ego. Unum corpus sumus : neque corpus a capite, neque caput a corpore separatur. Loco dissiti sumus, sed charitate jungimur, neque mors ipsa poterit abscindere. Etsi enim corpus meum moriatur, vivet tamen anima,

[1] Matth. XVIII, 20. — [2] Id. XXVIII, 20. — [3] Id. VI, 10.

quæ populi recordabitur. Vos mihi patres estis, quî possim vestrum oblivisci? vos mihi patres, vos mihi vita, vos mihi gloria. Si vos proficiatis, id mihi in gloriam vertitur; ita ut vita mea ceu divitiæ quædam in vestro reposita sit thesauro. Paratus sum ad vitam sexcenties pro vobis effundendam, nec gratiam exhibeo, sed debitum solvo. Nam « Bonus pastor animam suam dat pro ovi» bus[1]. » Millies jugulent, toties caput abscindant. Mors enim talis, mihi immortalitatis est argumentum : hæ mihi insidiæ securitatis sunt occasio. Num ob divitias insidiis objectus sum, ut doleam? num ob peccata, ut lugeam? Id patior ob vestrum amorem, quia nihil non ago, ut vos in tuto collocemini; ut nemo alienus se in ovile ingerat, ut illæsus grex maneat. Certaminis argumentum mihi sufficit ad coronam. Quid enim patiar pro vobis? Vos mihi cives, vos mihi patres, vos mihi fratres, vos filii, vos membra, vos corpus; vos mihi lux; imo hac luce suaviores. Quid enim tale mihi confert radius, quale vestra charitas? Radius mihi in præsenti vita utilis est, vestra autem charitas coronam mihi nectit in futuro. Hæc porro dico in aures vestras : quid autem est ad audiendum promptius auribus vestris? Tot diebus vigilastis, nihilque vos inflectere potuit, non temporis diuturnitas emollivit; non timores, non minæ. Ad omnia strenuos vos exhibuistis? et quid dico, vos exhibuistis? Quod semper optaveram, sæcularia despexistis, terræ valedixistis, a vinculis corporis vos expedivistis, ad beatam illam philosophiam certatim properastis. Hæc mihi corona sunt, hæc consolatio, hæc unctio, hæc vita, hæc immortalitatis argumentum.

IV. Sed video quosdam qui mihi auctores sunt (3), ut in dogmatibus meis insistam. Pleraque enim prospera in contrarium cedunt, quoniam ii, quibus videbar zelo

[1] Joan. x, 11.

plenus esse, id improbitate sua egerunt ut considerem: qui ad libitum suum me deposuerunt, per varium rerum exitum me in hoc certamine vincunt. Non minabantur, sed instabant. Jam tempus est ea enarrare, quæ ad meam calamitatem spectant. Lex est, sed legislator vincitur. Filii, per vestram charitatem, video conjurationem ad bellum inferendum paratam, Deumque contumeliis affectum: video delapsum agonem, et agonothetam mœrentem: video veritatis persuasionem emarcescere, et conspirationem superare. Mihi illi objiciunt: Comedisti et baptizasti. Si hoc feci, anathema sit mihi, ne numerer inter Episcopos, ne sim cum Angelis, ne sim Deo acceptus. Si vero comedi et baptizavi (4), nihil inopportune feci. Attende diligenter iis quæ dico, neque finem dicendi faciam. Non me piget loqui, vobisque tutum est si loquar. Sed ad propositum redeamus. Dicunt me comedisse et baptizasse. Deponant ergo Paulum, quod post cœnam custodi carceris baptisma contulerit. Ausim dicere; deponant ipsum Christum, quod post cœnam discipulis communionem largitus sit. Sed hæc nobis congruentia magnaque sunt: hæc læta pacis signa: hæc populi encomia. Mihi corona, vobis fructus. Sed scitis, fratres, qua de causa velint me deponere. Quia tapetes non expandi, nec serica vestimenta indui, et quia ipsorum ingluviem non fovi. Floruere aspidis fetus, adhuc relictum est Jesabelis semen: verum adhuc etiam gratia cum Helia concertat. Age mihi in medium mirabilem illum divitemque vitæ præconem, Joannem dico pauperem, qui ne lucernam quidem possidebat; sed habebat Christum lampadem: cujus caput expetivit Evæ comministra: quæ et sanctis impedimento fuit, quæ Prophetas persecuta est, quæ dolose jejunium prædicavit, quæ parem cum vipera nomenclaturam obtinuit, nempe saltationem, quæ pran-

dio nondum absoluto saltavit. Non vitam concupivit, non opum molem, non regni dignitatem, non aliam quampiam facultatem; sed dic mihi, quæso, quid desideravit? Caput hominis. Quid autem dico? Non solum hominis, sed etiam Evangelistæ. Attamen non vicit caput, licet acceperit. Abscidit caput petendo, iniquum desiderium per discum implevit. Vide, et mirare Dei virtutem. Coarguit inculpatus homo, capite truncatus est; sed qui capite cæsus, in dextera Christi est, illam vero indeprecabile supplicium excipit. Rursus ejus semen, spinosum germen, quærit et festinat. Sed Herodias Joannis caput expetit, rursus saltationem inimus non pedibus, sed qualem Maria olim firmam et immotam. Rursus clamat Joannes ac dicit: « Non licet tibi uxorem habere fratris tui[1]. »

V. Sed quid dicam? Lacrymarum est præsens tempus. Omnia quippe ad ignominiam vergunt, et omnia tempus judicat. Aurum universim gloriam parit. Sed age in medium David dicentem atque clamantem: « Aurum si affluat, » nolite cor apponere[2]. » At dic mihi, Quis ille erat, qui talem vocem protulit? Annon regni fastigium occupabat, sed non ad rapinam respiciebat, non ad pietatis destructionem: non curabat thesauros, sed militarem delectum, non uxoris consensum requirebat. Fugite ergo, mulieres, alienos cœtus: ne consilium pravum viris dederitis: sed ex hisce dictis vos confirmate. Num extinximus flammam vestram? num emollitum est cor vestrum? Sed scio vos, quæ Mariæ filiæ estis, utilitatem accepturas. Aliæ vero absque vino satiatæ sunt, et ebriæ avaritia, ut beatus Paulus clamat et prædicat his verbis: « Radix omnium » malorum avaritia[3]. » Sic insipientes mulieres aures suas obturant, et pro bono semine spinas pariunt. At, obsecro, ne semen nostrum quasi supra petram jaciamus.

[1] Marc. VI, 18. — [2] Psal. LXI, 11. — [3] 2 Tim. VI, 10.

Christi sumus agricultura, a quo audiamus, Euge serve bone, intra in domum meam, ne forte illius vocis loco dicatur, « Serve nequam. » Sed obsecro luceat institutum vestrum coram hominibus, ne infatuemus sal nostrum. Sed glorificemus, gratias agamus divites diviti, pauperes benigno et pauperum amanti Christo, potentes robustæ illius manui. Et hæc quidem de vobis. Verum fortasse Deus ea me pati concedit quæ illi adversum me machinantur, ut in calamitatibus me probet, quia in laboribus victoria omnino consistit, et per certamina præparatur corona. Etenim divinus Paulus dixit : « Cursum consum» mavi, fidem servavi. In reliquo reposita est mihi corona » justitiæ[1], » qua corona nos dignabitur universorum Dominus in sæcula. Amen.

HOMILIA II.

Cum iret in exilium.

I. Læta nobis oratio, fratres, splendidusque conventus, et latum spatiosumque mare plenum, sed non ventorum impetu agitatum. Venit enim mater pacis, quæ ventorum impetum extinguit. « Mater Sion dicet, homo et homo natus » est in ea, et ipse fundavit eam[2]. » Filioli mei me interfecturi sunt? Et quid mortem timeam? « Mihi vivere Christus » est, et mori lucrum[3]. » Sed in exilium mittent? « Domini » est terra, et plenitudo ejus[4]. » Sed facultates meæ publicabuntur? Nihil intulimus in hunc mundum, certumque est quod nihil hinc poterimus auferre. Sed scitis qua de

[1] 2 Tim. IV, 7. — [2] Psal. LXXXVI, 5. — [3] Philip. I, 21. — [4] Psal. XXIII, 1.

causa me depondituri sint. Quia tapetes non expandi, et sericis vestibus non sum usus: quia eorum ingluviem non fovi, nec aurum vel argentum ipsis obtuli. Dicunt porro mihi: Comedisti et bibisti, et baptizasti. Si hoc feci, anathema mihi, ne numerer cum Episcopis, ne sim cum Angelis, ne Deo placeam. Etiamsi vero comederim et baptizaverim, nihil eorum inopportune feci. Deponant et Paulum Apostolum, quod post cœnam custodi carceris baptisma contulerit[1]: deponant ipsum Dominum, quod post cœnam communionem discipulis dederit. Multos video fluctus, gravemque procellam, paratasque hastas: at ego gubernator magna ingruente tempestate, in duabus navigii puppibus sedeo, scilicet, in veteri et Novo Testamento, atque remis tempestatem depello: non remis ligneis, sed veneranda cruce Domini tempestatem in pacem converto. Dominus jubet, et coronatur servus: ideoque non eum in diaboli manus tradit. An ignorant homines, vas purissimum immundi comparatione conspicuum fieri? Fratres, hypotheses vobis tres pono, fidem, tentationem, continentiam. Si dicatis fidem « Vos sustinere, » imitamini beatum Abraham, qui ad senectutem pervenit, et maturos accepit fructus. Si dicatis vos tentationem sustinere, imitamini beatum Job. Ejus mores nostis, et patientiam audistis, nec ignoratis qualem sortitus sit finem. Sin velitis continentiam sustinere, imitamini beatum Joseph, qui venditus est in Ægyptum ducendus, et fame tabescentem Ægyptum liberavit. Illi quippe tentatio oblata est per meretricem Ægyptiam amore ejus captam, quæ ipsi assidebat, « Cuba » mecum » dicens[2]. Volebat enim eum a castitate abducere in Ægypto Ægyptia: hic vero Ægyptius adest. Verum neque illa sanctum supplantavit, neque hunc ille. Sed ap-

[1] Act. XVI, 33. — [2] Gen. XXXIX, 7.

paruit simul libertatis temperantia, filiorum nobilitas, et barbaræ mulieris incontinentia.

II. Fratres, fur non ingreditur eo, ubi palea, fœnum, et lignum adsunt; sed ubi aurum, argentum, aut margarita. Sic et diabolus non eo ingreditur, ubi scortator, aut profanus, aut rapax, aut avarus; sed ubi illi, qui solitariam agunt vitam. Fratres, volumus-ne linguam acuere adversus Imperatricem? Sed quid dicam? Jezabel tumultum agit, et Helias fugit: Herodias lætatur, et Joannes vinculis stringitur: Ægyptia mentitur, et Joseph in carcerem truditur. Si itaque me in exilium miserint, Heliam imitabor; si in cœnum projecerint, Jeremiam; si in mare præcipitaverint, Jonam prophetam; si in lacum, Danielem; si lapidaverint, Stephanum; si capite truncaverint, Joannem præcursorem; si verberaverint, Paulum; si serra secuerint, Hesaïam: utinam vero serra lignea, ut amore crucis fruar. Corporea incorporeum oppugnat: quæ balneis et unguentis fruitur, quæ cum viro circumplicatur, bellum gerit adversus puram et immaculatam Ecclesiam. At enim illa jam vidua sedebit, etiam viro superstite: quia nempe mulier es, et vis Ecclesiam viduam facere. Heri vesperi me tertium decimum Apostolum vocabat, et hodie Judam appellat. Heri cum libertate mecum considebat, et hodie ceu fera in me irruit. Oportuit solem apud nos extingui, et lunam non apparere potius, quam verbi Job oblivisceremur. Etenim Job, qui tantam perpessus est plagam, nihil aliud clamabat, quam, « Sit nomen Domini benedictum in » sæcula[1]. » Cum enim uxor ejus occlamans diceret: « Dic » verbum contra Dominum, et morere[2]; » ipsam increpavit dicens: « Cur quasi una ex insipientibus mulieribus locuta » es[3]? » O ingratam mulierem! o emplastrum dolorum! Numquid, o mulier, te morbo laborante, talia tecum locu-

[1] Job. I, 21. — [2] Job. II, 9. — [3] Ibid. 10.

tus est Job? nonne precibus et officiis tuam abstersit ægritudinem? Cum in regiis atriis degeret, cum opibus floreret, cum regio cultu, nihil simile dicebas: et nunc ubi vides illum in fimo sedentem, et a vermibus circumvolutum, hoc loqueris: « Dic verbum contra Dominum, et mo» rere. » Non satis erat illi temporanea castigatio, sed ei per hoc verbum, æternum supplicium procuras? Sed quid beatus Job? « Cur quasi una ex insipientibus mulieribus » locuta es? Si bona suscepimus de manu Domini, mala » non sustinebimus? » Quid autem hæc iniqua et odiosa; hæc, inquam, nova Jezabel. . . . .
Sed mittit mihi consules et tribunos, tantumque minitatur. Et quid ad me attinet? araneæ ab aranea missæ, fratres, quoniam laboribus victoria, certaminibus corona paratur, ut divinus Paulus modo dicebat, « Bonum certa» men certavi, cursum consummavi, fidem servavi: in re» liquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi » Dominus in illa die justus judex[1]. » Quoniam ipsi gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA I.

Post reditum a priore exilio.

I. Quid dicam, aut quid loquar? Benedictus Deus[2]. Hoc egressus dixi, hoc iterum profero; imo illic cum essem, non intermisi dicere. Meministis me Jobum in medium adducere, ac dicere: « Sit nomen Domini benedictum in » sæcula[3] » Hæc vobis pignora exiens reliqui, has gratiarum

[1] 2 Tim. IV, 7. — [2] Vide D. Guillon, tom. XVIII, p. 431-434. — [3] Job. I, 21.

actiones repeto : « Sit nomen Domini benedictum in sæ- » cula. » Diversæ res, sed una « Glorificatio. » Pulsus gratias agebam, reversus gratias ago. Diversæ res, sed finis unus hiemis et æstatis; unus finis, agri felicitas. Benedictus Deus qui permisit egredi, benedictus iterum qui ad reditum evocavit. Benedictus Deus qui tempestatem permisit, benedictus Deus qui tempestatem solvit, et tranquillitatem paravit. Hæc dico ut vos ad benedicendum Deo instituam. Bona contigerunt? Benedic Deo, et bona manent. Mala acciderunt? Benedic Deo, et mala solvuntur. Quandoquidem et Job dives cum esset, gratias agebat, et pauper effectus Deo gloriam reddebat. Neque tunc rapuit, neque postea blasphemavit. Varia tempora, et una mens fuit. Gubernatoris virtutem, nec tranquillitas resolvit, nec tempestas demergit Benedictus Deus et cum a vobis separatus sum, et cum vos recuperavi. Utraque ejusdem providentiæ fuerunt. A vobis separatus sum corpore, sed nequaquam mente. Videte quanta fecerint inimicorum insidiæ; studium intenderunt, desiderium incenderunt, et sexcentos mihi procurarunt amatores. Antehac me mei amabant, nunc etiam Judæi honorant. Sperabant se a meis me separaturos esse, et alienos asciverunt. Verum non illis, sed Dei nomini gratiæ referendæ, qui illorum nequitia ad honorem nostrum usus est : nam et Judæi Dominum nostrum crucifixerunt, et servatus est mundus : neque gratiam Judæis habeo, sed Crucifixo. Videant quomodo Deus noster videt : quam pacem eorum insidiæ pepererunt, quam gloriam paraverunt. Antehac Ecclesia sola implebatur, nunc forum universum Ecclesia factum est. Unum caput inde huc usque locum occupat. Nemo choro vestro silentium imperavit, et tamen omnes in silentio, omnes in compunctione versabantur. Alii psallebant, alii beatos prædicabant eos qui psallerent. Hodie Circenses sunt, et nemo

adest; sed omnes in Ecclesiam ceu torrentes confluxerunt. Torrens vero vester cœtus, et flumina sunt voces, quæ in cœlum ascendunt, quæque amorem erga patrem perhibent. Preces vestræ diademate splendidiores mihi sunt. Viri mulieresque simul : « In Christo enim Jesu, non est » masculus neque femina[1]. » Quomodo loquar potentias Domini? Scitis quam sit verum id, quod dico : si quis fortiter tentationes ferat, magnum inde fructum demetet.

II. Ideo vos ad Apostolos convocavi. Venimus pulsi ad eos, qui pulsi sunt. Nos insidiis sumus appetiti, illi pulsi sunt. Venimus ad Timotheum, novum Paulum. Venimus ad sancta corpora, quæ Christi stigmata gestaverunt. Nunquam timeas tentationem, si animo sis instructus generoso : sancti omnes sic coronati sunt. Multa corporum afflictio, major vero animorum tranquillitas. Utinam semper in ærumna sitis. Sic et pastor gaudet cum laborem propter oves subit. Quid loquar? Ubi seram? Locum desertum non habeo : ubi laborabo? non est mihi vinea aperta; ubi ædificabo? absolutum est templum; retia mea rumpuntur ob multitudinem piscium. Quid faciam? Laborandi tempus non suppetit. Ideo hortor, non quod doctrina vos egeatis, sed ut ostendam genuinam meam erga vos charitatem. Ubique spicæ vernant. Tot sunt oves, et nusquam lupus : tot sunt spicæ, et nusquam spinæ; tot sunt vites, et nusquam vulpes. Mordaces bestiæ submersæ sunt, lupi fugerunt. Quis illos insecutus est? Non ego pastor, sed vos oves. O nobilitas ovium? Absente pastore, lupos profligarunt. O pulchritudo sponsæ, imo potius castitas! absente viro adulteros abegit. O pulchritudo et castitas sponsæ! Ostendit pulchritudinem, ostendit et probitatem. Quomodo abegisti adulteros? quod virum amares. Quomodo abegisti adulteros? castitatis magnitudine. Non arripui arma,

[1] Galat. III, 28.

non hastas, non clipeos. Ostendi illis pulchritudinem meam, non tulerunt splendorem. Ubi nunc illi? in turpitudine. Ubi nos? in exultatione. Imperatores nobiscum, principes nobiscum. Ecquid dicam? quid loquar? « Adji» ciat Dominus super vos et super filios vestros, [1], » alacritatemque vestram quasi sagena capiat. Hic vero finem loquendi faciamus, in omnibus gratias agentes benigno Deo, cui gloria in sæcula. Amen.

HOMILIA II.

Post reditum a priore exilio.

I. Cum Saram ab Abrahamo abstulit Pharao, pulchram formosamque mulierem improbus barbarusque Ægyptius, et iniquis oculis ejus pulchritudine conspecta, adulterium perpetrare vellet: tunc non in ipso statim initio pœnam immisit Deus, ut justi viri virtus, mulieris castitas, barbari intemperantia, Deique benignitas eminerent; viri justi virtus, quia rem cum gratiarum actione tulit; mulieris castitas, quia in barbarorum manus delapsa pudicitiam servavit; barbari intemperantia, quia alienum torum invasit; Dei benignitas, quoniam cum res hominibus desperatæ essent, tunc coronam justo contulit. Hæc tunc in Abrahamum gesta sunt: gesta item hodie in Ecclesiam. Ægyptius hic, ut ille Ægyptius erat: hic satellites habuit, ille protectores: ille Saram, hic Ecclesiam rapuit: una nocte ille detinuit, hic per unum diem occupavit; ac ne quidem per unum diem occupare permissus est; sed so-

[1] Psal. CXIII, 14.

lum ut sponsæ castitas nota esset, quia illo licet ingrediente ejus castitatis decor corruptus non est: tametsi mœchum paraverat, et tabellæ adornatæ erant, et multi e domo suscripserant. Adornata est machina, sed exitum non habuit. Eluxit simul ejus nequitia, et Dei benignitas. At barbarus tunc ille, peccato agnito, delictum confessus est: dixit enim Abrahæ: « Cur hoc fecisti? cur dixisti, » Soror mea est? et parum abfuit, quin peccaverim[1]; » hic vero etiam post scelus in certamine perstitit. O miser et infelix? « Peccasti, quiesce[2], » ne adjicias peccatum peccato. Et illa quidem rediit opibus instructa Ægyptiacis: et Ecclesia quoque rediit, mentis divitiis instructa, et continentior effecta. Vide barbari insaniam. Ejecisti pastorem: cur gregem dissipasti? amovisti gubernatorem: cur gubernacula confregisti? vinitorem ejecisti; cur vites avulsisti? cur Monasteria pessumdedisti? Barbarorum invasionem imitatus es.

II. Hæc omnia fecit ille, ut virtus appareret vestra. Omnia fecit, ut edisceret hic adesse gregem a Christo pastore ductum. Absente pastore grex simul manebat, et apostolicus sermo implebatur: « Non in præsentia mei » tantum, sed etiam in absentia, cum timore et tremore » salutem vestram operati estis[3]. » Hæc minabantur timentes virtutem vestram, charitatis vim, amoremque mei. Nihil audemus, aiebant, in urbe. Eum nobis date foris. Capite me foris, ut discatis Ecclesiæ amorem, agnoscatis filiorum meorum generosam indolem, militum virtutem, armatorum robur, diadematum splendorem, divitiarum facultatem, amoris magnitudinem, constantem patientiam, libertatis florem, victoriæ gloriam, cladis tuæ ludibrium. O res novas et admirandas! Pastor abest, et grex exultat: dux procul, et milites armantur. Non so-

[1] Gen. XII, 18. — [2] Id. IV, 7. — [3] Philip. II, 12.

um Ecclesia exercitum habuit, sed tota civitas Ecclesia fuit. Vici, fora, aer sanctificabantur: hæretici convertebantur, Judæi meliores efficiebantur, sacerdotes damnabantur, et Judæi Deum laudabant, atque ad nos accurrebant. Ita Christi tempore factum est. Caiphas cruci affixit, et latro confessus est. O novas res et admirandas! Sacerdotes occiderunt, et magi adoraverunt. Hæc ne Ecclesiam perturbent. Nisi hæc contigissent, divitiæ nostræ, quæ vere aderant, non ostensæ fuissent. Sicut enim Job etsi justus esset, non talis visus fuisset, nisi vulnera et vermes apparuissent; ita et divitiæ nunquam notæ fuissent nisi paratis insidiis. Deus sane quasi sese excusans Jobo dicit: « Putas-ne me aliter tibi respondisse, quam ut justus appareres[1]? » Insidiati sunt illi, bellum moverunt et victi sunt. Quomodo bellum gesserunt? fustibus. Quomodo victi sunt? precibus. « Si quis te percusserit in dexteram maxillam, verte illi et aliam[2]. » Tu fustes in Ecclesiam infers et eam oppugnas. Ubi pax est omnibus, bellum moves: nec locum revereris, miser et infelix, non sacerdotii dignitatem, non principatus amplitudinem. Baptisterium sanguine repletum est. Ubi peccatorum remissio, ibi sanguinis effusio. In quanam acie hæc facta sunt? Imperator intrat et projicit clipeum et diadema: Tu intrasti, et clavas arripuisti. Ille Imperii symbola foras relinquit, tu belli symbola intromittis. Sed sponsam meam nullo modo læsisti, ac manet illa pulchritudinem suam exhibens.

III. Idcirco gaudeo, non solum quia vicistis; sed quia me absente vicistis. Si affuissem, in partem victoriæ vobiscum venissem. Quia vero secessi, nudum vobis tropæum fuit. Verum et illud mea laus est; atque rursum in partem victoriæ vobiscum venio, quia sic vos educavi,

[1] Job. XL, 8. — [2] Matth. v, 39.

ut etiam absente patre vestram nobilitatem ostenderetis. Quemadmodum enim strenui athletæ, etiam absente pædotriba robur suum exhibent; sic et fidei vestræ generositas, etiam absente doctore, bonam suam indolem exhibuit. Quid opus verbis? lapides clamant, muri vocem emittunt. Adi imperatorias aulas, et statim audis: Populi Constantinopolitani. Ad mare te confer, desertum pete, montes, domos, encomium vestrum ubique descriptum est. Quibus telis vicistis? Non opibus, sed fide. O Popule doctoris amans! O popule patrem diligens! Beata urbs, non propter columnas et laquearia aurea, sed propter virtutem vestram. Tot tantæque erant insidiæ, et preces vestræ vicerunt: idque jure merito. Nam preces erant assiduæ, et lacrymarum fontes effluebant. Illi tela vibrabant, vos lacrymas: illi furorem spirabant, vos mansuetudinem. Quod vis facito: vos oratis. Illi vero, qui obsistebant, ubinam sunt? An arma movimus? an arcus intendimus? an tela emisimus? Precabamur, et illi fugiebant. Nam quasi aranea dissipati sunt, et vos quasi petra stetistis. Beatus ego propter vos. Sciebam et antea quantis instructus essem divitiis, id tamen nunc miratus sum. Procul eram, et civitas alio transferebatur. Hominis unius causa pelagus in civitatem mutatum est. Mulieres, viri, immaturæ ætatis parvuli; mulieres infantulos gestabant, pelagus adire non dubitabant, fluctus spernebant. Non metuebat herum servus, mulier infirmitatis suæ non meminerat. Forum in Ecclesiam versum est; omnia ubique propter nos movebantur. Quem non erudivistis? Imperatricem vobiscum choros ducentem accepistis: neque enim ejus studium tacebo. Non adulandi causa dico, sed ejus pietatem celebro: neque enim zelum ejus silentio præteribo. Non arma tulit, sed virtutis præclara gesta. Tunc abducebar: Scitis quo pacto. Nam injucunda illa memorare convenit, ut jucunda

et fausta ediscatis, et noscatis quomodo abductus sim, et quo pacto redierim. « Qui seminant in lacrymis, in exultatione metent. Euntes ibant et flebant, mittentes semina » sua. Venientes autem venient cum exultatione, portantes » manipulos suos[1]. » Hæc verba re gesta sunt. Cum gratiarum actione suscepistis eum, quem mœsti deduxeratis. Ac non multo post tempore, sed post unum diem omnia soluta sunt. Etenim propter vos fuit hæc mora: Deus quippe jam ab initio hæc dissolverat.

IV. Rem nunc vobis arcanam dico. Pelagus trajeci solus Ecclesiam gestans. Dilectio enim non in angustum redigitur: non angusta navis erat: vos quippe « Non angus- » tiamini in nobis[2]. » Discessi vestra curans, separatus corpore, mente conjunctus. Discessi Deo supplicans, ac vobis dilectione junctus. Sedebam solus de rebus vestris sollicitus, solus de profectu deliberans. Protinus intempesta nocte hæc religiosissima Domina ipso primo die litteras misit, quarum hæc erant verba; etenim verba ipsa sunt referenda: « Ne arbitretur Sanctitas tua me illa no- » visse quæ gesta sunt: innocens ego sum a sanguine tuo. » Improbi et perditi homines hanc struxere machinam. » Mearum vero lacrymarum testis Deus, cui sacra facio. » Quam libationem effudit? Atenim lacrymæ ejus libatio erant. « Cui sacra facio. » Sacerdos illa nempe, per se ipsam ordinata, quæ Deo offerebat lacrymas, confessionem et pœnitentiam, non pro sacerdote, sed pro Ecclesia, pro populo disperso. Memor erat, memor certe erat, et filiorum et baptismatis. « Recordor per manus tuas filios » meos fuisse baptizatos. » Hæc Imperatrix. Sacerdotes porro omnes invidia excæcati locum ignorabant, quo diverteram. Quodque mirabile dictu est; illa ac si filio timeret, quoquoversum ibat, non corpore, sed militaris ma-

[1] Psal. cxxv, 6. — [2] 2 Cor. vi, 12.

nus missione. Neque enim sciebat locum, ubi degerem : quoquoversum mittebat, ne pastor dolo circumventus occideretur et venatum amitteret. Hoc tantum, quæ mearum sunt partium præsto. Quæro solum, ut illi non prævaleant. Hostes undique circuibant expandentes retia ut caperent et in illorum manus adducerent. Hinc illa rogabat, Imperatorisque genua tangebat, ut virum faceret venationis consortem. Quemadmodum Abraham Saram, sic illa virum. Perdidimus, inquit, sacerdotem : sed reducamus. Nulla nobis imperii spes superest, nisi illum reducamus. Non possum cum quopiam eorum communicare, qui hæc perpetrarunt : lacrymas fundens, Deo supplicans, nullamque machinam non movens. Scitis cum quanta benevolentia nos susceperit, quomodo ulnis exceperit, ceu propria membra : quo pacto diceret se vobiscum sollicitam esse. Neque enim hæc verba vestrum affectum latebant : quoniam suscepistis matrem Ecclesiarum, altricem Monachorum, sanctorum patronam, pauperum baculum. Laus ejus in Dei gloriam vertit, corona Ecclesiarum. Dicam-ne ardentem ejus amorem ? Dicam ejus erga me sollicitudinem ? Heri vesperi hæc ad me verba misit : Dicito ei : Oratio mea impleta est, rem impetravi : melius coronata sum, quam per ipsum diadema. Recepi sacerdotem, caput corpori restitui, gubernatorem navi, pastorem gregi, thalamo sponsum.

V. Pudore affecti sunt adulteri. Seu vivam, seu moriar, nihil mihi curæ est. Videte tentationis præclarum exitum. Quid faciam, ut pro dilectione dignum vobis munus rependam ? dignum nequeo, quale adest tribuo. Usque adeo diligo, ut paratus sim ad effundendum pro salute vestra sanguinem. Nemo tales habet filios, nemo talem gregem, nullus agrum ita florentem : non opus mihi agricultura, me dormiente vernant spicæ. Nullo mihi opus est labore :

me quiescente oves lupum superant. Quî vos compellabo? oves, an pastores, an gubernatores, milites-ne an duces? Hæc nomina vera esse dicere possum. Cum bonum ordinem video, oves voco; cum providentiam, pastores; cum sapientiam, gubernatores; cum virtutem et constantiam, et milites et duces vos omnes dico. O laborem! o providentiam populi! Lupos expulistis, et sollicitudinem non deposuistis. Nautæ, qui vobiscum erant, contra vos conversi sunt, et navi bellum intulerunt. Clamate, facessat clerus, aliumque clerum Ecclesiæ postulate. Quid opus clamore? Abierunt, et depulsi sunt, nemine insequente in fugam versi. Non homo illos, sed conscientia accusat: « Si inimicus exprobrasset mihi, sustinuissem utique[1]. » Qui nobiscum erant, contra nos conversi sunt: qui nobiscum navim gubernabant, navim demergere conati sunt. Miratus sum conscientiam vestram. Hæc dico, non ut ad seditionem vos excitem. Nam quæ illi paravere, seditio sunt, quæ vos fecistis zelus. Non enim rogastis illos occidi, sed impediri quominus illud eveniret vel vobis, vel Ecclesiæ, ne rursus submergeretur. Virtus quippe vestra non sivit ingruere tempestatem, sed illorum sententia fluctus concitavit. Ego vero rem non secundum exitum, sed secundum illorum mentem æstimo. Tu homo qui altari astas, cui tanti populi cura commissa, cum hæc tristia comprimere deberes, tempestatem auxisti, contra te ipsum gladium vibrasti, filios tuos consumpsisti, si non reipsa et experimento, certe animo. Sed Deus prohibuit. Itaque vos demiror et laudo, quod post bellum, pace conciliata, caveatis ut perfecta pax maneat. Oportet enim gubernatorem cum nautis concordi esse animo: si enim dissideant, scapha demergitur. Vos pacem hanc per Dei gratiam stabilite: vos securitatis consortes efficiam. Sine

[1] Psal. LIV, 13.

vobis nihil faciam, nec sine religiosissima Augusta. Namque et illa curat, sollicita est, nihilque non agit, ut quod plantatum est, firmum maneat, ut Ecclesia sine fluctibus degat. Laudavi itaque et vestram conscientiam, et Imperatorum providentiam. Non enim ita de bello solliciti sunt, ut de Ecclesia; non ita de civitate, ut de Ecclesia. Precemur itaque Deum, rogemus illam, in precibus perseveremus: neque, quoniam calamitas soluta est, segniores evadamus. Ideo ad hanc usque diem precamur, ut illa tristia solvantur. Gratias Deo agamus: ut tunc strenui fuimus, sic jam studiosi simus. Pro his vero omnibus gratias agamus Deo, cui gloria et imperium cum Filio et sancto vivificoque Spiritu nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA

Habita in Templo sanctæ Irenes, de studio præsentium et de ignavia absentium. Quod sit psallendum, et quod mulieribus sexus non impedimento sit ad virtutis cursum.

I. Quam dulcissima est Scripturarum lectio et omni prato suavior, atque pomario paradiso delectabilior; maxime vero, cum cognitio lectioni additur. Pratum enim et florum pulchritudo, et arborum comæ, rosa, hedera, myrica, visum delectant, et post dies paucos marcescunt. Scripturarum autem lectio mentem munit, conscientiam purgat, illiberales affectus avellit, virtutem plantat, ratiocinium sublime reddit, non permittit ut inexpectatis

ærumnis immergamur, sublimius erigit, quam ut diaboli tela nos attingere possint : ad ipsum transfert cœlum, absolvit animam a vinculis corporis, leves reddit alas, quidquid boni quis dixerit, in auditorum mentem immittit. Ideo illos qui absunt miseros prædicare non cesso, vosque qui adestis ut beatos celebrare, quia thesaurum colligitis qui insumi non potest, divitias quæ impendi nequeunt, et facultates invidiæ non obnoxias. At multa repleti lætitia, domum receditis. Nihil enim ita voluptatem parere potest, ut conscientia pura. Pura autem efficitur conscientia, etiamsi onusta sit peccatis innumeris, cum frequenter concionem audit. Neque enim prioribus delictis nova addit; imo etiam peccata absumit, et minus propensam reddit animam ad easdem res aggrediendas. Idcirco rogo vestram charitatem, hæc frequenter iis qui absunt decantetis, illosque cito reducatis ad communem matrem, ac spiritualium lucrorum consortes reddatis. Non enim diminutionem, sed augmentum hoc consortium parit. Sed, o pecuniarum tyrannis, quæ multos fratrum nostrorum ab hoc ovili amovet! Nihil enim aliud eos hinc amovet, quam gravis ille morbus, et nunquam extincta fornax. Hæc domina, plus quam barbara, quavis bellua ferocior, et ipsis dæmonibus acrior, captivos suos secum assumens, illos nunc per forum circumfert, gravia dans præcepta, nec sinit eos vel tantillum respirare a perniciosis laboribus. Sed quid facient, cum dies ille terribilis adveniet, judicium incorruptum, et Judex qui decipi non potest : cum vela cœlorum trahentur, et Angelorum populus cum Judice descendet, cum omnia nuda et aperta erunt. Neque enim tunc rhetorum eloquentia, non vis pecuniæ, neque aliud quidvis justitiam corrumpere poterit. Ille enim incorruptus Judex, qui omnia clare novit, ipsa peccata ante oculos statuet, quasi in imagine descripta. Tunc nec rex,

nec idiota comparent; non pauper, non dives; non sapiens, non indoctus : sed illæ omnes larvæ auferuntur; atque ex gestorum conspectu omnes ibi visuntur. Non ibi conspicitur diadema cingens, non purpura amictus, non curru vectus, qui mille lictores habeat, in foro turbam arcentes. Sed isthæc omnia sublata sunt, et nudi singuli inducentur, ex gestis aut perniciei aut salutis causam habentes; ut enim singula gesta exhibentur, sic calculus fertur. Multa vobis bona hinc proveniant quod cum tanto studio hæc verba audiatis. Nam singulorum gemitus, et quod vultum percutiatis, horum seminum mihi fructum indicat. Ideo miseros prædico illos qui absunt, quia cum tanta possent frui cura, ulceribus scatent et vulneribus quotidianis, neque se ægrotare sciunt : ideoque illos sanos fieri difficile est Quis enim illos his de rebus alloquetur? an uxores? sed una illis cura est, de aureis, de vestimentis, de reliqua magnificentia, et de domo sollicitæ, eos qui illic habitant moleste tractant. An famuli? Quomodo, cum nullam habeant loquendi libertatem, et unam ipsi quoque curam habeant ministerium suum implendi? An judices? Sed nihil aliud illi curant quam res urbanas. An forte reges et ii qui diadema gestant? Verum illorum labor omnis versatur circa imperium, potentiam et pecunias. An ipsi se ipsos concitabunt? At quomodo id valeant ii, qui ne respirare quidem possunt ob negotiorum turbam, et qui noctem diemque ea in re insumunt. Quo igitur non miserabiliores fuerint illi, qui innumera vulnera accipiunt, et huc non accedunt, ubi discere possint se, etsi vulneribus affectos, posse ab iis liberari, et valetudinem consequi. Quandonam ergo hi animam suam curabunt? Optandum enim est ut ii qui frequenter in Ecclesiam conveniunt, et doctrina spirituali tantaque cura fruuntur, pravas concu-

piscentias vincere et frenare possint, atque ad virtutis exercitium se convertere.

II. Verum ne absentes illos perpetuo incusantes a consuetis vos privemus, age, solitam vobis mensam apponamus, et de psallendi lucro verba faciamus. Ecce namque ingressus psalmus, voces miscuit, et ut unum cum harmonia canticum efferretur effecit. Juvenes et senes, divites et pauperes, mulieres et viri, servi et liberi, melos unum omnes emisimus. Si enim Citharœdus diversos nervos arte temperans, sonos multos unum efficit, quid mirum si psalmi et spiritualis cantici vis id ipsum fecerit? Neque enim nos solum præsentes, sed etiam mortuum cum vivis miscuit. Ille namque nobiscum psallebat beatus Propheta: etiamsi in regiis aulis id non liceat. Nam ibi sedet ille diademate ornatus. Astant autem omnes cum silentio, licet in maximis magistratibus sint constituti. Hic vero non sic : sed loquitur Propheta, et omnes respondemus, omnes una canimus. Neque licet hic servum videre, nec liberum, nec divitem, nec pauperem, nec principem, nec privatum; sed pellitur illa sæcularis inæqualitas : unus chorus ex omnibus congregatur; æqualitas quoque multa in vocibus est, ac cœlum terra imitatur. Tanta est Ecclesiæ nobilitas. Neque enim dici potest dominum quidem cum multa confidentia psallere, servum autem reprimi; neque rursum, divitem quidem linguam movere, pauperi autem silentium imperari; neque iterum, virum quidem cum fiducia canere, mulierem vero tacere et sine voce stare. Sed omnes pari æqualitate fruentes commune offerimus sacrificium, communem oblationem. Neque plus habet hic quam ille, nec ille quam hic; sed omnes in eodem honore, et una vox a diversis linguis ad orbis Creatorem emittitur. Differentia autem est, non in servo et in libero, non in divite et in paupere, non in

muliere et in viro; sed in animo, in cura et in ignavia, in vitio et virtute. Ita enim ego pauperem divitem, et divitem pauperem vocare possum, et mulierem virum, virumque mulierem, et idiotam sapientem, sapientemque idiotam : non rerum naturam confundens, sed optimam regulam inducens, quæ omnia corrigat. Et quomodo, inquies, vir mulier, et mulier vir fieri possit? Non mutata natura, sed vitæ institutio. Cum enim video hominem aurum gestantem, eleganti coma ornatum, unguentis fragrantem cum molli vestium amictu, fæmineo gressu, deliciis operam dantem, quomodo possim illum vocare virum, qui naturæ nobilitatem prodidit? Etenim ne mulierem quidem id facientem inter viventes Paulus numerare dignatur; sed illam repellit ex respirantium choro, et cum mortuis constituit, dicens : « Quæ autem in deliciis » est, vivens mortua est[1]. » Quomodo ergo vir hæc faciens in virorum ordine numeretur, quæ si faciat mulier, vitam perdidit? Ne mihi enim virum ostendas ab amictu, a zona, vel ex eo quod domi sese efferat, ac formidabilis sit, ac minas intentet; sed ab animi philosophia; cum vitia comprimit, et morbos animæ superat, cum domui suæ interiori imperat; de anima loquor, neque a cogitationibus absurdis trahitur. Hoc maxime viri est. Si autem ebrietati et crapulæ det operam, ac diem tansigat et consumat in comessationibus et ebrietate, cera omni mollior a vitio factus, quomodo potero illum virum vocare, captivum nempe, servum, emptitium, qui omnibus sese vitiis dedit, fractum, emollitum, deliciantem, ab omnibus depulsum, qui ne stare quidem in acie possit? An nescitis nobis jam non esse bellum et aciem parandam adversus homines congeneres; sed adversus invisibiles potestates, adversus dæmonum phalangas, secundum beatum Pau-

[1] 1 Tim. v, 6.

lum : « Non est nobis lucta adversus sanguinem et carnem ; » sed adversus principes et potestates.

III. Hoc enim maxime viri est. Qui ergo formæ studet, nec sese virilem præstat; qui ornatur, nec virtutem viri exhibet, quomodo stet in acie ? et quomodo vir vocetur, cum sit omni muliere mollior ? Eodem autem modo, sicut hunc non virum vocaverim, sed muliere molliorem ; ita et mulierem viriliter agentem, omni viro fortiorem dixerim, si arreptis armis spiritualibus, thorace justitiæ induta, galea salutari assumpta, clypeo fidei tecta, zona veritatis succincta, et gladio spiritus accepto, stet in acie, fulgens armis, ipsis cœlis excelsior facta ex animi sensu, dæmonum phalangas dissolvens, diaboli tyrannidem tollens, vitia quasi mortua corpora reddens, iis quæ in bello cadunt frequentiora ; non hominum, sed absurdarum cogitationum. Mulier namque et vir in corporalibus divisi sunt ; et illi quidem tela, colus, calatiscus, domus custodia assignatur, ut in thalamo maneat et filios nutriat. Viro autem tribunalia, consilia, forum, bella, pugnæ, acies. In pugnis autem illis quæ pietatem spectant commune studium est, communia certamina. Similiterque mulieres se ad pugnam parant, nec ejiciuntur a certamine ; sed et in acie pugnant et coronantur et strenuitatis præmia reportant, atque bravia et coronas : tropæaque apud illas splendida sunt, et victoriæ frequentes. Ac ne putetis hæc fastum sapere et verborum sonitum, et clare sciatis mulieres quasdam non viris modo strenuiores fuisse ; sed etiam, ut ita dicam, ad Angelorum impassibilitatem, quantum fieri poterat, pervenisse : in medium adducatur quædam, natura quidem mulier ; sed quæ ex philosophiæ vi cœlos attigit, Machabæorum mater, quæ bis septem coronas nexuit : et quem volueris militem bellicosissimum, fortis-

[1] Ephes. VI, 12.

simum et magnanimitate præcipuum verbo profer in medium, et tanto sublimiorem videbis mulierem illam, quanto cœlorum fornices distant a terra. Nam vir fortis et pugnator vel unam timet plagam, et ex illa mortem brevi secuturam. Hæc vero stabat ceu mons metallicus, in singulis filiorum graviores in animo sustinens tormentorum plagas, quam illi in lateribus exciperent. Mater enim erat et vidua, atque ad extremam senectutem devenerat. Hæc autem scitis, quotquot patres fuistis, et quæcumque partus dolores expertæ estis, spiculis omnibus esse acerbiora: et nullum telum tam gravem infert vulneratis dolorem, ut horum singuli illius pungebant animum. Cogita enim quantum erat in singulis filiis videre corpus unum igni et ferro divisum, et longos sulcos. Quomodo videbat, quomodo audiebat, quomodo excipiebat odorem ex corporibus illis, mille mortes singulis filiis inferri videns? Sed illa quidem stabat ut petra immobilis, non agitata fluctibus, sed fluctus in spumam convertens, ut ferrum, ut adamas. Imo vero quidquid dicam, non possum mulieri dignum imponere nomen. Hanc igitur mulierem an omnino dicemus esse virum; et non ipsis viris longe superiorem? Quid vero si videris aliam in primæva ætate, in tenero corpore insomnes noctes agentem, diesque sine cibo, ventris cupiditatem opprimentem, pecuniarum amorem humi jacientem, corpus mortificantem, carnem crucifigentem, pro nihilo præsentia habentem, humi gradientem, et ipsos cœli fornices tangentem, potentiam calcantem, gloriam irridentem, celebritatem respuentem, pro simplici veste saccum induentem, catena cinctam, cinerem sub se sternentem, pro lecto solum habentem, et nihil amplius petentem, in angusta domuncula inclusam, cum Prophetis loquentem, vitam agentem in meditatione mortis, ante obitum mortuam, fame, vigiliis et squallore tabefactam,

ac præsentis vitæ fastum, magis quam sicca folia despicientem: hanccine, quæso, mulierem dices? Annon illam ex virorum etiam ordine abductam in Angelorum choro locabis; quando in muliebri natura tantam exhibet philosophiam?

IV. Ecquis hic contradicet? Nullus. Audi quales Apostolorum tempore mulieres erant: audi Paulum Romanis scribentem ac dicentem: « Commendo vobis Phœben sororem nostram, ministram Ecclesiæ, quæ in Cenchreis » est, quæ adjutrix multorum fuit, et mei ipsius[1]. » Quid dicis, o Paule? Mulier adjutrix tua fuit, nec te pudet, neque erubescis hæc dicens? Non me pudet, inquit, imo etiam glorior. Etenim Dominum meum non puduit matrem habere mulierem. Adjutrix autem illa mihi fuit, non simpliciter quia mulier erat; sed quia philosophiæ dedita, pietate florebat. Et quomodo adjutrix Pauli fuit? Qua re egebat Paulus, qui orbem circumcurrebat, qui corpore frustra circumdabatur, qui necessitates naturæ conculcabat, qui dæmonas pellebat, qui morbos per vestimenta curabat, cujus vocem et umbram tremebat diabolus, qui ut Angelus apud fideles honorabatur; quem reverebantur etiam feræ, quem etiam reverebatur mare, et cum nocte et die illum excepisset, non suffocavit tamen, qui paradisi civis fuit, qui de arcanis cum Deo communicavit, qui plus quam omnes Apostoli laboravit: vas electionis, pronubus Ecclesiæ, præco gentium, qui terram et mare circumcurrens fortitudinis suæ ubique tropæa erexit, qui cum fame et siti assidue pugnabat, qui cum nuditate et frigore luctabatur, et dicebat, « Usque in hanc horam et » esurimus et sitimus et nudi sumus[2], » qui mundo mortuus erat, qui mortuum mundum esse putabat, cœlorum civis, ferventissimus Christi amator, igne ardentior, ferro

[1] Rom. XVI, 1. — [2] 1 Cor. IV, 11.

firmior, adamante solidior? Hic non erubescit de muliere dicere, « Adjutrix multorum fuit et mei ipsius. » Neque dicit tantum, sed etiam scribit; neque tantum scribit simpliciter, sed Romanorum populo tanto, tumenti et altum sapienti a dignitatibus, hanc epistolam misit, non illis tantum, sed etiam volebat ut hæc generationibus venturis palam essent. Nisi enim hoc voluisset, in Epistola non posuisset: jam vero volens ut res in perennem memoriam transiret, et mulierem salutat, omnesque excitat ut illi patrocinentur, atque adjutricem suam illam vocat, nec eum pudet, neque erubescit. Tanta res est etiam in muliebri corpore philosophus animus. Hæc autem dico, ut ne obtendat mulier dicens, eo quod mulier sim ad plenam virtutis mensuram non veni. Ecce namque hæc mulier erat, et sexus impedimento non fuit, sed dignata est ut Pauli esset adjutrix, atque ubique per orbem prædicatur. Quomodo autem ejus adjutrix fuit? A periculis fortasse ipsum eripuit; vincto aderat, in catena ipsum consolabatur, rerum necessarium solatium ipsi suppeditabat. Eos qui ipsi insidiabantur detexit; ad mortem se ipsam exposuit, ut abductum illum eriperet a calamitatibus. Ideoque aliam quoque post illam laudibus celebrat sic dicens: « Salutate Priscillam et Aquilam[1]. » Hic quoque vide mulierem splendore fulgentem. Etiamsi enim ambo memorentur, mulier tamen viro præponitur. Non enim dixit, Aquilam et Priscillam, sed Priscillam et Aquilam. Quinam autem hi erant. Tentoriorum artifices, in officina stantes. Sed neque ars, neque paupertas impedimento fuit, quin beatus hic in domicilium istud diversaretur. Cur et qua de causa? Non quia columnas habuit, non quia tabulas et solum lapillis ornatum, nec quia contignationem auream, nec quia servorum greges, vel eunuchorum

[1] Rom. XVI.

ministerium, sed maxime quia ipsorum domicilium purum erat. Quia mulier et vir ex justis laboribus victum colligentes, domum suam Ecclesiam fecerant; non rapientes, nec avaritiæ studentes, sed corporis opera ad necessarium et sufficientem cibum utentes. Ideoque Paulus hanc domum opportunam esse putavit ad diversandum. Et ut discas quod illos ex animæ virtute approbans ibi manserit, audi sequentia : « Qui pro anima mea, inquit, » suas cervices supposuerunt : quibus non solus ego gratias » ago, sed et cunctæ Ecclesiæ Gentium. » Vides-ne nec femineum sexum, nec artem, nec paupertatem impedivisse virtutis cursum? Vides-ne hospitalem mulierem, et virum, qui non mensa tantum, sed etiam sanguine Apostolum exceperunt? Quid enim si non occisi sunt. At illi quæ sua erant impleverunt, ac viventes Martyres fuere. Ac sæpe Martyres, qui semper parati erant ad cædem sustinendam pro Paulo. Non enim dixit, qui pecunias impenderunt, qui domum aperuerunt; sed quod majus erat, cædem et jugulationem in medium adducit, ut diceret, cædem pro me sustinendam delegerunt. Audiant nunc divites, qui vix obolum sanctis erogant. Illi et sanguinem dederunt, et vitam ipsam deponebant, ut sanctum servarent ipsique ministrarent. Qui autem præsentes sunt ne minimam quidem facultatum partem egenis facile erogent. Sed Priscilla et Aquila et pecunias et corpora et vitam ipsam dederunt. Vides-ne quanta sit mulier philosophi animi? quantus sit vir qui in paupertate et arte sua vivit? Hos autem imitemur, et præsentia spernentes, omnia ad Dei placitum expendamus, ut futura consequamur bona, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, per quem et cum quo Patri gloria cum sancto Spiritu, nunc et semper et in sæcula sæculorum. Amen.

S. JOANNIS CHRYSOSTOMI

CONSTANTINOPOLITANI

ARCHIEPISCOPI.

ORDO

Divini sacrificii.

Sacerdos divinum mysterium peracturus, ante omnia confessus et cum omnibus reconciliatus, cor etiam pro viribus purum conservare debet a pravis cogitationibus, et a vespere continuisse, atque usque ad sacrificii tempus vigilasse. Tempore autem sacrificii instante; postquam solitam præsidi pœnitentiam fecerit, templum ingreditur, et Diacono junctus, ter simul adorant ad Orientem, coram Salvatoris et sanctissimæ Deiparæ imagine, et ad duos choros singulatim inclinant. Quando autem adorant, hanc orationem secreto dicunt.

« Domine Deus noster, emitte manum tuam ex sancto habitaculo tuo; et confirma me ad propositum ministerium tuum, ut inculpate tremendo tuo tribunali astans, incruentum sacrificium peragam. Quia tua est potentia et gloria in sæcula sæculorum. Amen. »

Ingressi autem in sacrarium accipiunt uterque manibus suis tunicam sibi propriam, et tres reverentias versus orientem faciunt, apud se dicentes : « Deus propitius esto mihi peccatori[1]. »

[1] Luc. xviii, 13.

Deinde Diaconus inclinato capite accedit ad Sacerdotem, et manu dextera tenens dalmaticam cum stola dicit: « Benedic, Domine, dalmaticam cum stola. »

Sacerdos vero manu benedicens, ait : « Benedictus Deus noster perpetuo nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen. »

Deinde secedit Diaconus seorsum in unam sacrarii partem, et induitur tunica sic orans. « Exultabit anima mea in Domino : induit enim me vestimento salutis, et tunica lætitiæ circumdedit me : et tanquam sponso mihi mitram imposuit, et sicut sponsam me ornamento circumvestivit[1]. »

Et stolam osculatus, sinistro humero illam imponit. Sacerdos quoque accepta tunica, illam benedicit, et osculatus induit, dicens apud se præfatum psalmum sicut Diaconus. Et Sacerdos accipit in dextera manu super manicalia, et dicit : « Dextera tua, Domine, glorificata est in fortitudine : dextera tua, Domine, confregit inimicos, et multitudine gloriæ tuæ confregisti adversarios. Dextera Domini fecit virtutem[2]. » In sinistra vero manu sic dicit : « Manus tuæ fecerunt me et plasmaverunt me[3]. »

Deinde accipiens stolam et benedicens, osculatur, et collo suo imponens, dicit : « Benedictus Deus, qui effundit gratiam suam super sacerdotes suos, ut unguentum super caput, quod descendit in barbam barbam Aaron, quod descendit in oram vestimenti ejus, ut ros Ærmon, qui descendit in montes Sion : quoniam illic mandavit Dominus benedictionem, vitam usque in sæculum[4]. »

Et accipiens zonam et benedicens osculatur, et dicit : « Benedictus Deus, qui præcingit me virtute, et effundit gratiam suam perpetuo, nunc et semper et in sæcula sæculorum. Amen. »

[1] Isaï. LXI, 10. — [2] Exod. XV, 6. — [3] Psal. CXVIII, 73. — [4] Id. CXXXII, 2.

Deinde accepto subgenuali, si est protosyncellus magnæ Ecclesiæ, vel quivis alius habens dignitatem aliquam, et postquam benedixit, et osculatus est, dicit : « Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime, intende, prospere procede et regna, propter veritatem et mansuetudinem et justitiam, et deducet te mirabiliter dextera tua, perpetuo, nunc et semper, et in sæcula sæculorum [1]. Amen. »

Deinde accipiens casulam et benedicens exosculatur, et ait : « Sacerdotes tui, Domine, induent justitiam, et sancti tui exultatione exultabunt perpetuo, nunc et semper et in sæcula sæculorum [2]. Amen. »

Dehinc procedentes ad propositionis mensam, lavant manus dicentes : « Lavabo inter innocentes manus meas, et circumdabo altare tuum, Domine, ut audiam vocem laudis tuæ, et enarrem universa mirabilia tua. Domine, dilexi decorem domus tuæ, et locum habitationis gloriæ tuæ. Ne perdas cum impiis animam meam, et cum viris sanguinum vitam meam : in quorum manibus iniquitates sunt : dextera eorum repleta est muneribus : ego autem in innocentia mea ingressus sum : redime me, Domine, et miserere mei : pes meus stetit in directo : in Ecclesiis benedicam te, Domine [3]. »

Diaconus vero sacra præparat; sanctum quidem discum ad partem sinistram, calicem vero ad dexteram, et alia cum ipsis. Dehinc tres reverentias ante propositionis mensam facientes dicunt, « Deus propitius esto mihi peccatori et miserere mei [4] ; » et illud : « Redemisti nos de maledicto legis pretioso sanguine tuo, cruci affixus et lancea perforatus, immortalitatem tanquam ex fonte præbuisti hominibus, Salvator noster, gloria tibi. »

Deinde dicit Diaconus, « Benedic, Domine. » Et be-

[1] Psal. XLIV, 5. — [2] Id. CXXXI, 9. — [3] Id. XXV, 6. — [4] Luc. XVIII, 13.

» nedicit Sacerdos : « Benedictus Deus noster, perpetuo, nunc et semper et in sæcula sæculorum. Amen. »

Deinde accipit Sacerdos in sinistra manu oblationem, in dextera vero sanctam lanceam, et cum ea signum faciens supra sigillum oblatæ, ter dicit : « In memoriam Domini et Dei, et Salvatoris nostri Jesu Christi. »

Et statim infigit sanctam lanceam in dexteram partem sigilli, et scindens dicit : « Tanquam ovis ad occisionem ductus est[1]. » In sinistra similiter infigens sanctam lanceam dicit : « Et sicut agnus sine malitia coram tondente se sine voce, sic non aperit os suum. »

In superiore autem parte sigilli infigens sanctam lanceam dicit : « In humilitate ejus judicium ejus sublatum est. » In inferiori etiam sigilli parte rursus infigens sanctam lanceam dicit : « Generationem ejus quis enarrabit ? »

Diaconus vero in qualibet incisione dicit : « Dominum precemur. » Tenens autem dextera manu stolam, postea dicit Diaconus : « Tolle Domine. »

Et Sacerdos immittens sanctam lanceam, ex obliquo dexteræ partis oblatæ, extollit sanctum panem, sic dicens : « Quia tollitur de terra vita ejus, perpetuo, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen. »

Et ponens ipsum sublimem in sancto disco, postquam dixit Diaconus : « Immola, Domine, » Sacerdos sacrificat illum in modum crucis, dicens : « Immolatur Agnus Dei, qui tollit peccatum mundi, pro mundi vita et salute. » Et convertit aliam partem, quæ habet superne crucem ; et dicit Diaconus : « Punge Domine. »

Sacerdos autem ipsum in dextera pungens cum sancta lancea dicit : « Et unus militum lancea latus ejus aperuit : et statim exivit sanguis et aqua[2]. » Diaconus autem infundit in sanctum calicem vinum et aquam simul, post-

[1] Isaï. LIII. — [2] Joan. XIX, 34.

quam Sacerdoti dixit : « Benedic, Domine, mixtionem hanc ; » Et Sacerdos benedicit.

Deinde accipiens Sacerdos secundam oblatam, dicit : « In honorem et memoriam super omnes benedictæ gloriosæ Dominæ nostræ Deiparæ et semper Virginis Mariæ : cujus precibus suscipe, Domine, sacrificium hoc in supercœleste altare tuum. »

Et elevans particulam cum sancta lancea, ponit ad sinistram sancti panis. Postea tertiam oblatam accipiens, dicit.

« Honorandi gloriosi Prophetæ Præcursoris et Baptistæ Joannis, sanctorum gloriosorum et percelebrium Apostolorum, sanctorum patrum nostrorum Pontificum, Basilii magni, Gregorii Theologi, Joannis Chrysostomi, Athanasii, Cyrilli, Nicolai Myrensis, et omnium sanctorum Pontificum ; sancti Apostoli, primi Martyris et Archidiaconi Stephani ; Sanctorum magnorum Martyrum, Georgii, Demetrii, Theodori et omnium sanctorum Martyrum ; sanctorum Deiferorum patrum nostrorum, Antonii, Euthymii et Sabæ sanctificati, Onuphrii, Arsenii, Athanasii in monte Atho et omnium Sanctorum ; Sanctorum Medicorum absque mercede, Cosmæ et Damiani, Cyri et Joannis Eleemosynarii, et Hermolai, Sampsonis et Diomedis, Thallalei et Tryphonis, et reliquorum ; Sanctorum Deiparentum Joachim et Annæ ; Sancti illius, cujus est dies festus ; et omnium Sanctorum, quorum precibus protege nos Deus. »

Et sic attollens particulam ponit eam infra dexteram partem. Deinde accepta alia oblata dicit : « Pro Archiepiscopo nostro N. Venerando presbyteratu, in Christo Diaconatu, et omni Sacerdotali ordine : Pro memoria et remissione peccatorum semper memorabilium, conditorum hujus sanctæ ædis. » Hic vivorum et mortuorum,

quorum vult Sacerdos, nominatim mentionem facit. « Et omnium qui in spe resurrectionis et vitæ æternæ in communione tua obierunt, orthodoxorum patrum et fratrum nostrorum : benigne Domine, veniam indulge. » Et sic particulam attollens, ponit illam infra sinistram partem. Accepto deinde thuribulo et incenso, Diaconus dicit Sacerdoti : « Benedic, Domine, incensum; et Dominum precemur. »

Et Sacerdos dicit Orationem : « Incensum tibi offerrimus, Christe Deus, in odorem suavitatis spiritualis, quem suscipe, in sanctum et supercœleste altare tuum ; et repende nobis abundantes tuas miserationes, et illas largire nobis servis tuis, qui invocamus nomen tuum, Patris et Filii et Spiritus sancti, perpetuo, nunc et semper, et in sæcula et sæculorum. Amen. »

Diaconus : « Dominum precemur. » Et Sacerdos cum asteriscum suffumigaverit, ponit eum super panem dicit : « Et veniens stella stetit supra ubi erat puer jacens, perpetuo nunc et semper et in sæcula sæculorum. Amen. » Diaconus, « Dominum precemur. » Sacerdos postquam primum velum incenso honoravit, tegit sanctum panem et dicit : « Dominus regnavit, decorem indutus est : indutus est Dominus fortitudinem et præcinxit se. Etenim firmavit orbem terræ, qui non commovebitur. Domum tuam decet sanctitudo, Domine, in longitudine dierum, perpetuo, nunc et semper et in sæcula sæculorum. Amen[1]. »

Diaconus : « Dominum precemur. Tege, Domine. » Sacerdos suffumigans secundum velum, et tegens sanctum calicem dicit : « Operuit cœlos virtus tua, Christe, et laudis tuæ plena est terra[2] perpetuo, nunc et semper et in sæcula sæculorum. Amen. »

Diaconus : « Dominum precemur. Tege, Domine. » Et

[1] Psal. XCII, 1. — [2] Habac. III, 3.

Sacerdos suffumigans aerem, et utraque velans, ait : « Protege nos sub umbra alarum tuarum Deus noster[1], perpetuo, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen. »

Deinde ligatis ambo manibus, postquam pie adoraverunt, dicunt : « Benedictus Dominus Deus noster, cui sic complacuit, perpetuo, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen. »

Diaconus in propositione donorum pretiosorum : « Dominum precemur. » Sacerdos propositionis Orationem emittit :

« Deus, Deus noster, qui cœlestem panem, et escam totius mundi Dominum nostrum et Deum Jesum Christum misisti Salvatorem et redemptorem et beneficum, nos benedicentem et sanctificantem; ipse benedic hanc propositionem : et suscipe eam in supercœleste tuum altare : memento ut bonus et benignus eorum qui obtulerunt, et propter quos obtulerunt, et nos inculpatos custodi in celebratione divinorum tuorum mysteriorum. Elata voce : « Quoniam sanctificatum et glorificatum est, honorabilissimum et magnificum nomen tuum, Patris, et Filii et Spiritus sancti, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen. »

Et completa oratione propositionem suffumigat, et dimissionem facit, dicens : « Gloria tibi, Christe Deus, spes nostra. Diaconus : Gloria Patri et filio et sancto Spiritui nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen. »

Sacerdos : « Christus verus Deus noster, intercessionibus sanctissimæ, intemeratæ, super omnes benedictæ, gloriosæ Dominæ nostræ Deiparæ et semper Virginis Mariæ, virtute venerandæ et vivificæ crucis et omnium

[1] Matth. II, 9.

Sanctorum, misereatur nostri utpote bonus Deus et benignus. « Chorus ; Amen. »

Et sic Diaconus accepto thuribulo, abit, et sanctam mensam cruciformiter in circuitu incensat, dicens apud se : « In sepulcro cum corpore, in inferis autem cum anima ut Deus ; in Paradiso cum latrone ; et in throno eras, Christo, cum Patre et Spiritu, omnia implens, qui incircumscriptus es. » Et psalmum quinquagesimum recitat : « Miserere mei Deus. »

Et postquam incensavit sacrarium et totum templum, ad sanctum tribunal rursus ingreditur, et postquam incensavit sanctam mensam et sacerdotem, thuribulum deponit in proprio loco : ipse vero accedit ad Sacerdotem : et simul stantes ante sanctam mensam, et apud se quisque adorantes et orantes dicunt :

« Rex cœlestis, paraclete Spiritus veritatis, qui ubique præsens es et omnia imples, thesaurus bonorum et vitæ largitor, veni et habita in nobis, et purga nos ab omni macula, et serva, o bone, animas nostras. » Illud, « Gloria in excelsis Deo, et in terra[1] » Bis ; et illud, « Domine labia mea aperies[2], » et reliqua semel.

Deinde osculatur Sacerdos Evangelium ; Diaconus autem sanctam mensam. Deinde Diaconus caput inclinans Sacerdoti, et stolam suam tribus dexteræ suæ digitis tenens ait : « Tempus faciendi Domino. Benedic Domine. » Et Sacerdos ipsum signans dicit : « Benedictus Deus noster perpetuo nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen. »

Diaconus : « Ora pro me, Domine. » Sacerdos vero : « Dirigat Dominus gressus tuos. » Et rursus Diaconus : « Recordare mei Domine : » Sacerdos vero : « Recordetur tui Dominus Deus in regno suo, perpetuo, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. » Diaconus ; « Amen, amen, amen. »

[1] Luc. II, 14. — [2] Psal. L, 17.

Et postquam ter adoraverunt, dicunt apud se : « Domine » labia mea aperies, etc. »

Et postea egreditur Diaconus ex tribunali, et postquam ter adoravit, dicit alta voce : « Benedic, Domine. » Sacerdos autem alta voce dicit : « Benedictum regnum Patris et Filii et Spiritus sancti, nunc et semper, et in sæcula sæculorum ; Chorus. Amen. »

Diaconus alta voce : « In pace Domini precemur : » Chorus, « Domine, miserere. » Diaconus : « Pro superna pace et salute animarum nostrarum, Dominum precemur. » Chorus : « Domine miserere. » Diaconus : « Pro pace totius mundi, stabilitate sanctarum Dei Ecclesiarum, et pro omnium concordia Dominum precemur. » Chorus, « Domine, miserere. »

Diaconus. « Pro hac sancta domo, et pro iis qui cum fide, pietate et timore Dei ingrediuntur in eam, Dominum precemur. » Chorus, « Domine, miserere, » Diaconus : « Pro Archiepiscopo nostro N. Venerandis presbyteris, in Christo Diaconis, universo clero et populo Dominum precemur : » Chorus : « Domine, miserere. »

Diaconus : « Pro piissimis et a Deo custoditis Imperatoribus nostris, pro toto palatio et exercitu ipsorum, Dominum precemur. » Chorus : « Domine, miserere. » Diaconus : « Ut una cum illis bellum gerat, et subjiciat sub pedibus eorum omnem inimicum et hostem, dominum precemur. » Chorus : « Domine miserere. »

Diaconus : « Pro sancta hac mansione, tota urbe et regione, et iis qui cum fide in illis habitant, Dominum precemur. » Chorus : « Domine, miserere. » Diaconus : « Pro bona aëris temperie, et pro fructuum terræ fertilitate, et pacificis temporibus Dominum precemur. » Chorus : « Domine, miserere. »

Diaconus : « Pro navigantibus, iter agentibus, ægrotis,

laborantibus, captivis, et pro salute ipsorum, Dominum precemur. » Chorus : « Domine, miserere. » Diaconus : « Ut liberemur ab omni afflictione, ira, periculo et necessitate, Dominum precemur. » Chorus : « Domine, miserere.»

Oratio Antiphoni primi secreto.

« Domine Deus noster, cujus nec potentia æstimari, nec gloria comprehendi potest, cujus misericordia immensa, et benignitas ineffabilis est, ipse, Domine, pro tua miseratione in nos respice, et in hanc sanctam domum : et fac nobiscum et cum iis qui nobiscum precantur abundantes misericordias et miserationes tuas. »

Sacerdote dicente orationem secreto in tribunali, eodem tempore Diaconus extra tribunal pacifica recitat. Si autem non sit Diaconus, Sacerdos post orationem dicit, elata voce, et postea pacifica.

Diaconus : « Suscipe, serva, miserere, et custodi nos, Deus, gratia tua. » Chorus : « Domine, miserere. « Diaconus : « Sanctissimæ, intemeratæ, super omnes benedictæ, gloriosæ Dominæ nostræ, Deiparæ et semper Virginis Mariæ cum omnibus Sanctis memoriam recolentes, nosmetipsos et mutuo, et omnem vitam nostram Christo Deo consecremus. » Chorus : « Tibi Domine. »

Alta voce Sacerdos : « Quoniam tibi convenit omnis gloria, honor et adoratio, Patri et Filio et Spiritui sancto, nunc et semper in sæcula sæculorum. » Chorus : « Amen. »

Post pacifica Chorus psallit primum Antiphonum, vel typica, si est Dominica, sin vero, quod diei proprium est.

Oratio Antiphoni secundi secreto.

« Domine Deus noster salvum fac populum tuum, et

benedic hæreditatem tuam, plenitudinem Ecclesiæ tuæ custodi, sanctifica diligenter decorem domus tuæ. Tu ipsos vicissim glorifica divina tua potentia, et ne derelinquas nos sperantes in te.

Nota etiam hic ut et prima oratione, si adsit Diaconus, aut si absit.

Diaconus : « Etiam atque etiam in pace Dominum precemur. » Chorus : « Domine, miserere. » Diaconus : « Suscipe, serva, miserere et custodi nos Deus gratia tua. » Chorus : « Domine, miserere. » Diaconus : « Sanctissimæ, intemeratæ, super omnes benedictæ, Dominæ nostræ Deiparæ et semper Virginis Mariæ cum omnibus sanctis memoriam agentes, nosmetipsos et mutuo, et totam vitam nostram Christo Deo consecremus. » Chorus : « Tibi Domine. » Alta voce Sacerdos : « Quoniam tua est potentia, et tuum est imperium, et virtus et gloria, Patris, Filii et Spiritus sancti, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. » Chorus : « Amen. »

Post pacifica secunda cantat Chorus secundum Antiphonum, vel typica secunda ; si sit Dominica ; sin vero, quod diei est.

Oratio tertii Antiphoni secreto.

« Qui communes has et concordes orationes largitus es, qui et duobus et tribus in tuo nomine convenientibus te petitiones daturum pollicitus es : ipse etiam nunc servorum tuorum petitiones imple ad utilitatem, suppeditans nobis in præsenti sæculo agnitionem veritatis, et in futuro

vitam æternam largiens. » Nota et hic ut in prima et secunda oratione, si Diaconus adsit, necne.

Diaconus : « Etiam atque etiam in pace Dominum precemur. » Chorus : « Domine miserere. » Diaconus : « Suscipe, serva, miserere et custodi nos Deus gratia tua. » Chorus : « Sanctissimæ, intemeratæ, super omnes benedictæ, gloriosæ Dominæ nostræ Deiparæ, et semper Virginis Mariæ, cum omnibus sanctis memoriam agentes, nos ipsos et mutuo et totam vitam nostram Christo Deo consecremus. » Chorus : « Tibi Domine. » Alta voce Sacerdos. « Quia bonus et benignus Deus es, et tibi gloriam referimus Patri et Filio et sancto Spiritui, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. » Chorus : « Amen. »

Hic chorus cantat tertium Antiphonum ; vel tertium et sextum canticum Matutinorum. Si vero sit Dominica, cantat beatudines, et quod proprium est sancti illius diei. Cum autem pervenit chorus ad, « Gloria Patri, » Sacerdos et diaconus ante mensam ter adorant. Deinde accipiens Sacerdos sanctum Evangelium, dat Diacono : atque ita egressi per portam Aquilonaris partis, veniunt ad consuetum locum, et ingressum minorem peragunt, et inclinant ambo capita, et Diacono dicente submisse : « Dominum precemur ; » simul et stolam tribus digitis apprehendente, dicit sacerdos orationem ingressus.

Oratio ingressus sancti Evangelii secreto.

« Dominator Domine Deus noster, qu iconstituisti in cœlis ordines et exercitus Angelorum et Archangelorum in ministerium gloriæ tuæ, fac ut cum introitu nostro sit introitus sanctorum Angelorum simul nobiscum ministrantium, et bonitatem tuam conglorificantium. Alta voce :

« Quoniam te decet gloria, honor et adoratio, Patrem et Filium et sanctum Spiritum, nunc et semper et in sæcula sæculorum. » Chorus : « Amen. »

Oratione finita, dicit Sacerdoti Diaconus : « Benedic, Domine, sanctum introïtum : » Ostendens simul cum stola partem Orientalem. Et Sacerdos cruce versus orientem facta dicit : « Benedictus ingressus sanctorum tuorum perpetuo, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen. »

Deinde Diaconus accedit ad Episcopum, qui osculatur Evangelium, si adest; si non adest, Sacerdos osculatur. Et ultimo modulo completo, ingreditur Diaconus in medium : et stans ante Sacerdotem, tollit modice manus, et ostendens sanctum Evangelium, dicit alta voce : « Sapientia recta. » Tum reverentia exhibita, ipse et Sacerdos pone ipsum, in sanctum tribunal ingrediuntur. Et Diaconus quidem sanctum Evangelium in sacra mensa deponit. Cantores vero dicunt consuetos modulos, et eos qui sunt sancti illius diei : et cum pervenerint ad ultimum, Diaconus versus Sacerdotem caput inclinans, et stolam manu tenens dicit : « Benedic, Domine, tempus hymni ter Sancti. » Et Sacerdos sigillo muniens ipsum dicit : « Quoniam Sanctus es, Deus noster, perpetuo nunc et semper. » Modulo autem completo ad sanctas fores Diaconus accedit, et foris stantibus stolam ostendit, alta voce dicens : « Et in sæcula sæculorum. » Chorus : « Amen. »

Choro autem ter sanctum hymnum canente, Sacerdos precatur secreto.

Oratio hymni ter sancti secreto dicenda.

« Deus sancte, qui in sanctis requiescis, qui ter sancta voce a Seraphim laudibus celebraris, et a Cherubim glorificaris, et ab omni cœlesti potestate adoraris, qui ex nihilo ad esse cuncta adduxisti, qui creasti hominem ad imaginem et similitudinem tuam, et omni dono exornasti, qui das petenti sapientiam et intelligentiam, et non despicis peccantem, sed ad salutem posuisti pœnitentiam, qui nos humiles et indignos servos tuos dignatus es in hac hora stare ante gloriam sancti tui altaris, debitamque tibi adorationem et glorificationem exhibere : ipse, Domine, suscipe ex ore nostro peccatorum ter sanctum hymnum, et respice nos in bonitate tua. Condona nobis omne peccatum voluntarium et involuntarium, et sanctifica animas corporaque nostra, et da nobis te in sanctitate colere omnibus diebus vitæ nostræ, intercessionibus sanctæ Deiparæ, et omnium Sanctorum qui a sæculo tibi placuerunt. » Alta voce : « Quia sanctus es, Deus noster, et tibi gloriam referimus. Patri et Filio et sancto Spiritui nunc et semper et in sæcula sæculorum. » Chorus : « Amen. »

His completis et choro psallente, « Gloria, et nunc, » Cantant et ipsi, Sacerdos nempe et Diaconus ter sanctum hymnum, facientes simul et tres reverentias ante sanctam mensam. Deinde dicit Diaconus Sacerdoti : « Benedic, Domine : » Et procedunt ad sedem. Et Sacerdos abeundo dicit : « Benedictus qui venit in nomine Domini. » Diaconus autem : « Benedic, Domine, supernam Cathedram. » Et Sacerdos : « Benedictus es super throno gloriæ regni tui, qui sedes super Cherubim, perpetuo, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen. »

Et completo hymno ter sancto Diaconus veniens ante ostium dicit : « Attendamus. » Et Sacerdos : « Pax omnibus. » Diaconus : « Sapientia. » Et lector incipit, « Alleluia. Psalmus David. » Et Diaconus rursum : « Attendamus. » Lector propositum Apostoli et diei. Et Diaconus iterum : « Attendamus. » Et lectione Apostoli completa Sacerdos exclamat : « Pax tibi. » Diaconus : « Sapientia. » Et Chorus : « Alleluia, Psalmus David. » Et Diaconus rursum, « Attendamus. » Lector propositum Apostoli et diei, et Diaconus iterum, « Attendamus. » Et lectione Apostoli completa, exclamat Sacerdos : « Pax tibi. » Diaconus : « Sapientia. » Et Chorus : « Alleluia, Psalmus David. » Et accipiens Diaconus thuribulum et incensum, accedit ad Sacerdotem dicens : « Benedic, Domine, incensum. »

Benedicente autem Sacerdote, et hanc orationem recitante, « Incensum tibi offerimus, Christe Deus noster, in odorem suavitatis spiritualis. Nobis vicissim repende divinam gratiam sanctissimi tui Spiritus perpetuo, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen. » Incensat Diaconus sanctam mensam in circuitu, sacrarium totum et aërem. Et postea deposito thuribulo, venit ad Sacerdotem, et inclinato ipsi capite, tenens stolam cum sancto Evangelio extremis digitis, videlicet in illo loco sanctæ mensæ dicit : « Benedic, Domine ; Evangelistam sancti Apostoli et Evangelistæ N. » Sacerdos autem signans illum dicit : « Deus per intercessionem sancti gloriosi Apostoli et Evangelistæ N. det tibi verbum ad Evangelizandum multa virtute. » Et Diaconus dicit, « Amen. » Et adorato cum pietate sancto Evangelio : egressus per sanctas portas, præcedentibus lampadibus et suffimentis, venit et stat superne in Ambone, aut in constituto loco. Sacerdos vero stans ante sanctam mensam, respiciens ad Oc-

» cidentem alta voce dicit : « Sapientia recta. Audiamus sanctum Exangelium. » Et Diaconus : « Ex Evangelio sancti N. lectio. » Et Sacerdos : « Attendamus. » Completo autem Evangelio dicit Diacono Sacerdos : « Pax tibi. » Et Diaconus veniens usque ad sanctas portas reddit sanctum Evangelium Sacerdoti.

Deinde in consueto loco stans sic incipit : « Dicamus omnes ex tota anima, et ex tota mente dicamus. » Chorus : « Domine, miserere. » Diaconus : « Domine omnipotens, Deus patrum nostrorum, precamur te, exaudi et Miserere. » Chorus : « Domine, miserere. » Diaconus : « Miserere nostri, Deus, secundum magnam misericordiam tuam, precamur, te, Domine, exaudi. » Chorus : « Domine, miserere. » Diaconus : « Etiam precamur te pro piissimis et a Deo custoditis Imperatoribus nostris, ut concedas ipsis potentiam, victoriam, perseverantiam, pacem, sanitatem, salutem, et ut Dominus Deus noster magis ac magis ipsos adjuvet et in omnibus dirigat, et sub pedibus eorum subjiciat omnem inimicum et adversarium. » Chorus : « Domine, miserere. »

Sacerdos autem hanc orationem secreto dicit.

« Domine Deus noster intensam hanc supplicationem a servis tuis suscipe et miserere nostri, secundum multitudinem misericordiæ tuæ, et miserationes tuas in nos demitte, et in omnem populum tuum, qui copiosam misericordiam a te expectat, » Alta voce : « Quoniam misericors et benignus Deus es, et tibi gloriam referimus Patri et Filio et Spiritui sancto, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. » Chorus : « Amen. »

Diaconus : « Rogate Catechumeni Dominum. » Cho-

rus : « Domine, miserere. » Diaconus : « Fideles pro Catechumenis precemur, ut Dominus eorum misereatur. » Chorus : « Domine, miserere. » Diaconus, « Ut erudiat eos verbo veritatis. » Chorus : « Domine, miserere. » Diaconus : « Ut revelet ipsis Evangelium justitiæ. » Chorus : « Domine, miserere. » Diaconus : « Ut uniat eos Sanctæ, Catholicæ et Apostolicæ Ecclesiæ. » Chorus : « Domine, miserere. » Diaconus : « Serva, miserare, protege et custodi illos, Deus, gratia tua. » Chorus : « Domine, miserere. » Diaconus : « Catechumeni, capita vestra Domino inclinate. » Chorus : « Tibi Domine. »

Oratio Catechumenorum ante sanctam oblationem quam dicit Sacerdos secreto.

« Domine Deus noster, qui in altis habitas, et humilia respicis, qui salutem humano generi misisti per Unigenitum Filium et Deum ac Dominum nostrum Jesum Christum, respice servos tuos Catechumenos, qui suam tibi cervicem inclinarunt, et dignare illos in tempore opportuno lavacro regenerationis, remissione peccatorum, et indumento incorruptionis. Uni eos Sanctæ tuæ Catholicæ et Apostolicæ Ecclesiæ, et annumera eos cum electo tuo grege. » Alta voce : « Ut et ipsi simul nobiscum glorificent venerandum tuum et magnificum nomen, Patris et Filii et sancti Spiritus, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. » Chorus : « Amen. »

Post exclamationem accipit Sacerdos corporale, et ut moris est, expandit Diaconus : « Quotquot Catechumeni accessistis, quotquot Catechumeni accessitis : quotquot Catechumeni accessistis. Ne quis ex Catechumenis maneat.

Quotquot fideles etiam atque etiam in pace Dominum precemur. » Chorus : « Domine, miserere. »

Oratio fidelium prima, postquam expansum est corporale, quam Sacerdos secreto dicit.

« Gratias agimus tibi, Domine Deus virtutum, qui dignatus es ut nos nunc altari tuo astaremus, et procideremus ante miserationes tuas pro peccatis nostris et ignorantis populi. Suscipe, Deus, supplicationem nostram. Fac nos esse dignos qui offeramus tibi preces, supplicationes et incruenta sacrificia pro toto populo tuo : et fac nos idoneos, quos in hoc ministerio posuisti, ut in virtute Spiritus tui sancti inculpate et innoxie in puro conscientiæ nostræ testimonio, invocemus te in omni tempore et loco, ut exaudiens nos, propitius nobis sis in multitudine bonitatis tuæ. »

Orante Sacerdote, Diaconus, si adest, pacifica recitat extra sanctum tribunal, in consueto loco; « Etiam atque etiam in pace Dominum precemur. » Chorus : « Domine, miserere. » Diaconus : « Pro sancta hac mansione, pro tota urbe, regione, et iis qui cum fide habitant in illis, Dominum precemur. » Chorus : « Domine, miserere. » Diaconus : « Pro aëris temperie, fructuum terræ fertilitate, et pro temporibus pacificis Dominum precemur. » Chorus : « Domine, miserere. » Diaconus : « Pro navigantibus, iter agentibus, ægrotantibus, laborantibus, captivis et pro salute ipsorum Dominum precemur. » Chorus : « Domine, miserere. » Diaconus : « Ut liberemur ab omni afflictione, ira, periculo et necessitate Dominum precemur. » Chorus : « Domine, miserere. » Diaconus : « Suscipe, serva, miserare et custodi nos per gratiam tuam

Deus. » Chorus : « Domine, miserere. » Diaconus : « Sapientia. »

Sacerdos alta voce.

« Quia te decet omnis gloria, honor et adoratio, Patrem et Filium et sanctum Spiritum perpetuo, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. » Chorus : « Amen. »

Oratio fidelium secunda, quam Sacerdos secreto dicit.

« Iterum et sæpius coram te procidimus, et te rogamus bone et clemens, respiciens supplicationem nostram, purges animas et corpora nostra ab omni inquinamento carnis et Spiritus, et des nobis innoxiam et inculpatam ad sanctum altare tuum frequentiam. Largire autem, Deus, etiam iis qui nobiscum precantur profectum vitæ et fidei et spiritualis prudentiæ. Da iis qui te semper cum timore et amore colunt, ut innoxie et inculpate sanctis mysteriis tuis participent, et cœlesti regno dignentur. »

Orante Sacerdote, Diaconus pacifica recitat ante sanctum tribunal. Sacerdos alta voce : « Ut a potentia tua jugiter custoditi, tibi gloriam referamus, Patri et Filio et sancto Spiritui, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. » Chorus : « Amen. »

Post exclamationem dicit orationem apud se : et cantores hymnum canunt Cherubicum. Diaconus autem accedens ad Sacerdotem, cum incenso suffumigat in modum crucis et in circuitu sanctam mensam, sacrarium et Sacerdotem. Et postea stat reverenter ad sinistram Sacerdotis, expectans orationis complementum.

Oratio quam secreto dicit Sacerdos, dum Cherubicus hymnus cantatur.

« Nullus eorum qui carnalibus concupiscentiis et voluptatibus sunt irretiti, dignus est, qui accedat vel appropinquet et ministret tibi, Rex gloriæ. Ministrare namque tibi, magnum et tremendum est etiam cœlestibus Potestatibus. Attamen ob ineffabilem et immensam tuam benignitatem sine mutatione, factus es homo et Pontifex noster appellatus, et hujus solemnis et incruenti sacrificii sacrum ministerium nobis tradidisti, utpote Dominus universorum. Tu enim solus, Domine Deus noster, dominaris cœlestibus et terrenis : qui super thronum Cherubicum veheris, Seraphinorum Dominus et Rex Israël. Solus sanctus et in sanctis requiescens. Te igitur deprecor, qui solus bonus es, et libenter exaudis, respice in me peccatorem et inutilem servum tuum : et purga animam meam et cor meum a conscientia mala, et idoneum me fac per virtutem Spiritus sancti tui, indutum per gratiam tuam Sacerdotali ministerio, ut huic sanctæ tuæ mensæ assistam, et tuum sanctum et immaculatum corpus et pretiosum sanguinem consecrem. Tibi enim inclinata cervice supplico, et precor te ne avertas faciem tuam a me, nec me ex servorum tuorum numero rejicias. Sed dignare ut a me peccatore et indigno famulo tuo hæc dona offerantur. Tu enim es qui offers, et cui offertur, et accipis et distribuis, Christe Deus noster, et gloriam referimus cum principio carente Patre, et sanctissimo, bono vivificoque tuo Spiritu, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen. »

Completa autem oratione, Cherubicum simul hymnum precantes recitant, et ter recitando adorant, deinde quin-

quagesimum psalmum secreto, et ter adorantes procedunt ad propositionis mensam, præeunte Diacono cum incenso, et postquam sancta incensavit, apud se sic precatur, « Deus propitius esto mihi peccatori. » Sacerdoti dicit : « Tolle Domine. »

Sacerdos autem velum aërem dictum imponit sinistro humero Diaconi dicens : « In pace extollite manus vestras in sancta, et benedicite Dominum. Benedicat te Dominus ex Sion, qui fecit cœlum et terram, perpetuo, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. » Diaconus : « Amen. »

Deinde sanctum discum sumit Diaconus super caput suum cum attentione. Sacerdos autem tollens sanctum calicem solum, et Diaconus dextera tenens thuribulum uno digito, et pertranseuntes templum orant ambo pro omnibus dicentes : « Memor sit Dominus omnium nostrum in regno suo, perpetuo, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. » Chorus : « Amen. » Et sæpius hoc dicunt donec compleatur magnus ingressus. Intrantes vero in sanctum tribunal, dicunt apud se : « Benedictus qui venit in nomine Domini. »

Rursus Diaconus Sacerdoti caput inclinans dicit : « Memento mei peccatoris, Domine sancte. » Sacerdos vero : « Memor sit tui Dominus Deus in regno suo jugiter, nunc et semper et in sæcula sæculorum. Amen. »

Deinde deponit ipse quoque sanctum Calicem in sacra mensa, hunc versiculum dicens : « Decorus Joseph, cum de ligno illibatum tuum corpus deposuisset, in sindone munda et aromatibus, in monumento novo parentans locavit. »

Deinceps deponit Sacerdos velamenta a sancto disco, et a sancto Calice, et velum aërem dictum accipiens ex humeris Diaconi, postquam incensavit per ipsum, sancta operit. Deinde Diaconus sancta ter incensat, dicens ;

«Benefac, Domine in bona voluntate tua Sion.» Mox orantes dicunt : « Deus propitius esto mihi peccatori. » Ante sanctam mensam ter adorant. Et Sacerdos quidem stat; Diaconus autem inclinato capite Sacerdoti dicit : « Precare pro me, Domine. » Sacerdos dicit : « Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. » Diaconus dicit : « Idem Spiritus sanctus vobiscum et nobiscum ministrabit perpetuo, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen. Memor esto mei, Domine sancte. » Sacerdos autem dicit : « Memor sit tui Deus in regno suo, perpetuo, nunc et semper et in sæcula sæculorum. » Diaconus : « Amen, amen, amen. »

Et postquam adoravit, venit ad consuetum locum dicens : « Compleamus precationem nostram Domino. » Chorus : « Domine, miserere. » Diaconus : « Pro pretiosis donis propositis Dominum precemur. » Chorus : « Domine, miserere. » Diaconus : « Pro sancta hac æde, et pro iis qui cum fide, pietate et timore Dei in illam ingrediuntur, Dominum precemur. » Chorus : « Domine, miserere. » Diaconus : « Ut nos liberemur ab omni afflictione, ira, periculo et necessitate, Dominum precemur. » Chorus : » Domine, miserere. »

Oratio oblationis post divinorum donorum in sancta mensa depositionem, quam Sacerdos secreto dicit.

« Domine Deus omnipotens, solus sanctus, qui suscipis sacrificium laudis ab iis qui invocant te in toto corde, suscipe etiam nostram peccatorum deprecationem, et offer in sancto tuo altari, et fac nos idoneos ad offerendum tibi dona et sacrificia spiritualia pro peccatis nostris et populi ignorantiis, et præsta ut inveniamus gratiam coram

te, ut acceptum tibi sit sacrificium nostrum, et Spiritus gratiæ tuæ bonus habitet in nobis, et in propositis his donis et in toto populo tuo. »

Diaconus : « Suscipe, serva, miserare et custodi nos Deus gratia tua. » Chorus : « Domine, miserere. » Diaconus : « Omnem diem perfectum, pacificum et sine peccato a Domino petamus, » Chorus : « Concede, Domine. » Diaconus : « Angelum pacis, fidelem ducem, custodem animarum et corporum nostrorum a Domino petamus. « Chorus : « Concede Domine. » Diaconus : « Veniam et remissionem peccatorum et delictorum nostrorum a Domino petamus. » Chorus : « Concede Domine. » Diaconus : « Bona et animabus nostris competentia, et pacem mundo a Domino petamus. » Chorus : « Concede Domine. » Diaconus : « Residuum vitæ nostræ tempus in pace et pœnitentia transigere a Domino petamus. » Chorus : « Concede Domine, » Diaconus : « Christianum vitæ nostræ finem, sine dolore, et dedecore, pacificum, et bonam ante terribile tribunal defensionem a Domino petamus. » Chorus : « Concede Domine. » Diaconus : « Sanctissimæ, intemeratæ, super omnes benedictæ, gloriosæ Dominæ nostræ, Deiparæ et semper Virginis Mariæ, omnium sanctorum memoriam agentes, nosmetipsos et invicem, totamque vitam nostram Deo consecremus. » Chorus : « Tibi Domine. »

Sacerdos alta voce : « Per miserationes Unigeniti Filii tui, cum quo benedictus es, cum sanctissimo, bono, et vivifico Spiritu tuo, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. » Chorus : « Amen. » Sacerdos : « Pax omnibus. » Diaconus : « Diligamus nos invicem, ut in concordia confiteamur. » Chorus : « Patrem, Filium et sanctum Spiritum, Trinitatem consubstantialem et inseparabilem. »

Sacerdos ter adorat, dicens ter secreto : « Diligam te, Domine, fortitudo mea, Dominus firmamentum meum, et

refugium meum. » Et Diaconus circumplectitur stolam suam, et adorat ter, et alta voce subjungit : « Portas, portas, in sapientia attendamus. » Et Chorus, « Credo. » Et post completum sanctum Symbolum, dicit Diaconus alta voce : « Stemus probe, stemus cum timore : attendamus sanctam oblationem in pace offerre. » Chorus : « Oleum pacis, sacrificium laudis. »

Sacerdos alta voce : « Gratia Domini nostri Jesu Christi, et dilectio Dei et Patris et communicatio sancti Spiritus sit cum omnibus nobis. » Chorus : « Et cum Spiritu tuo. » Sacerdos : « Sursum corda habeamus. » Chorus : « Habemus ad Dominum. » Sacerdos : « Gratias agamus Domino. » Chorus : « Dignum et justum est adorare Patrem, Filium et sanctum Spiritum, Trinitatem consubstantialem et individuam. »

Sacerdos inclinatus secreto precatur.

« Dignum et justum est te celebrare, te benedicere, te laudare, tibi gratias agere, te adorare in omni loco dominationis tuæ. Tu enim es Deus ineffabilis, incomprehensibilis, invisibilis, inexcogitabilis, semper existens, eodem modo existens, tu et Unigenitus Filius tuus et Spiritus tuus sanctus. Tu ex nihilo nos condidisti, et lapsos rursus erexisti ; nec desiisti omnia facere, donec nos in cœlum deduceres, et futurum regnum tuum largireris. Pro his omnibus gratias agimus tibi, et Filio tuo Unigenito, et Spiritui sancto, pro omnibus, quæ videmus et quæ non videmus, manifestis et occultis tuis in nos beneficiis. Gratias etiam agimus pro hoc ministerio, quod ex manibus nostris accipere dignatus es ; etiamsi tibi adsint millia Angelorum et dena millia Archangelorum, Cherubim et Se-

raphim sex alis instructi, multos oculos habentes, sublimes et alati. » Alta voce : « Qui victoriæ hymnum canunt, clamant, vociferantur et dicunt. » Chorus : « Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Sabbaoth. Plenum est cœlum et terra gloria tua. Hosanna in excelsis, Benedictus qui venit in nomine Domini, Hosanna in excelsis. »

Diaconus autem accipit stolam, illamque in crucis formam super discum ducit, et postquam super corporale abstersit, osculatur, et cum velo aëre dicto deponit. Deinde transit in tertiam partem, et supra sancta ventilat reverenter flabello; quod si desit flabellum hoc cum velamento facit.

Orat Sacerdos secreto.

« Cum his quoque beatis Virtutibus, benigne Domine, et nos clamamus et dicimus : Sanctus et omnino sanctus, tu et Unigenitus Filius tuus, et Spiritus tuus sanctus. Sanctus es et omnino sanctus, et magnifica gloria tua. Qui mundum tuum ita dilexisti, ut Filium tuum Unigenitum dares, ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam. Qui cum venisset, et quam pro nobis susceperat œconomiam implesset nocte illa qua traditus est, imo se ipsum tradidit pro mundi vita, accepto pane in sanctis suis et illibatis manibus : cum gratias egisset, benedixisset, sanctificasset, fregisset, dedit sanctis discipulis et Apostolis suis, dicens : » Sacerdos inclinat caput, et extollens dexteram cum pietate, benedicit sanctum panem, alta voce dicens : « Accipite, comedite, Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur in remissionem peccatorum. » Chorus « : Amen. »

Diaconus vero apprehensa stola sua, ostendit et ipse

cum Sacerdote sanctum discum : similiterque in sancto Calice. Eodem modo cum pronuntiat Sacerdos : « Tua ex tuis. »

Sacerdos secreto.

Similiter et Calicem postquam cœnavit dicens : Alta voce Sacerdos manum superne tollens, cum pietate benedicens, ait : « Bibite ex hoc omnes : Hic est sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis et vobis effunditur in remissionem peccatorum. » Chorus : « Amen. »

Sacerdos inclinans caput orat secreto.

« Memores igitur salutaris hujus mandati, et omnium quæ pro nobis facta sunt, crucis, sepulchri, triduanæ resurrectionis, in cœlos ascensionis, a dextris sessionis, secundi et gloriosi adventus. » Alta voce. « Tua ex tuis tibi offerimus in omnibus et per omnia. » Chorus : « Te laudamus, te benedicimus, tibi gratias agimus, Domine, et obsecramus te, Deus noster. »

Sacerdos rursus, inclinans caput, orat secreto :

« Etiam offerimus tibi rationabilem hunc et incruentum cultum, et rogamus, precamur et obsecramus, mitte Spiritum sanctum in nos, et in hæc proposita dona. »

Diaconus deponit flabellum aut velum quod tenebat, et accedit prope Sacerdotem, et ter ambo adorant ante sanctam mensam, et hoc apud se precantur : « Deus propitius esto mihi peccatori. » Dicunt ter secreto : « Domine, qui sanctissimum Spiritum in tertia hora Apostolis nostris

misisti; hunc, o bone, ne auferas a nobis; » et hoc : « Cor mundum crea in me Deus, et Spiritum rectum innova in visceribus meis. » Deinde caput inclinans Diaconus, ostendit cum stola sanctum panem et dicit secreto : « Benedic, Domine, sanctum panem. »

Et Sacerdos erectus, signat ter sancta dona, secreto dicens : « Fac panem hunc pretiosum corpus Christi tui. » Diaconus : « Amen. » Et rursus Diaconus : « Benedic, Domine, sanctum Calicem. » Sacerdos benedicens dicit : « Quod autem in hoc calice est, pretiosus sanguis Christi tui. » Diaconus : « Amen. »

Et rursum Diaconus utraque sancta stola demonstrans, ait : « Benedic, Domine. » Sacerdos vero manu utraque sancta benedicens ait : « Immutans Spiritu tuo sancto. » Diaconus : « Amen, amen, amen. » Et Diaconus, postquam caput inclinavit Sacerdoti, et dixit ei : « Memento mei peccatoris, sancte Domine. » Revertitur in locum in quo prius steterat, accepto ut antea flabello.

Sacerdos autem orat secreto.

« Ut fiat accipientibus in vigilantiam animæ, in remissionem peccatorum, in communicationem Spiritus sancti, in regni cœlorum plenitudinem, in fiduciam erga te, non in delictum et condemnationem. Item offerimus tibi rationabile hoc obsequium pro iis, qui in fide mortui sunt, majoribus, patribus, patriarchis, prophetis, Apostolis, prædicatoribus, Evangelistis, Martyribus, Confessoribus, abstinentibus, et quovis Spiritu in fide consummato. » Alta voce : « Præsertim pro sanctissima, intemerata, super omnes benedicta, gloriosa Domina nostra Deipara et semper Virgine Maria. » Chorus canit : « Dignum est certe te

beatam prædicare Deiparam. » Vel quod proprium est dici canitur.

Diaconus in circuitu incenso cohonestat sanctam mensam et diptycha. Defunctorum autem et viventium, quorum vult agit.

Sacerdos autem inclinatus orat secreto.

« Sancti Joannis Prophetæ, Præcursoris, et Baptistæ, Sanctorum et celebrium Apostolorum, Sancti N. cujus memoriam colimus, et omnium sanctorum tuorum, quorum precibus protege nos Deus, et memento omnium qui dormierunt in spe resurrectionis vitæ æternæ. » Hic Sacerdos memoriam agit quorum vult vivorum et mortuorum : pro vivis dicit : « Pro salute, protectione, et remissione peccatorum servi Dei N. »

Pro mortuis dicit.

« Pro requie et remissione animæ servi tui N. In loco lucido, unde aufugit dolor, gemitus : da illi requiem, Deus noster, et fac eam quiescere, ubi circumspectat lumen vultus tui. Etiam rogamus te, memento, Domine, omnis episcopatus orthodoxi, eorum qui recte tractant verbum veritatis tuæ, omnis presbyteratus et in Christo Diaconatus, et omnis Sacerdotalis ordinis. Adhuc offerimus tibi hunc rationabilem cultum pro orbe terræ, pro sancta Catholica et Apostolica Ecclesia, pro iis qui castitate, et recto instituto vitam agunt. Pro fidelissimis et Christi amantibus Imperatoribus nostris, pro toto palatio et exercitu illorum. Da illis, Domine, pacificum imperiu ,ut

et nos in ipsorum tranquillitate, quietam vitam agamus, cum omni pietate et honestate. »

Diaconus quidem convertitur ad portam sancti tribunalis tenens stolam tribus extremis digitis, et dicit : « Et cunctorum et cunctarum. » Chorus autem canit, « Et cunctorum et cunctarum. » Sacerdos autem alta voce dicit : « In primis memento, Domine, Archiepiscopi nostri N. quem concedas in Ecclesiis tuis esse salvum, honoratum, sanum, longævum, recte tractantem verbum veritatis tuæ. » Et Diaconus ad januam stans dicit : « Sacratissimi Metropolitæ N. » aut « Episcopi N. Et pro offerente sacra dona ista piissimo Sacerdote N. Pro salute piissimorum et a Deo custoditorum Imperatorum nostrorum, et cunctorum et cunctarum. » Chorus : « Et cunctorum et cunctarum. »

Sacerdos orat secreto.

« Memento, Domine, civitatis, in qua habitamus, et omnis urbis ac regionis, et eorum qui cum fide in ipsis habitant. Memento, Domine, navigantium, iter agentium, ægrotorum, laborantium, captivorum, et salutis ipsorum. Memento, Domine, eorum qui fructum afferunt, et bene operantur in sanctis tuis Ecclesiis, et qui pauperum recordantur, et in nos omnes misericordias tuas demitte. » Alta voce : « Et da nobis uno ore et uno corde glorificare et celebrare venerandum et magnificum nomen tuum, Patris et Filii et Spiritus sancti, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. » Chorus : « Amen. »

Sacerdos convertit se ad portam, et benedicens alta voce dicit : « Et erunt misericordiæ magni Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi cum omnibus vobis. » Chorus : « Et cum spiritu tuo. » Et Diaconus egreditur, si adest ; sin

minus, Sacerdos, et stans in consueto loco dicit: « Omnium sanctorum memoriam agentes, etiam atque etiam Dominum precemur. » Chorus: « Domine, miserere. » Diaconus: « Pro oblatis et sanctificatis pretiosis donis Dominum precemur. » Chorus: « Domine miserere. »

Diaconus: « Ut benignus Deus noster, qui suscepit ea in sanctum, supercœleste et intellectuale altare suum, in odorem suavitatis spiritualis, mittat vicissim nobis divinam gratiam et donum sanctissimi Spiritus, Dominum precemur. » Chorus: « Domine, miserere. » Diaconus: « Ut eruamur nos ab omni afflictione, ira, periculo et necessitate, Dominum precemur. » Chorus: « Domine, miserere. »

Sacerdos orat secreto.

« Tibi vitam totam et spem nostram commendamus, clemens Domine, et rogamus te, precamur et obsecramus, ut cœlestium tuorum ac tremendorum mysteriorum hujus sanctæ et spiritualis mensæ cum pura conscientia participes esse dignemur, ad remissionem peccatorum et veniam delictorum, in Spiritus sancti communionem, in regni cœlorum hæreditatem, in fiduciam erga te, non in judicium aut condemnationem. » Diaconus: « Suscipe, serva, miserare et custodi nos, Deus, gratia tua. » Chorus: « Domine, miserere. »

Diaconus: « Diem totum perfectum, sanctum, pacificum, et sine peccato a Domino petamus. » Chorus: « Concede Domine. » Diaconus: « Angelum pacis, fidelem ducem, custodem animarum et corporum nostrorum a Domino petamus. » Chorus: « Concede Domine. » Diaconus: « Veniam et remissionem peccatorum et delictorum nostrorum a Domino petamus. » Chorus: « Concede Do-

mine. » Diaconus : « Bona et utilia animæ nostræ, et pacem mundo a Domino petamus. » Chorus: « Concede Domine. » Diaconus : « Residuum tempus vitæ nostræ in pace et pœnitentia perficere a Domino petamus. » Chorus : « Concede Domine. » Diaconus : « Unitatem fidei et communicationem sancti Spiritus petentes, nosmetipsos invicem, et totam vitam nostram Domino consecremus. » Chorus : « Tibi Domine. »

Alta voce Sacerdos.

« Et dignos nos facias, Domine, ut cum fiducia, et sine crimine invocemus te cœlestem Deum Patrem, » et dicit Chorus : « Pater noster. » Sacerdos alta voce : « Quia tuum est regnum et potestas et gloria, Patris et Filii et Spiritus sancti, nunc et semper et in sæcula sæculorum. » Chorus : « Amen. » Sacerdos : « Pax omnibus. » Chorus : « Et cum spiritu tuo. » Diaconus: « Capita vestra Domino inclinate. » Chorus : « Tibi Domine. »

Diaconus igitur inclinans paululum caput, et videns Sacerdotem adorantem, adorat et ipse. Sacerdos inclinatus secreto precatur : « Gratias agimus tibi, Rex invisibilis, qui per immensam virtutem tuam omnia creasti, et ex multitudine misericordiæ tuæ ex nihilo omnia condidisti : ipse, Domine, de cælo respice eos qui tibi capita inclinant; non enim inclinant carni et sanguini, sed tibi tremendo Deo. Tu ergo, Domine, proposita nobis omnibus in bonum ex æquo distribue secundum cujusque necessitatem. Cum navigantibus naviga, cum iter agentibus iter age, ægrotos sana, medicus animarum et corporum. » Alta voce Sacerdos : « Gratia et miserationibus et benignitate Unigeniti Filii tui, quîcum tu benedictus es,

cum sanctissimo, bono et vivifico tuo Spiritu, nunc et semper et in sæcula sæculorum. » Chorus : « Amen. »

Sacerdos orat secreto.

« Attende, Domine Jesu Christe Deus noster, ex sancto habitaculo tuo, et ex throno gloriæ regni tui, et veni ad sanctificandum nos, qui sursum cum Patre sedes, et hic nobiscum invisibiliter versaris : et dignare potenti manu tua nobis impertiri immaculatum corpus et pretiosum sanguinem tuum, et per nos toti populo. » Deinde adorant Sacerdos et Diaconus, in eo in quo stant loco, ter secreto dicentes : « Deus propitius esto mihi peccatori. »

Et populus similiter, omnes cum pietate adorant. Cum autem viderit Diaconus Sacerdotem manus extendentem, et tangentem sanctum, ut faciat sanctam elevationem, alta voce dicit : « Attendamus. » Et Sacerdos, « Sancta sanctis. » Chorus : « Unus sanctus, unus Dominus Jesus Christus, in gloriam Dei Patris. Amen. »

Tum cantat Chorus communionem diei, aut sancti, cujus est festum. Et Diaconus præcingit se stola in Crucis modum : et stans a dextris Sacerdos, qui panem tenet, dicit : « Divide, Domine, panem sanctum. » Sacerdos autem attente et pie dividens illum in quatuor partes, dicit : « Frangitur et dividitur Agnus Dei, Filius Patris, qui frangitur et non dividitur, qui semper comeditur, et nunquam consumitur ; sed eos qui sunt participes sanctificat. »

Tunc accipit unam sancti panis partem, et manu tenet. Et Diaconus ostendens cum stola sanctum calicem dicit : « Imple, Domine, sanctum calicem. » Sacerdos autem dicit : « Plenitudo fidei Spiritus sancti. » Et facto

signo crucis immittit in sanctum calicem. Diaconus : «Amen.» Et accepta ferventi aqua, dicit Sacerdoti : «Benedic, Domine, sanctam hanc fervidam.» Sacerdos benedicit dicens : «Benedictus fervor sanctorum tuorum jugiter, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.» Diaconus autem infundit in modum crucis intra sanctum calicem dicens : «Fervor fidei plenus Spiritu sancto. Amen.» Et hoc facit ter, et deposito fervcnti vase, stat paululum retro; Sacerdos autem dicit : «Accede, Diacone.» Et accedens Diaconus pœnitentiam pie exhibet et petit veniam. Sacerdos autem tenens sanctum panem, dat Diacono, et exosculans Diaconus manum sibi porrigentem, accipit sanctum panem dicens : «Impertire mihi, Domine, pretiosum et sanctum corpus Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi.» Sacerdos autem dicit : «Do tibi pretiosum, sanctum et illibatum corpus Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi in remissionem peccatorum, in vitam æternam.»

Et secedit pone sanctam mensam, inclinans caput, et orat eodem modo quo Sacerdos. Simili modo Sacerdos accipit sanctum panem, inclinans caput ante sscram mensam, et sic precatur.

Credo, Domine, et confiteor quod tu es Deus et Filius Dei vivi, qui venisti in mundum ut peccatores salvos faceres, quorum primus ego sum, et cœnæ tuæ mysticæ hodie, Fili Dei, consortem me accipe. Non enim inimicis tuis mysterium dicam, non osculum tibi dabo sicut Judas; sed sicut latro confiteor tibi, Memento mei, Domine, in regno tuo : » Et, « Domine, non sum dignus, ut sub sordidum tectum animæ meæ ingrediaris. Sed sicut dignatus es in spelunca et præsepio brutorum reclinari, et in domo Simonis leprosi, etiamque mihi similem meretricem peccatricem ad te accedentem recepisti, digneris etiam in

præsepium animæ meæ rationis expertis, et in speluncam corporis mei mortui et leprosi intrare. Et sicut non abhorruisti os sordidum meretricis osculantis intemeratos pedes tuos; sic, Domine Deus meus, ne abhorreas me peccatorem; sed ut bonus et clemens, dignare me participem fieri sanctissimi corporis et sanguinis tui. »

« Deus noster, condona, ignosce, remitte mihi peccatori, quæcumque in te admisi, voluntaria et involuntaria; sive sciens sive ignorans, seu verbo, seu opere, seu concupiscentia commiserim. Omnia mihi indulge, ut bonus et clemens, intercessionibus intemeratæ et semper Virginis matris tuæ. Indemnatum me custodi, ut sumam pretiosum et immaculatum corpus, ad medelam animæ et corporis. Quia tuum est regnum et potestas et gloria, Patris et Filii et Spiritus sancti, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen. »

Et sic sumunt sanctum panem, similiterque sanctam calicem; et sumit prius quidem Sacerdos tres haustus in una inclinatione, et in primo haustu dicit, « In nomine Patris; » in secundo, « In nomine Filii, » in tertio, « In nomine Spiritus sancti. » Et post sumptionem abstergit velamine sanctum calicem, et labia sua dextere simul et pie dicens : « Hoc tetigit labia mea, et auferet iniquitates meas, et peccata mea purgabit jugiter, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen. »

Tenens autem sanctum calicem, vocat Diaconum dicens : « Diacone accede. » Et Diaconus venit, et adorat semel dicens : « Ecce accedo ad immortalem Regem. » Et illud, « Credo et confiteor, » totum. Et dicit Sacerdos : « Communicas, serve Dei Diacone N., pretioso et sancto corpori et sanguini Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi in remissionem peccatorum tuorum, et in vitam æternam. » Postquam communicavit Diaconus, dicit Sa-

cerdos : « Hoc tetigit labia tua, et auferet iniquitates tuas, et purgabit peccata tua, » ut pro se ipso dixerat.

Tunc accipiens Diaconus sanctum discum super sanctum calicem, sancta spongia diligenter abstergit, cum attentione et pietate, et velo sanctum calicem tegit, et alia similiter vela et stellam sancto disco imponit. Et sancti tribunalis portam aperiunt : et Diaconus semel adorans, sumit sanctum calicem cum veneratione, et venit ad ostium, et attollens sanctum calicem, ostendit ipsum populo dicens : « Cum timore Dei, et dilectione accedite. » Chorus : « Amen, amen, amen. Benedictus qui venit in nomine Domini. » Et Sacerdos benedicit populum, dicens » alta voce : « Serva, Deus, populum tuum, et benedic hæreditatem tuam. » Et Chorus : « In multos annos, Domine. »

Et revertuntur Diaconus et Sacerdos ad sanctam mensam : et incensum offert Sacerdos ter dicens apud semetipsum : « Exaltare super cœlos, Deus, et super omnem terram gloria tua. » Deinde accipiens sanctum discum ponit super caput Diaconi : et Diaconus suscipiens ipsum cum veneratione, respiciens extra versus januam, nihil loquens pergit ad mensam propositionis, et deponit ipsum. Sacerdos autem adorans et accipiens sanctum calicem, conversus ad januam videt populum dicens : « Perpetuo, nunc et semper et in sæcula sæculorum. » Chorus. « Amen. »

Dum psallitur, « Repleatur, » Deferuntur illa ad sanctam propositionis mensam, præcedente Diacono, Sacerdote dicente hanc orationem secreto : « Gratias agimus tibi, Domine benigne, benefactor animarum nostrarum, quia in præsenti die dignatus es nos cœlestibus et immortalibus mysteriis tuis. Viam nostram dirige, confirma nos omnes in timore tuo, custodi vitam nostram, tutos fac

gressus nostros, precibus et supplicationibus gloriosæ, Deiparæ et semper Virginis Mariæ, et omnium Sanctorum tuorum. »

Et Diaconus postquam incensum emisit in sancta, et thuribulum deposuit, in consuetudo loco stans dicit: « Recti participes effecti divinorum, sanctorum, illibatorum, immortalium, cœlestium et vivificorum mysteriorum, digne gratias agamus Domino : » Chorus : « Domine, miserere. » Diaconus : « Suscipe, serva, miserare et custodi nos, Deus, gratia tua. » Chorus : « Domine, miserere. » Diaconus : « Diem omnem, perfectum, sanctum, pacificum, et a peccato immunem postulantes, nos ipsos et invicem, et totam vitam nostram Christo Deo consecremus. » Chorus : « Tibi Domine. » Alta voce Sacerdos : « Quia tu sanctificatio nostra, tibi gloriam referimus, Patri et Filio et sancto Spiritui, nunc et semper et in sæcula sæculorum. » Chorus, « Amen. » Diaconus : « In pace procedamus; » et rursus : « Dominum precemur. »

Oratio pone ambonem alta voce a sacerdote extra Tribunal pronunciata.

« Qui benedicis benedicentes te, Domine, qui sanctificas eos qui in te confidunt, serva populum tuum et benedic hæreditatem tuam. Plenitudinem Ecclesiæ tuæ custodi, sanctifica eos qui diligunt decorem domus tuæ : tu illos vicissim glorifica divina tua virtute, et ne derelinquas nos, qui speramus in te. Da pacem mundo, Ecclesiis tuis, Sacerdotibus, regibus nostris, exercitui, et omni populo tuo. Quia omne datum bonum, et omne donum perfectum, desursum est, descendens ex te Patre luminum, et tibi gloriam, gratiarum actionem et adorationem referi-

mus, Patri et Filio et sancto Spiritui, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. » Chorus : « Amen. »

Dum hæc oratio dicitur, stat Diaconus ante sanctas ianuas, et tenens stolam suam, ut sæpe dictum est, caput inclinat usque dum completa est oratio. Et chorus ter psallit illud : « Sit nomen Domini benedictum ex hoc nunc usque in sæculum, » Et psalmum, « Benedicam Dominum ; » Vel sancti illius diei.

Oratio dum contrahuntur sancta, secreto.

« Qui plenitudo Legis et Prophetarum es, Christe Deus noster, qui omnem paternam œconomiam implevisti, imple gaudio et lætitia corda nostra perpetuo, nunc et semper et in sæcula sæculorum. Amen. »

Per orationem egreditur Sacerdos, et stans in consueto loco, distribuit panem benedictum. Deinde facit dimissionem dicens : « Gloria tibi, Christe Deus noster, spes nostra, gloria tibi. » Et Chorus : « Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen. » Et si sit Dominica, dicit Sacerdos : « Qui resurrexit ex mortuis Christus, verus Deus noster. » Si vero non sit dies Resurrectionis, dicit : « Christus verus Deus noster, precibus intemeratæ suæ matris, divina virtute pretiosæ et vivificæ crucis; sanctorum gloriosorum et celebrium Apostolorum sancti N. » cujus festum illo die colitur, « sancti Patris nostri Joannis Chrysostomi Archiepiscopi Constantinopolitani, Sanctorum et Justorum Deiparentum Joachim et Annæ, et omnium Sanctorum, misereatur nostri et servet nos, ut bonus et clemens. »

Et benedicens populum, ingreditur. Post dimissionem

autem, si non est Diaconus, intrat Sacerdos ad mensam propositionis, et quod residuum est in sancto calice, attente et reverenter consumit, sanctum calicem ter vino et aqua abluit, et attendit ne maneat particula, quæ vocatur margarita. Tunc dicit : « Nunc dimittis servum tuum, Domine, » Totum hymnum.

Et colligit sancta, calicem, discum cum velis, pro more. Si vero adsit Diaconus, id ipse facit. Sacerdos autem abit in vestiarium, et se exuit, ter dicens illud, « Sanctus Deus; » Et illud, « Sanctissima Trinitas; » Et illud, « Pater noster. »

Tunc dicit dimissorium Chrysostomi.

« Oris tui velut fax resplendens gratia, orbem illuminavit, liberalitatis thesauros in mundo deposuit, altitudinem humilitatis nobis ostendit. Sed qui tuis verbis nos doces Pater Joannes Chrysostome, intercede apud Christum Deum pro salute animæ nostræ. »

Post hæc breviculum.

« De cœlis accepisti divinam gratiam, et labiis tuis omnes doces in Trinitate unum Deum adorare, Joannes Chrysostome beatissime, sancte. Condigne celebramus te; es enim præceptor, ut divina manifestans. » Vel dicit dici breviculum, vel resurrectionis, si sit Dominica, et dimissionem, ut moris est, secreto : tunc exit ad januas sancti tribunalis, indutus vestimento suo Sacerdotali, et adorat, dicens, « Deus, propitius esto mihi. » Et con» versus ad populum benedicit, alta voce dicens : « Custo-

diat Dominus Deus vos omnes in gratia sua et benignitate, perpetuo, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen. » Populus autem inclinato capite dicit; « Per orationes sanctorum Patrum. » Et in pace cum sancto Deo discedunt.

ORATIO I

Joannis Chrysostomi

Quando vel lecturus vel lectorem auditurus erat.

« Domine Jesu Christe, Deus noster, aperi aures et oculos cordis mei, ut audiam verba tua et intelligam et exequar mandata tua, Domine, qui advena ego sum in terra. Ne abscondas a me mandata tua; sed revela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua[1]. In te enim spero, Deus meus, ut tu cor meum illumines. »

ORATIO II

Joannis Chrysostomi.

« Domine Deus meus, magnus et terribilis et gloriosus, omnis visibilis et intelligibilis naturæ creator, qui servas pactum tuum et misericordiam tuam iis qui diligunt te et custodiunt mandata tua: gratias ago tibi et nunc et perpetuo ob beneficia omnia tam manifesta, quam occulta,

[1] Psal. CXVIII, 19 et 18.

quæ mihi contulisti. Et ad hoc usque tempus laudo, glorifico et magnifico te, quia mirabilem exhibuisti erga me misericordiam et miserationem tuam, protegens me ex utero matris meæ, et in omnibus providens mihi, conservans et dirigens ea quæ ad me spectant ex sola benignitate et clementia tua. Neque enim ob indignitatem et passiones meas despexisti humilitatem meam; sed ex benignitate et commiseratione tua mihi benefaciendi et providendi finem non fecisti. « Et usque ad senectam et senium[1], » Deus meus, ne derelinquas me, Jesu Christe; pulchrum nomen, dulcedo mea, concupiscentia mea et spes mea, qui propter nos homo factus es, et crucis mortem subiisti, et omnia in sapientia dispensasti, et disposuisti propter salutem nostram. Confiteor tibi, Domine Deus meus, in toto corde meo. Flecto genu corporis et animæ, confitens tibi Deo meo omnia peccata mea. Inclina tu quoque aurem tuam ad supplicationem meam, et dimitte impietatem cordis mei. Peccavi, inique egi, deliqui, irritavi et exasperavi bonum meum Dominum, nutritorem, curatorem : non est genus nequitiæ, quod dici possit, vel dici nequeat, quod non admiserim et opere et verbo, et ex cognitione et ex ignorantia, ex animo et cogitationibus supra modum omnem peccando. Ac cum sæpe me pœnitentiam acturum promisissem, toties in eadem mala incidi. Facilius stillæ pluviæ numerentur, quam peccata mea : supergressa sunt enim caput meum, et sicut onus grave gravatæ sunt. Nam a juventute ad hoc usque tempus absurdis cupiditatibus fores aperiens, effreni impetu usus sum, vestem superne textam sancti baptismatis fœdans, templum corporis mei commaculans, miseram animam ignominiosis affectibus deturpans, iniquitatem omnem et injustitiam exercens : quæ si singulatim commemorare voluero, defi-

[1] Psal. LXX, 18.

ciet me tempus. Siquidem omnia tu nosti : neque enim est creatura occulta tibi, omnia enim nuda et aperta oculis tuis. Quid dicatur tibi scienti, qui nihil ignoras? Mihi autem conteruntur et cor et ossa animi mei, et totus in dubitationis profundum immergor, mecum reputans quod cum tot tantaque peccata admiserim, ne minimum quoque pœnitentiæ opus exhibuerim. Et tempus putationis prope est, et mortis statuta hora adest, nullumque pœnitentiæ tempus. Ideo turbata est anima mea, dolore et mœstitia plena. Imparatus enim cum sim, mea examinans et dijudicans, nihil ad defensionem idoneum invenio, neque ullam machinam vel modum, quo ab æterno igne eripiar. Si enim justus vix salvus evadit, ego peccator ubi compaream[1]? Et si per multas tribulationes regnum cœlorum dignis in sortem datur[2], et angusta arctaque via vitæ est[3], quomodo ego passionibus et perditis moribus deditus salute dignus habebor? Si omnis justitia hominis sicut pannus menstruatæ[4], tantum, tanta iniquitas, quid reputabitur? Si de otioso verbo rationes sunt reddendæ, pro tot tantisque peccatis, quam vel apparentem habebo defensionem? Hei mihi, o anima! quod nostra sic processerint. Brevior est vita circumscripta, cito transiens et ad mortem mittens. Æternum peccatoribus est supplicium, ut et regnum justis, et vita amborum morte non absciditur? Quid ergo faciam? Quid agam? in quod chaos me conjiciam? Terribilis mors est; maxime peccatorum, quia mala : nam mors peccatorum pessima. Terribiles etiam sunt post mortem formidines; sed longe terribilius est incidere in manus Dei viventis, ex quibus nemo possit eruere. Cum igitur venerit ut glorificetur in sanctis suis, et reddat unicuique secundum opera sua : cum throni positi fuerint, cum judex terribilis, qui sine exceptione est, sedebit, et fluvius

[1] 1 Petr. IV, 18. — [2] Act. XIV, 21. — [3] Matth. VII, 14. — [4] Isaï. LXIV, 6.

igneus manabit in conspectu ejus, et splendor atque gaudium justis paratum erit, et universæ Angelorum myriades, omnesque qui a sæculo sunt, homines, omnisque simul creatura, visibilis et intelligibilis cum tremore aderit; quid ergo tunc faciam pudore plenus, a conscientia damnatus, omni fiducia ac defensione vacuus? Gemitus undique. Væ mihi ob tanta mala? Quid primum lugeam? Quid secundum fleam? Quid gemitu prosequar? Bonorum privationem an malorum mœrorem? interminatum supplicium, an separationem a Deo? Luge, misera anima, hæc tecum reputans, et ea quæ tibi post decessum occurrent, utpote admodum molesta et dolore plena, et clama: Deus virtutum, Deus æterne, Deus misericordiæ et miserationum, ne derelinquas me, ne despicias me, ne auferas a me misericordiam tuam; « Intende in adjutorium meum, Domine, » salutis meæ. » Nam cum ita me habeam, et ita cogitem, non a bona spe excido, neque de salute mea despero. Novi enim Domini mei clementiam; novi benignum illum non esse injuriarum memorem, et quia misericordiam vult, nec mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat, vultque omnes salvos fieri, et in agnitionem veritatis venire, maxime eos qui a peccato convertuntur. Non enim venisti vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam[1]. Non enim opus habent sani medico, sed male habentes. Nunc incœpi loqui ad Dominum meum. « Ego autem sum terra et cinis[2], vermis et non homo; opprobrium hominum et abjectio plebis[3]. » Da mihi verbum in apertione oris mei[4], qui das optatum precanti, quia a te omne datum optimum desursum est, descendens a te patre luminum[5], ut digne precer, et utiliter supplicem: ne avertar humiliatus et dedecore affectus, sed quæ sperabam consecutus. Et sic abscedam gaudens,

[1] Marc. II, 17. — [2] Gen. XVIII, 27. — [3] Psal. XXI, 6. — [4] Ephes. VI, 19. — [5] Jac. I, 17.

in certitudine cordis mei. Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam, quia in te confidit anima mea. Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum, medice animorum et corporum. Ut ad terribile tribunal tuum astans, ut intemeratos pedes tuos tangens, sic rogo, et oro, et obsecro cum contrito et humiliato corde. Propitius esto mihi peccatori, concede mihi inutili et humili. Respice de sancto habitaculo tuo in miseriam meam. Respice de sancta sublimitate tua in orationem humilis servi tui, et ne despicias obsecrationem meam. Dimitte mihi, ut refrigerer, priusquam abeam eo unde amplius non revertar. Ut homo peccavi, ut Deus ignosce. Tu enim nosti, Domine, quam labens sit humana natura; et quod hominis animus a juventute ad mala sit omnino pronus. Recordare quod pulvis simus. Recordare quod tu solus sis mundus et illibatus et incorruptus; nos autem omnes in increpationibus. Recordare miserationum tuarum a sæculo et misericordiæ tuæ, neque condemnes me in iniquitatibus meis, nec secundum peccata mea retribuas mihi. Nosti multitudinem iniquitatum mearum, quod non possint numerari; sed scio etiam benignitatis tuæ pelagus, quod inæstimabile et insuperabile sit. Tu es enim qui tollis peccatum mundi, qui de cœlo descendisti in terram, ut errantem et perditam ovem perquireres: pastor bonus, qui animam suam ponit pro ovibus, et venisti in mundum ut peccatores salvos faceres, quorum primus ego sum. Miserere, miserere operis manuum tuarum; ne detesteris me indignum, sed miserere operis tui: qui propter me crucem sustinuisti, et vibicum stigmata accepisti, sed sanans, dele omnia pharmaco commiserationis, et spongia benignitatis tuæ. Omnia enim potes, nihil tibi impossibile est. Compunge obduratum cor meum, leve fac pondus conscientiæ; suscipe lacrymas meas et gemitum, ut

meretricis, ut coryphæi Apostolorum Petri. Excipe parvam hanc meam confessionem et pœnitentiam, qui excepisti latronis probam petitionem in cruce. Suscipe fructum labiorum meorum, ut hostiam viventem, bene placentem, in odorem suavitatis. Oro, orationem accipe, obsecro, obsecrationem admitte. Peccavit et Manasse, rex ille, sed acta pœnitentia non periit. Peccavit ante illum etiam David, sed cum de peccato lacrymatus esset, misericordiam assecutus est. Multa alia habeo exempla, quæ me in mœrore meo consolentur, quæ desperationem a me depellant, quæ spem salutis meam nutriant. Consolare tu quoque cor meum, pater misericordiarum et Deus totius consolationis; solatium affer bonum, fons misericordiæ et bonorum. Multa fecisti a sæculo magna et mirabilia, gloriosa et exuperantia, quorum non est numerus. Sed si me prodigum serves, si me indignum admittas, multo magis mirabilis eris: quia tanta est misericordiæ et benignitatis tuæ virtus, ut ex luto margaritam facias, et ex filio gehennæ filium regni constituas. Et adhuc ad te clamabo Dominum meum, et ad Deum meum deprecabor. Dirige residuum vitæ meæ secundum voluntatem tuam, confirma me in timore tuo, corrobora me in dilectione tua, et in multitudine bonitatis tuæ bonum mihi finem et dignum benignitate tua concede: ossa et modos omnes totamque compositionem substantiæ meæ in misericordia et benignitate tua respice, et in requiei locum miseram animam meam deducens, constitue ibi, quia multæ mansiones apud te, singulis secundum meritum distributæ. Adhuc obsecro et oro, da, quæso, Domine, indignitati meæ gratiam prudentiæ, ad cognoscendum ea quæ tibi placita et mihi utilia sunt; et non solum ad cognoscendum, sed etiam ad perficiendum, ut ne a vanis rebus abripiar et abducar, et quæ non oportet faciam, ut sine gloria inani,

cum humilibus humilier, et cum patientibus compatiar, et peccantibus ignoscam. Scio enim quod si non dimittam non dimittetur mihi. Ideo rogo, ut omnibus in me peccantibus omnia dimittas. Neque enim illi in causa sunt, sed ego miser, qui non feci voluntatem tuam, et non servavi præcepta tua. Eos autem qui nos diligunt opulentis donis tuis remunera. Spiritualem vero patrem meum, et fratres, quos tu dedisti, o misericors, iisdem judiciis, quibus mecum agis, benigne miserare. Hæc confessio et lacrymæ quasi incensum in conspectu tuo recte dirigantur. Ego enim quotidie expecto diem mortis inevitabilem. Et corpus quidem miserum sepulturæ traditum corrumpetur, et in ea, ex quibus compositum fuit, dissolvetur, quod tu, vitæ largitor, suscitabis incorruptibile in tempore regenerationis. Spiritum vero meum in manus tuas commendo: requiem da ei, sancte Domine, in lumine viventium, et in habitatione lætantium. Et parentes meos, majores, fratres, famulos tuos probas. Quoniam, etsi peccavimus, sed non discessimus a te, neque expandimus manus nostras ad Deum alienum. Sed te agnovimus, te dileximus, in te credidimus, et te adoramus unum in trinitate Deum. In te etiam precamur, et in te salutis spem reposuimus. Miserere nostri secundum magnam misericordiam tuam, et serva ad cœleste et æternum regnum tuum. Etiam, quæso, Domine mi, Domine, ita sint hæc in nobis, qui speramus in te, propter magnam et immensam bonitatem, et ob ineffabilem misericordiam et clementiam; intercessionibus gloriosissimæ, celebratissimæ, super omnes benedictæ, et gratia plenæ Dominæ nostræ, sanctissimæ Deiparæ et semper Virginis Mariæ, cœlestium et intelligibilium Virtutum, et omnium qui a sæculo tibi placuerunt. Amen.

[illegible]

S. JOANNIS CHRYSOSTOMI
CONSTANTINOPOLITANI
ARCHIEPISCOPI
PANEGYRICI, ELOGIA ET EPISTOLÆ.

HOMILIA I

In sanctos Macchabæos, et in matrem eorum.

I. Quam speciosa nobis et læta civitas[1]! quam toto anno splendidior hæc dies! non sole clariores, quam more solito, radios in terram effundente, sed sanctorum Martyrum luce plus, quam fulgur, totam nobis civitatem irradiante. Sexcentis enim solibus splendidiores hi sunt, ac magnis luminaribus clariores. Propter illos hodie terra ornatior est, quam ipsum cœlum. Ne mihi pulverem dicas, ne mihi cinerem cogites, vel ossa tempore consumpta: sed fidei oculos aperi, et vide assidentem ipsis Dei virtutem, ambientem ipsos Spiritus gratiam, circumfusam cœlestis luminis gloriam. Non tales ex solari orbe in terram emittuntur radii, quales ex sanctis corporibus prosilientes fulgores diaboli oculos excæcant. Quemadmodum enim prædonum duces, aut sepulcrorum effossores, ubi vident imperatoria arma jacentia, loricam, clypeum, galeam, auro tota fulgentia, statim resiliunt, magnum-

[1] Vide D. Guillon, tom. XVI, p. 456-460.

que suspicantes periculum, neque accedere, neque ea contingere audent; sic et dæmones vere prædonum duces, ubicumque vident Martyrum corpora jacentia, statim fugiunt ac resiliunt. Non enim in mortalem naturam eorum respiciunt, sed in arcanam Christi, qui illa gestavit, dignitatem. Hæc quippe arma, non Angelus, non Archangelus, non alia quæpiam creata virtus induit, sed ipse Angelorum Dominus. Ac quemadmodum Paulus clamabat dicens : « An experimentum ejus quæritis, qui in me lo» quitur, Christi[1]? » Sic et isti possunt clamare ac dicere, An experimentum quæritis ejus, qui in nobis certavit, Christi? Pretiosa enim sunt corpora, quia plagas pro domino suo acceperunt, quia stigmata propter Christum gestant. Ac sicut corona Imperatoria, variis lapillis undique decorata, fulgores varios emittit; ita et sanctorum Martyrum corpora, quasi lapillis pretiosis, vulneribus pro Christo susceptis distincta, omni imperatorio diademate pretiosiora et venerabiliora videntur. Exteri quidem Agonothetæ certamina constituentes, rem admodum spectabilem esse putant, cum juvenes robustosque athletas in scammata et certamina inducunt; ita ut vel antequam certamina incipiantur, ex bona membrorum habitudine in admirationem spectatores moveant. Hic vero non ita se res habet, sed e contrario omnia. Agonem enim proponens Christus non talem qualem illi, sed horrendum et formidandum : quippe non hominum adversus homines est lucta; sed hominum adversus dæmones certamen est; talem, inquam, agonem nobis proponens, non juvenes robustosque athletas ad certamina induxit; sed adolescentulos, ac cum illis senem Eleazarum, itemque mulierem vetulam adolescentium matrem. Quid hoc igitur est? Inutilem-ne ætatem ad certamina et scammata ducis?

[1] 2 Cor. XIII, 3.

Quis audivit unquam mulierem in tanta senectute concertasse? Nemo audivit: sed ego, inquit, illam rem incredibilem, novam, et nunquam antehac auditam, ipsis operibus credibilem faciam. Non enim is Agonotheta sum ego, qui certantium virtuti omnia committam: sed adsum, opem fero manumque athletis meis porrigo, et rei ab illis fortiter gestæ pars maxima ex patrocinio meo proficiscitur. Cum itaque videris mulierem trementem, vetulam, baculo egentem, in certamen ingressam, tyranni furorem prosternere, incorporeas virtutes superare, diabolum facile vincere, ejusque robur strenue admodum frangere, Agonothetæ gratiam admirare, Christi conspecta virtute obstupesce. Non secundum carnem robusti sunt athletæ, sed secundum fidem. Infirma est ipsorum natura, sed potens est, quæ ungit eos, gratia: soluta sunt senectute corpora, sed roborati sunt animi pietatis amore. Non est sensibilis pugna, ne igitur athletas extrinsecus consideres; sed ratiocinio eorum animi robur intus perpende: considera ipsorum fidei fortitudinem, ut ediscas eum, qui cum dæmonibus pugnet, non robusto corporis habitu et mole indigere, neque ætate florida; sed etsi admodum juvenis sit, etsi decursa jam ætate, si animo generoso robustoque præditus sit, nihil damni ab ætate in certamine accipere.

II. Ecquid dico senem et juvenem, quando mulieres ipsæ hæc certamina inierunt, splendidisque coronis redimitæ sunt? Nam externa quidem certamina ætatem, naturam, et dignitatem exquirentia, servis, mulieribus, senibus, adolescentulis aditum intercludunt: hic vero cuilibet conditioni, ætati cuilibet, utrique sexui theatrum magna data libertate aperitur; ut et liberalitatem et inenarrabilem virtutem ejus, qui certamen instituit, ediscas, et apostolicum illud dictum operibus confirmatum videas,

« Quia virtus ejus in infirmitate perficitur[1]. » Quando enim pueri et senes supra naturam fortiter agunt, Dei in ipsis operantis gratia splendide prorsus demonstratur. Ut autem ediscas illam exteriorem athletarum infirmitatem, ipsos coronam reportantes splendidiores reddere; age, sene puerisque dimissis, infirmiorem illis mulierem vetulam septem filiorum matrem in medium adducamus : nam partus labores non leve impedimentum in his certaminibus afferunt. Quid ergo prius in ea admiremur? infirmitatem-ne naturæ, an provectam ætatem, an maternæ commiserationis sensum fragilem? [Mater enim erat, unde facile eam potuisset in tormentis viscerum suorum vincere materna pietas, nisi divinæ pietatis altior virtus virili fide anile pectus armaret.] Magna siquidem hæc sunt impedimenta ad tantæ patientiæ cursum. Ego vero aliud proferendum habeo his majus, quo et mulieris fortitudinem et diaboli vafritiem totam videamus. Quodnam illud? Animadverte improbi dæmonis nequitiam : non priorem illam traxit in scammata, sed post filios ad certamina duxit. Quare? Ut postquam septem filiorum cruciatibus, ejus animum prius dejecisset, ejusque mentis firmitatem emollivisset, rerum illarum spectaculo prius absumpta fortitudine in suppliciis filiorum, infirmior demum facta facilius expugnari posset. Ne consideres illos excepisse tormenta; sed tecum reputa illam ad singulos, graviores tulisse dolores, et in singulis eorum confossam esse. Quodque dicimus probe norunt quotquot mulieres partus dolores expertæ sunt, et matres evaserunt. Sæpe namque mater febri æstuantem filium videns, nihil non doloris amplectatur, ut ex illo corpore ægritudinis ignem in se tranferat : ita nempe matres filiorum ærumnas propriis malis intolerabiliores existimant. Quod si hoc verum

[1] 2 Cor. XI, 9.

est, ut est profecto verum, in suppliciis filiorum gravius, quam ipsi filii, cruciabatur mater; majusque in matre martyrium erat, quam in filiis. Nam si vel unius filii morbus nunciatus materna viscera turbat, non uno solum filio, sed tanto filiorum interfecto choro, cum non auditu solo, sed visu cruciatus perciperet, quid non passa fuerit? Quomodo mentis compos esse potuerit, cum singulos videret diversis et horrendis suppliciis paulatim occisos? quomodo non erupit e corpore anima? Quomodo non ex primo aspectu in rogum insiliit, ut se a reliquo spectaculo liberaret? Etsi enim philosophabatur, at mater erat; etsi religiosa erat, at carne induebatur; etsi alacris erat, at muliebris erat sexus; etsi studio pietatis fervebat, sed partuum vinculo detinebatur. Nam si nos, viri cum simus, reum videntes per forum agi, funem in ore habentem, in barathrumque trahi, etiamsi nulla cum eo amicitia juncti, hoc spectaculo frangimur, etsi idoneum ad leniendam miserationem solatium habeamus, damnati nempe nequitiam quantum illa passa fuerit, quæ non reum unum abduci videret, sed simul unaque die septem filios, non celeri morte, sed variis suppliciis cæsos? Etsi lapidea fuisset, etsi viscera habuisset adamantina, annon turbata fuisset, annon quidpiam eorum passa esset, qualia et mulierem et matrem pati par erat? Cogita mihi, quantum admiremur patriarcham Abraham, qui filium suum, ut offerret, vinxit et altari imposuit; et tunc probe comperies quanta fuerit mulieris fortitudo. O acerbissimum, idemque suavissimum spectaculum! acerbissimum quidem ob rerum, quæ agebantur, naturam; suavissimum vero, ob affectum videntis. Non enim illa fluentem sanguinem respiciebat, sed coronas justitiæ contextas; non intuebatur confossa latera, sed æterna tabernacula constructa; non videbat circumstantes carnifices, sed circum-

positos Angelos. Oblita est dolores partus, contempsit naturam, despexit ætatem : despexit, inquam, naturam, rem tyrannicam; naturam, quæ vel feras ipsas vincere solet. Multæ namque captu difficiliores feræ, sic amore et commiseratione erga prolem capiuntur, suam non curantes salutem, sed incaute in venatorum manus incidentes. Nullumque est animal ita infirmum, ut prolem non defendat : nullum ita mansuetum, ut fœtu suo orbatum non irritetur. Verum illa tyrannidem tum per rationabiles homines, tum per bruta animalia intensam dissolvit : neque solum non insilivit in caput tyranni, neque modo faciem ejus non laceravit, discerptos videns catulos, sed tantam philosophiæ magnitudinem exhibuit, ut immanes ipsi dapes præpararet : ac dum priores adhuc cruciarentur, reliquos ad suppliciorum experimentum inungeret.

III. Audiant matres, mulieris imitentur fortitudinem, prolisque amorem : sic filios nutriant. Non enim mulieris est parere, id nempe est naturæ; sed educare matris est, id namque est voluntatis. Ut vero discas non ex partu matrem fieri, sed ex educatione bona, audi Paulum, viduam coronantem, non ob partum, sed ob educationem liberorum : cum enim dixisset : « Vidua eligatur non minus » annorum sexaginta, testimonium habens in operibus » bonis[1], » bonorum omnium caput addidit : quodnam illud? « si filios educavit, » inquit; non dixit, si filios peperit. Cogitemus ergo, quid verisimile sit passam fuisse mulierem, si tamen mulierem licet appellare, cum videret digitos super prunis palpitantes, caput exiliens, ferream manum injectam, capiti alterius e filiis pellem detractam, et eum, qui talia passus esset, adhuc stantem et loquentem. Quomodo os aperuit? Quomodo linguam movit? Quomodo non anima e corpore evolavit? Id quomodo

[1] 1 Tim. v, 9.

factum sit ego dicam. Non respiciebat in terram, sed ad futura omnia præparabatur. Unum tantummodo metuebat, ne parceret et prius agonem solveret tyrannus, ne chorum filiorum disjungeret, neu quidam sine coronis manerent. Quodque illud timeret hinc palam est, quod postremum quasi manibus correptum injecerit in lebetem, pro manibus verborum usa adhortatione atque consilio. Nos aliena mala non sine dolore audimus : illa vero propria mala sine dolore videbat. Hæc ne frustra audiamus, sed singuli auditorum totam hanc tragœdiam pro filiis suis accipiant, amabilem sibi vultum effingant, et sibi liberorum carissimos repræsentantes, in illis hos cruciatus inesse sibi depingant, et tunc pulchre dictorum vim noverint; imo vero ne ita quidem noverint : quia naturales ærumnas nullus sermo declarare poterit : experientia sola docet. Opportune illi dicatur postquam septem ejus filii coronam adepti sunt, Propheticum illud : « Tu autem sicut oliva fructifera » in domo Dei[1]. » Nam in Olympicis quidem certaminibus, postquam mille ingressi sunt athletæ, uni tantum corona tribuitur : hic vero ex septem athletis, septem coronati prodierunt. Quem mihi agrum ostendas ita feracem? Quem uterum ita fecundum? Quos partus similes? Mater filiorum Zebedæi, Apostolorum mater fuit, sed duorum tantum : septem autem Martyres uterum unum tulisse non novi, quorum ipsa mater iis martyrii socia fuerit : neque tanquam una solum Martyr addita fuerit, sed vice multorum. Filii namque septem tantum Martyres erant : corpus vero matris ipsis adjectum, unum tantum corpus erat; sed bis septem Martyrum locum implebat, quia in singulis eorum martyrium subiit, et quia illos tales reddidit, Ecclesiam nobis Martyrum integram peperit. Septem peperit filios, sed nullum terræ, omnes cœlo peperit, imo potius regi

[1] Psal. LI, 10.

cœlorum, illos omnes in futuram enixa vitam. Diabolus ergo illam postremam in certamina duxit ob causam supra memoratam, ut virtute ejus in cruciatuum spectaculo consumpta, expugnatu facilis esset cum ultima adversarium exciperet. Nam si plerumque homines sanguinem profluentem videntes animi deliquium passi sunt, multaque curatione opus habuerunt, ut vita jam deficiens et anima mox avolatura revocaretur : tot illa videns sanguinis rivos, non ex aliena, sed ex filiorum carne manantes, quid non sustinuit? quam perturbationem non animo suscepit? Diabolus itaque, ut dixi, ideo illam post filios in certamina traxit, ut infirmiorem redderet; sed contra accidit : majori enim cum fiducia certamina adiit. Cur et qua de causa? Quia non timebat ultra, nec sollicita erat de filiis quibusdam in hac vita relictis, ne emolliti coronis privarentur. Sed illos omnes, seu in tutum quoddam receptaculum, in cœlum deportatos habens, et ad supernas missos coronas bonaque immutabilia; multa cum fiducia et voluptate certamen adiit, et ceu lapidem pretiosissimum coronæ cuipiam, carnem suam choro filiorum adaptans, ad desideratum Jesum profecta est, magnum nobis relinquens solatium et consilium, nempe adhortationem operibus factam, ut forti animo et sublimi sensu ærumnas omnes fidenter adeamus. Quis enim vir, quæ mulier, quis senex, quis juvenis, veniam consequetur, aut excusari poterit, si oblata sibi pro Christo pericula reformidet, quando mulier vetula, et tot filiorum mater, ante gratiam decertans, clausis adhuc mortis januis, nondum extincto peccato, neque debellata morte, cum tanta alacritate et fortitudine, tot propter Deum supplicia sustinuisse cernitur? Hæc porro omnia cogitantes et mulieres et viri, et juvenes et senes, agones et certamina in corde vestro, ceu in tabula quadam describentes, perenne con-

silium ad pœnarum contemptum, ejus patientiam in anima nostra repositam habeamus : ut hic sanctorum horum virtutem imitati, illic coronarum consortes ipsis esse valeamus : quantam illi in periculis philosophiam exhibuerunt, tantam et nos in absurdis affectibus patientiam continentiamque demonstrantes, in ira, in concupiscentia pecuniarum, corporum, vanæ gloriæ, aliorumque omnium similium. Nam si horum flammam, quemadmodum illi ignem, superemus, prope ipsos stare poterimus, eorumque fiduciæ participes esse : quam assequi nobis omnibus contingat, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, per quem et cum quo Patri gloria una cum sancto Spiritu nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA II.

In sanctos Macchabæos.

I. Omnes quidem ut sanctos Martyres una lingua laudemus, fieri nequit; sed etiam si sexcenta nobis ora, totidemque linguæ suppeterent, parem tamen laudibus orationem non afferremus : idemque mihi accidit cum septem Martyrum præclara facta contueor, quod avaro cuipiam homini, qui fonti assideat auro mananti, in quo septem sint tubi, ac totum exhaurire conetur, sed multo immensoque labore impenso majori parte derelicta recedat. Fontem enim quantumvis exhauseris, pars major tamen relinquitur. Quid igitur? an quia pro dignitate largiri non possumus, conticescemus? minime vero : matyres enim sunt, qui dona suscipiunt, et in judicio de ejusmodi lar-

gitione ferendo suum Dominum imitantur : quid igitur ille facit? cum dona quispiam offert, non oblatæ rei magnitudinem, sed alacritatem animi ejus, qui obtulerit attendens præmium admetitur. Sic erga viduam illam se gessit[1]? duos obolos demisit mulier, et illis, qui multa demiserant, antelata est : non enim pecuniæ paucitatem, sed animi magnificentiam respexit Deus : oboli duo pecunia, sed talentis auri sexcentis pretiosior animus erat. Audacter igitur ad laudandum aggrediamur, et quod heri egimus, id nunc etiam, si placet, agamus. Heri siquidem in solius matris laudes sermonem totum impendimus : quod a nobis factum est, non quod eam a filiorum choro avellere studeremus, sed ut tutiores nobis divitias redderemus, quod utique nunc quoque præstemus, uno filiorum abducto de eo pauca dicamus : verendum est enim ne septem Martyrum laudes ceu septem flumina confertim confluentia sermonem nobis inundent, et obruant. Unum igitur ex juvenibus assumamus, non tamen ut hunc ipsum a choro fratrum abstrahamus; sed ut leviorem sarcinam nostram reddamus : siquidem uno laudato communis et aliis erit corona, quandoquidem eorumdem consortes certaminum fuerunt omnes. Sed ingeret se nobis plane hodie quoque mater, licet illam non attingamus; omnino enim illam series sermonis attrahet, nec deserere pueros poterit. Nam quæ in certaminibus a liberis suis non discessit, nec in laudibus se ab eis sejunget. Quemnam ergo ex septem athletis vultis assumamus? num primum vel secundum, vel tertium, vel postremum? Imo vero nullus inter eos est postremus; chorus enim est, chori vero neque principium, neque finis apparet; sed ut melius designemus, quem laudamus, dicimus ætate postremum : sunt enim germana similiaque certamina, et cognata inter se recte

1 Luc. XXI, 2.

facta : ubi vero cognatio recte factorum est, non ibi primus est aut secundus. Assumamus igitur ætate postremum et magnitudine animi coævum, nec fratribus tantum coævum, sed ipsi etiam seni. Solus ex fratribus hic solutus ad tormenta ducebatur : non enim carnificum manus expectavit, sed illorum crudelitatem alacritate animi prævenit, et solutus ducebatur. Ac fratrum quidem nullum habuit spectatorem : omnes enim fuerant jam morte sublati : sed præclarius theatrum, quam fratres, habuit oculos matris. Nonne dicebam vobis, quod licet non studentibus nobis omnino sese etiam mater ingeret? Ecce illam series sermonis introduxit. Hoc vero theatrum, adeo præclarum erat et magnum, ut ipsum Angelorum cœtum, imo vero fratres spectatores haberet, non jam e terra, sed e cœlis. Coronati enim, ut in Olympicis certaminibus judices, considebant, non ut certaminum judicio præessent, verum ut victorem ad accipiendam coronam incitarent. Stabat igitur solutus, et philosophiæ plena proferens verba : siquidem tyrannum studebat ad pietatem suam traducere : cum vero id minime potuisset, quod suarum partium erat, deinceps præstitit, supplicio se ipsum exposuit. Atque ille quidem eum ætatis gratia miserabatur, hic vero illum impietatis causa deflebat : non enim eadem respicit tyrannus et Martyr : nam utrique sunt iidem oculi, verum carnis, fidei vero oculi non iidem; sed ille quidem præsentem vitam respiciebat, hic vero respiciebat futuram, ad quam erat evolaturus. Tyrannus quidem sartagines videbat, at gehennam Martyr videbat, in quam se injecturus erat tyrannus. Quod si Isaac laudamus, quod a patre vinctus, et compeditus ab altari non recesserit, nec admotum cerneis gladium resilierit, multo hic æquius laudandus est, quod vinctus non sit, neque vinculorum necessitate indiguerit,

[1] Gen. XXII, 10.

neque carnificum manus expectarit, sed ipse sibi et victimæ, et sacerdotis, et altaris loco fuerit. Cum enim undequaque circumspexisset, nec ullum ex fratribus adesse vidisset, conturbatus est : ut properaret, incitatus est, et assequeretur : ne a præclaro illo choro separaretur. Ideo carnificum manus non expectavit : siquidem tyranni clementiam reformidabat, ne forte ipsius misertus eum a societate fratrum avelleret. Propterea præveniens se ipsum immani illius humanitati præripuit. Etenim multa erant, quæ tyrannum possent inflectere : juvenilis ætas, tot fratrum supplicium, quod vel ad feram exsatiandam posset sufficere, tametsi ille saturatus non est : canities matris, quodque præcedentium supplicium nihil profecisset.

II. Hæc omnia secum mente versans adolescens in supplicium se ipsum immisit, ex quo effugere non licebat, et tanquam in laticum frigidorum fontem in lebetes præceps desiliebat, divinum lavacrum illos existimans et baptismum. Sicut enim homines, qui uruntur, se ipsos in lacum frigidarum aquarum immittunt : sic ille fratrum desiderio incensus in eorum supplicium se immisit. Adjungebat et cohortationem mater, non quod ille cohortatione indigeret, sed ut rursus mulieris fortitudinem animadvertas. Nullius enim septem liberorum causa materno affectu commota est : imo vero in singulis affectu materno commota est : non enim dixit apud se : Quid hoc tandem rei est ? abreptus est mihi filiorum chorus, hic derelictus est solus ; in hoc ego de orbitate periclitor, quis me in posterum alet in senectute, si hic abierit ? num enim mihi dimidiam partem exhibuisse satis erat, aut si minus partem dimidiam, duas partes, nisi et eum qui mihi solus ad senectutis consolationem derelictus est, ipsum etiam rursus adjiciam ? nihil horum dixit aut cogitavit, sed quasi manibus cohor-

tatione verborum in altum sublatum filium in lebetem immisit Deum laudans, quod totum ventris sui fructum acceptasset, nullumque respuisset, verum omnia ex arbore poma decerpsisset: ita ut audacter dicere possim graviora filiis eam esse perpessam. Nam illis quidem pars major doloris et animi deliquium succidebatur; hæc vero integra mente judicioque illæso veriorem eorum, quæ gerebantur, sensum ob naturam capiebat: ac videre erat ignem triplicem; quem ille tyrannus accendebat, quem excitabat natura, quem Spiritus sanctus inflammabat. Non talem Babylonius tyrannus ille fornacem accendit[1], qualem matri fornacem hic tyrannus accendit. Nam illic quidem ignis fomes erat naphtha, pix, stuppa, sarmentum: hic vero natura, dolores partus, liberorum amor, puerorum concordia. Non ita illi jacentes in igne urebantur, atque hæc ob amorem liberorum urebatur, sed ob pietatem vincebat; et natura cum gratia pugnabat, et victoriam gratia reportabat: religio maternum affectum superabat, et ignis ignem vincebat, spiritualis naturalem, quem crudelitas tyranni succenderat. Et sicut marinus scopulus, qui fluctuum incursus excipit, ipse quidem manet immobilis, illos autem in spumam dissolutos facile tollit; sic illius quoque mulieris cor tanquam scopulus marinus fluctus excipiens dolorum incursus, ipsa quidem mansit immota, sed incursus illos firma et philosophiæ plena mente dissolvit. Ostendere tyranno contendebat se vere matrem illorum esse, vere filios illos suos esse genuinos, non propter naturæ cognationem, sed propter virtutis communionem. Non se ignem tormentorum, sed facem nuptialem cernere arbitrabatur. Non ita mater, quæ filios ad nuptias exornat, lætatur ut illa, cum cerneret excruciatos, gaudebat, et quasi hunc stola sponsali amiciret, illi coronas necteret, alteri thala-

[1] Dan. III.

mos nuptiales erigeret, ita hunc ad lebetes, illum ad sartagines currentem, alium capite truncatum cum cerneret, exultabat. Omnia tum fumo nidoreque redundabant, ac sensibus omnibus liberos suos experimento cognoscebat; per oculos eos intuens, per aures verba exaudiens, ipsis naribus fumum illum carnium suavem et insuavem excipiens: insuavem quidem infidelibus, Deo vero, ipsique omnium suavissimum; fumum illum, qui aërem quidem infecit, mulieris autem mentem non infecit. Stabat enim constans et immobilis, omnia, quæ gerebantur, patienter ferens. Sed jam tempus est, ut finem dicendi faciamus, quo pluribus illi laudibus a communi doctore cumulentur. Hanc imitentur patres, æmulentur matres, et mulieres, et viri; qui in virginitate vivunt, et qui saccis amicti sunt, et qui torquibus exornati: quantumvis enim austeram fuerimus vitam amplexi et philosophiam, mulieris philosophia tolerantiam nostram antecedit. Nullus igitur eorum, qui ad summam fortitudinem ac patientiam pervenerint, indignum existimet confectam senio mulierem sibi magistram asciscere; sed omnes simul oremus, qui urbes incolitis et qui in desertis versamini; qui virginitatem colitis, et qui castis nuptiis refulgetis, qui sæculi hujus res omnes aspernamini, et corpus crucifixistis; ut eodem cursu confecto fiduciam eamdem quam ipsa obtineamus, ac prope ipsam in die illa consistamus sanctæ precibus freti, ejusque liberorum, et Eleazari, qui chorum illum explevit, magni generosique senis, qui adamantinum animum in adversis præ se tulit. Id vero poterimus assequi, si una cum sanctis illorum precibus, etiam quæ nostrarum sunt partium, conferamus, et ante bella casusque adversos pacis tempore perturbationes quæ in nobis sunt vincamus, incompositos carnis insultus compescamus, suggillemus, et in servitutem corpus redigamus. Sic enim

fiet, ut sive in pace vitam traducamus, splendidas gymnasiorum coronas obtineamus; sive, ut idem certamen obeamus, benigno Deo visum fuerit, in arenam parati descendamus, et cœlestia bona consequamur: quæ nos omnes ut obtineamus, faxit gratia et benignitas Domini nostri Jesu Christi, per quem, et cum quo Patri gloria, una cum sancto Spiritu, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA III.

In sanctos macchabæos.

Cum et martyribus debitam operum commendationem, et redactam in angustias multitudinem video, me piget. Quocirca, si ita videtur, doctrinam in præsentia differamus, imitari vero martyrum fortitudinem studeamus. Primus ergo nobis Eleazarus senior in medium prodeat, initium certaminum, martyrii fundamentum, stadiorum janua, fortitudinis princeps, tolerantiæ præcursor, illa canities juvenescens, Testamenti Veteris protomartyr, Apostolorum principis Petri imago. Defecit et blandiens, et virgis cædens adversarius, nec tamen declamare destitit, qui suppliciis divexabatur. Stabat senior præ nimia tremens senectute; sedebat minas ac cædem anhelans tyrannus; et qui tremebat, vegetus abiit; qui florenti ætate lasciviebat, victus abscessit. Stabat canities excruciata, judicium exercebat cum auctoritate juventus efferata, et victoriam canities reportabat. O novum genus victoriæ! totum simul exercitum sagittas arcu mittentem senex unus

vulneratus in fugam convertit. Non patitur me ad juvenum fortitudinem gradum facere certaminum senis miraculum, sed tamen necesse est, ut ad eos vim afferentes isti, pergamus: nam et illi præclaros de tyranno triumphos egerunt. Non enim debuit juventus minus intrepida, quam canities apparere. Septem igitur deinde juvenes cum strenue dimicassent, coronati sunt, qui ex uno ventre in aciem unam cucurrerant. Si ita videtur, finem faciam dicendi, o fortium martyrum fortes saltatores; sed ut dicebam, septem deinde coronati sunt juvenes, qui ex uno ventre in aciem unam cucurrerant, una parentum germanitate, et moribus exornati, alius post alium in certamen irrumpebant. Nunc mihi de vobis, o generosi, Evangelicum illud dictum memorandum est, Beatus venter, qui vos portavit, et ubera quæ suxistis. Quando autem uberum ac ventris feci mentionem, tempus est, ut ad fortium bellatorum transeam matrem, quæ in uno sæpius corpore mortua est, vel potius sæpe mactata est, et ne semel quidem indoluit, ad illam, inquam, invulneratam simul et multis vulneribus sauciam. Non ita illam primus liberorum perturbabat, cum ad necem traheretur, ut secundus, qui certamina non attigerat, metum afferebat: non ita secundi rursus interitus contristabat, ut tertii filii vita terrebat, cujus adhuc erat finis ignotus: perexigui pretii erat illi et tertius, et quartus filius jugulatus, cum nondum esset quintus occisus: ne sexti quidem casus philosophiam ejus superavit: restabat deinceps ultimus ad certamina septimus, qui martyrum citharam mutam compleret. Quid igitur? an eam ætas immatura flexit? an indoluit, cum has naturæ reliquias auferri videret? Illa certe puerum ad mortem urgebat, si minus manibus, consiliis tamen. Ne coronarum, o fili, numerum imminuas: esto fratribus, ut partus, etiam socius recte factorum: imitare actionum

communione naturæ communionem: ostende te eorum, qui mactati sunt, etiam in agonibus fratrem. Septimus mihi a natura natus es filius, septimus mihi ab animi proposito martyr exorere: ne efficias, o fili, ut liberorum quidem septem; sex vero martyrum mater appeller. Ubi nunc, quæso, sunt illi, qui ne pecuniarum quidem oblationes Deo largiuntur? Septem hodie teneros liberos ad dominum mater adduxit, nec obtorpuit, cum sacrificium e visceribus suis offerret; at multi paucorum obolorum nobis interdum oblationem sordide conferunt. Nos autem Deo et animorum et pecuniarum et corporum oblationem offeramus, Christum super omnia collaudantes, cui gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA IV.

Habita postquam alius admodum senex concionnatus fuerat. De Eleazaro et de septem pueris, alias de Macchabæis IV.

I. Quam speciosa est hæc spiritualis olea, cum rami ejus veteres maturum nobis fructum attulerint! Non enim tales sunt plantæ terræ quales arbores Ecclesiæ. Illæ namque cum ad vetustatem perveniunt, foliorum plurima amittunt, immaturumque et rarum afferunt fructum. Illæ autem cum ad senectutem venerint, tunc maxime fructum ubertim ferunt. Quod certe videre est in illo qui hodie locutus est: ideoque tacere mihi visum est. Oportebat enim tot senibus præsentibus, qui loqui scirent, juniorem quiescere. Ita nos erudiunt Scripturæ divinæ: nam cum juniorem alloquuntur dicunt: Vix loquere juvenis, si opus

sit tibi. Quapropter si interrogatus fueris, multa paucis dicito. Seniori autem non cum tali distinctione loquitur; sed illum dimittit ut non cum talibus terminis currat, et dictorum voluptatem, si cum prudentia dicantur, admirans, sic ait: « Loquere, senex; tibi namque convenit: in » accurata scientia: et impedies musica[1]. » Quid sibi vult illud, « Et impedies musica? » Tibia, cithara et fistulæ, non ita suaves audientibus sunt, ut senioris doctrina cum accurata scientia prolata. Voluptas enim voluptatem depellit, et hanc illa longe superiorem dicit; hanc vincere, illam ipsi cedere. Ideo dicit, Impedies musica; hoc est, non sinet hæc illa comparere, obtenebrabis illa, obumbrabis illa. Ideo nos quidem oportebat tacere et audire; hunc autem loqui et docere. Sed quod sæpe dixi, hoc tunc etiam dicam; neque vestram fero tyrannidem, neque horum necessitatem. Ideo rursus ad consuetos cursus me comparo. Rem difficilem nempe, loquendi cum facilitate multa tractans, non propter facultates meas, sed propter vestram audientium alacritatem. Nam et nuper ad tantam profunditatem deductus sermo, non suffocatus est, et tantum pelagus emensus, non naufragium passus est. Causa autem est quod nusquam petræ, nec saxa latentia, nec scopuli sint; sed ubique mare ipso portu tranquillius: et quasi zephyro quodam ad proram insufflante, vestro nempe audiendi studio, ad tranquillum portum appellebamus. Statim enim atque a lingua sermo proferebatur, omnes supinis illum manibus excipiebant, etiamsi multam haberet difficultatem. Talis enim nuper erat sententiarum natura. Attamen alacritatis magnitudo, et mentis attentio cum accuratione magna in labore solatium afferebat, et quæ difficilia erant facilia reddebat. Neque enim in petram, neque in spinas, neque secus viam cadere sinebatis; sed omnia

[1] Eccli. XXXII, 4.

inpingue et profundum arvum excipiebatis, in profundum nempe vestræ mentis. Ideo singulis diebus comatas segetes videmus, zephyri loco, Spiritus auris innutritas: et theatrum nobis quotidie splendidum effectum. Ideoque hodie prætermissas reliquias resumere volebam. Sed quid faciam? Macchabœorum chorus stat ante oculos meos, et fulgore vulnerum suorum mentem meam illustrans, ad formam suam linguam nostram vocat. Sed nemo sermonem ut intempestivum improbet, quia cum horum certaminum dies crastinus sit, hodie coronas nectimus, et ante belli tempus tropæum prædicamus. Si enim cum nuptiæ celebrantur, qui una coëunt, ante diem assignatum et thalamos parant et coronis domos ornant, atque aulæis; multo magis nos hoc ipsum faciemus, quando etiam magis spirituales sunt hæ nuptiæ; non homine uxorem, sed Deo animas hominum desponsante. Quapropter non aberraverit qui Martyrum animam sponsam dixerit, sponsam nempe spiritualem : siquidem pro dote sanguinem afferunt: dotem nunquam absumendam. Sed laudum tempus ad diem crastinam nos expectet. Hodie vero infirmiores fratrum corrigemus. Quia enim multi ex simplicioribus mente claudicantes, ab Ecclesiæ inimicis attracti, non congruentem de sanctis hisce opinionem habent; neque illos in reliquo Martyrum choro annumerant, dicentes, non pro Christo ipsos sanguinem fudisse; sed pro lege et pro Scripturis quæ in lege erant, pro suillis carnibus jugulatos.

II. Age ergo cogitationem illorum corrigamus. Turpe namque esset illos festum celebrantes, celebritatis causam ignorare. Ut ne ergo ii qui tali morbo laborant in communi omnium lætitia doleant; sed sincera mente pugiles illos amplectantur, et puris oculis illos videant; quid illorum mentes concitaverit hodie traducentes, id efficiemus

ut cras sincera mente et puro animo accedant ad spiritualem celebritatem. Ego vero tantum abest ut recusem illos cum cæteris Martyribus annumerare; ut etiam splendidiores illos esse dicam. Tunc enim concertaverunt, cum nondum portæ arcæ fractæ essent, neque vectis ferreus abstractus: cum adhuc peccatum dominaretur, et maledictio vigeret, atque cum diaboli arx adhuc staret, necdum talis virtutis via trita esset. Nunc enim vel pueruli, et virgines multæ teneræ et innuptæ in multis orbis partibus, contra mortis tyrannidem concertavere. Tunc autem ante Christi adventum, etiam ii qui justi erant, admodum illam formidabant. Moyses enim hujus timore aufugit, Helias per quadraginta dierum viam ab illa fugit, et Abraham Patriarcha ideo uxorem monebat ut se sororem diceret, non uxorem. Ecquid oportet alios dicere? Ipse namque Petrus ita mortem timebat, ut ne ostiariæ quidem minas tulerit. Terribilis namque mors erat et inaccessa; cum nondum nervi ejus exsecti fuissent, nec potestas ejus soluta. Attamen hi tunc quando illa tam terribiliter spirabat, cum illa pugnaverunt et vicerunt. Quia enim demum sol justitiæ oriturus erat, quod in vulgari die fit, tum etiam contigit. Sicut enim sole nondum apparente, lætum nobis diluculum apparet, cum nondum solares radii sint manifesti; sed lux radiorum, quæ procul orbem illuminat; sic tunc contigit. Quia enim adventurus erat sol justitiæ; demum timiditatis tenebræ solvebantur, etsi nondum apparuerat in carne, sed prope erat et quasi in procemiis, et jam res ipsas tangebat. Quod igitur magnam exhibuerint virtutem, in talibus concertantes temporibus, omnino palam est. Quod etiam pro Christo vulnera acceperint, hoc jam demonstrare conabor. Cur enim, dic mihi, passi sunt legis causa, inquies, et Scripturarum, quæ in illa erant. Si ergo apparuerit Christus, qui legem illam dederat, an-

non conspicuum est illos pro lege patientes, pro legislatore totam illam constantiam et patientiam exhibuisse? Age ergo, hoc hodie probemus, Christum nempe esse qui legem dedit. Quis ergo hæc dixit? Is qui hæc probe sciebat et nova et vetera, Paulus orbis doctor. Corinthiis namque scribens, sic loquitur. « Nolo autem vos ignorare, fratres, » quia patres nostri omnes sub nube fuerunt, et omnes per » mare Rubrum transierunt, et omnes in moyse baptizati » sunt, in nube et in mari, et omnes eumdem cibum spiri» tualem manducaverunt[1], » de manna loquens, « Et omnes » eumdem potum spiritualem biberunt, » aquam dicens illam, quæ petra fluxit. Deinde postquam ostenderat Christum hæc mirabilia fecisse, subjunxit: « Bibebant enim ex » spirituali consequente eos petra: petra autem erat Chris» tus. » Et jure certe. Non enim petræ natura emittebat aquam et fluvios illos, sed Christi operatio lapidem percutiens fontes emittere coëgit. Ideo spiritualem petram vocavit, et ipsos secutam esse dixit. Sensilis vero petra non sequebatur, sed in loco uno stabilis erat. Sed virtus illa, quæ ubique adest, et omnia creat, ipsa petram rupit. Quod si hæc verba non ferat Judæus; age suis ipsum armis capiamus: nihil ex Paulo, Petro et Joanne, sed ex Prophetis cum illo disputantes. Ut discat scripturas penes illum, sensa vero penes nos esse.

III. Quis ergo Prophetarum hæc dicit, quod ipse vetus Testamentum dederit? Jeremias qui ex ventre sanctificatus est, qui in juventute claruit. Ubi et quomodo? Audi verba ejus, et ex dictis clare disce. Quænam sunt verba? « Ecce » dies veniunt, dicit Dominus, » Ab initio statim auditorem erigit, et audientium sensum excitat ostendens non sua esse verba, sed se mittentis Dei. « Ecce dies veniunt, » deinde significat se de futuris rebus loqui. Quomodo ergo

[1] 1 Cor. x, 1.

si de futuris loquitur, Vetus Testamentum ipse dedit? Expecta et ne turberis, tuncque veritatis splendorem videbis. Cum enim hæc dicebantur, lex data erat et violata fuerat, Novum vero Testamentum nondum. His ergo clare in mente vestra depositis, solutionem accipite difficultatum, quas multi objiciunt. « Ecce dies veniunt, dicit Dominus[1], » præsens tempus significans, « Et disponam vobis Testa» mentum Novum, non secundum Testamentum, quod » disposui patribus vestris. » Interrogo Judæum, interrogo infirmum fratrem, Quis Novum dedit Testamentum? procul dubio respondebunt ambo quod Christus dederit; ergo et vetus etiam dedit. Nam qui dixit, Disponam Testamentum Novum, non secundum Testamentum quod disposui, ostendit se etiam illud dedisse. Ergo utriusque Testamenti unus legislator est. Et quandonam, quæso, Vetus Testamentum disposuit? « In die qua manu appre» hendi eos, ut educerem illos de terra Ægypti. » Vide quomodo et facilitatem ostendit educendi, et dilectionem suam, et eductionis tranquillitatem, quodque ipse in Ægypto omnia miracula patraret. Cum enim dicit, manum eorum apprehendi, ut educerem eos de terra Ægypti, miracula omnia significat. Exitus enim ille per illa stupenda miracula factus est. « Et ipsi non permanserunt in » Testamento meo; et ego neglexi eos, dicit Dominus[2]. » Quod igitur Novi et Veteris Testamenti unus sit legislator, hinc manifestum est. Hic vero si quis dictum accurate prospiciat, videbit ipsum non modica difficultate plenum esse. Nam cum causam dicit, ob quam aliud Testamentum daturus est, Novum illud vocat; id est, stupendum. Nam disponam, inquit, Testamentum Novum, non secundum Testamentum quod disposui patribus eorum, quoniam ipsi non permanserunt in Testamento meo, et ego neglexi eos,

[1] Jerem. XXXI, 31. — [2] Ibid. 32.

dicit Dominus. Atqui ideo illos puniri oportebat, extremasque pœnas, intolerandumque subire supplicium, quod post tanta in sui gratiam facta miracula, accepta lege non meliores evaserint. Verum hic non pœnas ab illis expetit; imo et majora quam prius pollicetur. Oporteret igitur hodie hujus difficultatis solutionem afferre. Sed quia ad aliam rem nos sermo invitat, et ita volumus vos instituere, ut ne a nobis omnia discatis, sed a vobis ipsis inveniatis, hoc vobis quærendum et inveniendum relinquo. Si autem viderimus vos perquisivisse nec invenisse, tunc et ipsi manus porrigemus, ut facilius invenire possitis, et Apostolica loca, in queis maxime thesaurum et difficultatis hujus solutionem invenire est jam vobis prænuntio; in epistolis nempe ad Romanos, ad Galatas et ad Hæbreos hoc argumentum tractans ille dissolvit, et studiosi quique poterunt, epistolas illas adeuntes, solutionem illam invenire; si tamen insequentibus diebus, intempestivis cœtibus, inutilibus colloquiis non vos dederitis; sed dictorum meditationi operam dantes thesaurum effoderitis. Hoc interim insolutum relinquentes ad sequentia progrediamur. Quænam illa sunt? « Quoniam hoc est Testamentum, quod dispo- »nam vobis, dicit Dominus. Dans leges meas in mente » eorum, et in cordibus eorum describam eas. Et non do- » cebunt unusquisque civem suum, et unusquisque fratrem » suum dicens : Cognosce Dominum : quia omnes scient » me a parvo usque ad magnum eorum, quia propitius ero » iniquitatibus eorum et peccatis eorum, et iniquitatum » eorum non recordabor amplius. » Cum dixisset Vetus Testamentum, quod dedit; cum dixisset novum, quod daturus est; hujus pulchritudinem describit, ipsiusque characteres ostendit, et insignia frequentia apponit, ut scias quanta sit differentia Novum et inter Vetus; differentia, non

[1] Jerem. xxxi, 32.

contrarietas; quanta novi exuperantia, quantus splendor, quantus fulgor donorum et gratiæ. Quinam ergo sunt novi characteres? « Dans leges meas in mente eorum, et in » cordibus eorum inscribam eas. » Vetus enim Testamentum in tabulis lapideis scriptum erat; et quia primæ tabulæ confractæ fuere, alias rursus paravit; et cum ibi litteras insculpsisset, descendit Moyses, insensibilitati recipientium natura similes tabulas habens.

IV. Novum autem non ita. Non enim tabulæ insculptæ fuerunt, cum Novum Testamentum datum est; sed quomodo et qua ratione? Audi Lucam narrantem: « Erant » omnes unanimiter in eodem loco, inquit, et factus est » repente de cœlo sonus tanquam advenientis spiritus ve» hementis. Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam » ignis, et sedit supra singulos eorum. Et repleti sunt om» nes Spiritu sancto, et cœperunt loqui variis linguis, » prout Spiritus dabat eloqui illis[1]. » Vides-ne quomodo jam olim Propheta hoc clare prænuntiavit ita loquens: « Dans leges meas in mente eorum, et in cordibus eorum » inscribam illas. » Spiritus enim gratia a Deo data, in mentibus eorum deposita, columnas illos effecit viventes, et gloria mentem adumbrat, quia missus est ad prædicandum, « Non in sapientia verbi, ut non evacuetur crux » Christi[2]. » Et rursus, « Stultam fecit Deus sapientiam » hujus mundi, » et ubique crucem circumversat. Quia enim, inquit, Judæi signa petunt, et Græci sapientiam quærunt; nos autem prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam; vocatis vero Judæis et gentibus Christum Dei virtutem et Dei sapientiam, quia quod stultum est Dei sapientius hominibus est; et quod infirmum est Dei fortius est hominibus, stultum Dei et infirmum Dei crucem vocans. Non

[1] Act. II, 1. — [2] 1 Cor. I, 17 et 20.

quia stultum; nam quid hoc sapientius? non quia infirmum; quid enim hoc fortius? Sed incredulorum opinionem annuntians, quam ea de re habuerunt. Quapropter superius dicebat: Sermo enim crucis pereuntibus stultitia est, salutem consequentibus Dei virtus est. Sed non a pereuntibus his de rebus judicia ferenda sunt. Quandoquidem ii qui infirmantur mel acerbum esse putant; verum hoc morbi signum est, non mellis crimen. Ita et crux externis stulta res videtur esse; sed non est. Deinde postquam ostendit non modo non stultam rem esse, sed admodum sapientem, nec modo non infirmam, sed admodum fortem, ejus præclara gesta comparat cum creatione, cum Veteri Testamento, et cum externa sapientia: et ostendit, quod ea quæ neque interna sapientia invenit, neque externa, neque a creatione multi hominum didicerunt, neque a Veteri Testamento lucrati, hoc quod stultum et infirmum esse videtur, potuerint; quod videtur, inquam, non quod est. Quapropter cum ex rebus ipsis demonstrationem habeat, cum fiducia multa ad pugnam exit, primo contra externam sapientiam dicens, « Ubi sapiens[1]? » Quid sibi vult illud, Ubi sapiens? ac si diceret, Ubi sunt illa philosophorum, ubi rhetorum, ubi sophistarum, ubi scriptorum? Facessunt omnia ac perierunt, et evanuere. Nam ita splendida fuit victoria, ut illa jam ne compareant quidem. Ideo illis omnibus sic tanquam pulvis dissipatis, interrogat et ait: Ubi sapiens? Apparuit crux, et illa omnia soluta sunt. Insonuit prædicatio, et facilius quam araneæ tela dissipata sunt. Ubi sapiens? ubi verborum fastus? ubi facundiæ pulchritudo? ubi sophismatum gravitas? ubi verborum vis? ubi lingua acuta? ubi conventus et consessus? Illa omnia detracta sunt, perierunt, corrupta sunt, abierunt, terga dederunt. « Ubi

[1] 1 Cor. 1, 20.

» Scriba? » Ubi res Judæorum, inquit? Illa etiam vicit prædicatio, et occultavit sicut sol umbram. Nam quæ per tantum tempus lex non potuit in una gente, hæc cum majori potentia crux ubique perfecit, peccata solvens, justitiam dans, sanctos reddens homines, Dei cognitionem docens, ad cœlum manu ducens. Deinde Judaïcis relictis, ad gentilitia venit[1]. Ubi conquisitor hujus sæculi? Hic hæreticos subindicat, et eos qui syllogismis abutuntur. Qui antehac quidem gladiis acutiores erant : postquam autem crux apparuit, facilius quam lutum dejecti sunt. Annon stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi? Rursus contra gentiles se accingit. Quid sibi vult, stultam fecit? stulta cum esset, stultam monstravit : talis enim erat. « Et peccatorum illorum et iniquitatum non recordabor » amplius. » Sed Propheta quidem Veteris nobis lætam speciem describit. Apostolus autem quia cum Judæis pugnat, e regione utraque ponit. Superius quidem nobis dixit, non in tabulis lapideis; sed in tabulis cordis carnalibus; hic autem, « Non littera, sed spiritus; littera enim » occidit, spiritus autem vivificat. » In sabbato collegit quis ligna, et lapidatus est.

V. Vidisti-ne quomodo littera occidat? id est, lex puniat; disce quomodo Spiritus vivificet. Ingressus est quispiam mille malis plenus, qui scortatus est, rapuit, avarus fuit, adulter, omni nequitiæ generi obnoxius, jam mortuus peccato, ipsum accipit Spiritus gratia ad lavacrum, et scortatorem filium Dei efficit, et eum qui in peccatis mortuus erat, vivificat. Hoc sibi vult illud, « Spiritus vivi» ficat. » Quomodo autem vivificat? Non pœnas peccatorum repetens secundum illud Prophetæ dictum, « Propi» tius ero iniquitatibus eorum et peccatis eorum, et ini» quitatum ipsorum non recordabor amplius[2]. » Interroga

[1] 1 Cor. I, 20. — [2] Jerem. XXXI, 31.

rursus Judæum, ubinam hoc factum sit in lege; sed id ostendere non possit. Nam quid ligna collegerat, lapidatus fuit, et fornicatrix comburebatur, et Moyses ob peccatum unum a terra promissionis excidit. In gratiæ autem tempore, qui mille scelera perpetrarunt, per baptismi beneficium vivificantur, nullaque expetitur scelerum pœna. Ideoque Paulus dicebat; « Nolite errare : Neque » fornicarii, neque molles, neque masculorum concubito- » res, neque adulteri, neque fures, neque avari, neque » ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei pos- » sidebunt. Et hæc quinam eratis? Sed abluti estis, sed » sanctificati estis, sed justificati estis in nomine Domini » Jesu et in spiritu Dei nostri[1]. » Vidisti-ne quam splendeat Propheticum illud : « Propitius ero iniquitatibus eorum? » Quam fulgeat Apostolicum illud, « Spiritus vivificat? » Vis aliud discere, Apostolum nempe Paulum loquentem : quomodo ille brevi tempore orbem pene totum peragravit, audi illum dicentem : « Ita ut ab Jerusalem ad Illyricum » repleverim Evangelium[2]. » Et rursum : « Nunc vero ul- » terius locum non habens in his regionibus, cupiditatem » autem habens videndi vos, cum in Hispaniam proficisci » cœpero, spero me videre vos, si vobis primum ex parte » fruitus fuero. » Quod si Apostolus unus tam brevi tempore majorem orbis partem percurrit, cogita quomodo alii orbem totum quasi sagena ceperunt. Quapropter dicebat, « Evan- » gelii quod prædicatum est in omni creatura quæ sub cœlo » est, » propheticum illud interpretans : « Quia omnes » scient me a minori usque ad magnum. » Sed quod Christus legem dederit hinc palam est : et quod Macchabæi pro lege jugulati, pro legislatore sanguinem fuderint, hoc quoque manifestum. De cætero charitatem vestram rogo, ut cum alacritate multa ad festum accedatis, sicut apes

[1] 1 Cor. VI, 9. — [2] Rom. XV, 19-23,

ab alvearibus exilite ad Martyrum vulnera, eorumque cruciatus complectimini, nihil curantes viæ longitudinem. Nam si Eleazarus senex ignem ausus est aggredi, et si beatorum horum mater in extrema senectute tantos passa est dolores, quam defensionem, quam veniam habebitis, si nec pauca stadia percurratis ad illa conspicienda certamina?...

Reliqua paucissima, ut videtur, desiderantur.

HOMILIA I

De laudibus sancti Pauli apostoli.

Nihil prorsus erraverit[1], qui pratum insigne quoddam virtutum, et paradisum spiritalem Pauli animum nuncupaverit : tam multa enim gratia floruit, tamque huic gratiæ congruente vitæ perfectione resplenduit : quoniam enim vas electionis effectus est, et bene se ipsum emendare curavit, largissime in eum sancti Spiritus munus effusum est. Unde et mirabiles nobis fluvios genuit, non secundum paradisi fontes quatuor tantum, sed multo etiam plures et quotidie fluentes : nec terram rigantes, sed animas hominum ad producenda virtutum germina suscitantes. Quis ergo ad explicanda virtutum germina sensus? quis ad explicanda istius merita sermo sufficiet? Quæ autem lingua laudibus ejus invenietur æqualis, cum omnia quæ sunt in hominibus bona, una anima possideat, et ea cuncta plene atque cumulate, quæ non solum hominum

[1] Vide D. Guillon, tom. XVI, p. 452-457.

sunt, sed, quod amplius est, Angelorum? Nequaquam ergo possumus ejus explicare præconia, nec tamen idcirco reticebimus, quin potius propterea dicemus. Est enim hoc maximum laudis genus, cum orationis copiam virtus exuperat, et magnitudo laudati : sicque vinci nobis est multo gloriosius, quam sæpe vicisse. Unde igitur opportunius laudum ejus sumemus exordium? Unde, inquam, incipiemus aliunde, nisi ab hoc ipso primum, ut ostendamus eum bona omnium possidentem? Sive enim Prophetæ potentius aliquid in se ostenderint, magisque mirabile, sive Patriarchæ, sive justi, sive Apostoli, sive Martyres, hæc omnia simul colligens Paulus habet cum tanto cumulo, cum quanto nullus eorum bonum, quo excellebat, implevit. Hoc itaque diligentius intuere. Abel obtulit sacrificium, et inde laudatur[1] : sed si Pauli hostiam adducamus in medium, quantum cœlum terra, superior apparebit. Quam ergo vultis ut memorem? Non enim una tantum est : siquidem semetipsum per dies singulos immolabat : quam tamen rursus hostiam dupliciter offerebat, cum quotidie moriens, tum corpori suo mortificationem sine intermissione circumferens. Nam et ad pericula jugiter parabatur, consummans voluntate martyrium, et naturam in se mortificando carnis, nihil minus quam immolatæ Deo hostiæ munus implebat, imo etiam multo amplius. Non enim oves offerebat, aut boves, sed semetipsum per dies singulos dupliciter, ut diximus, immolabat : propter quod confitendo[2] dicebat : « Ego enim jam immolor[3], » sanguinem utique suum immolationem vocans. Neque vero his tantum sacrificiis contentus fuit, sed quia se ipsum consecraverat Deo, etiam orbem universum studuit offerre : qui terram videlicet ac mare, Græciam, simulque Barbariam, omnemque prorsus, quanta est sub cœlo, re-

[1] Gen. IV, 4. — [2] Confidendo. — [3] 2 Tim. IV, 6.

gionem, quasi volitans circumivit, non simplici labore, veluti in vacuum itinera percurrens : sed peccatorum spinas pariter evellens, et verbum seminans ubique pietatis, fugans errores, veritatem reducens, ex hominibus Angelos faciens : quinimo ipsos homines quasi ex dæmonibus in Angelos provehens. Propter quod jam hinc post sudores plurimos, ac tropæa innumerabilia transiturus, pro discipulorum consolatione dicebat : « Sed et si immolor super » sacrificium et obsequium fidei vestræ, gaudeo, et con» gratulor omnibus vobis : propter quod et vos gaudete, » et congratulamini mihi[1]. » Quidnam igitur huic hostiæ reperitur æquale, quam Paulus stricto sancti Spiritus gladio immolavit, quamque in illo altari obtulit, quod supra cœlos locatum est[2]? Sed Abel dolo germani percussus occubuit : atque hinc effectus est clarior. At ego innumeras tibi ostendam mortes, tot utique, quot etiam dies beatus iste in prædicatione vixit. Si vero eam quoque vis nosse mortem, quæ novissime etiam rebus impleta est : Abel quidem a fratre, ut nihil a se læso, ita nullis affecto beneficiis interemptus est : Paulus vero ab eis interfectus est, quos innumeris malis cupiebat eripere, et propter quos sustinuit universa quæ passus est. Sed Noë justus in generatione sua, atque perfectus, et solus erat talis in cunctis[3] : sed et Paulus solus inter omnes talis inventus. Et ille quidem tantummodo legitur se servasse cum liberis; hic autem multo sæviore mundum inundante diluvio, non arcam coaptando compagibus tabularum, sed Epistolas componendo, non duos vel tres aut quinque cognatos, sed universum prorsus orbem mergi periclitantem ex mediis fluctibus liberavit. Nec vero hæc erat talis arca, ut uno circumferretur loco, quæ utique orbis terrarum terminos comprehendit. Nam usque nunc omnes in hanc arcam

1 Philip. II, 17. — 2 Gen. IV. — 3 Id. VI.

Paulus inducit, quam certe capacem salvandæ multitudinis præparavit, quæ suscipiens irrationalibus pene animalibus stultiores, imitatores efficit Angelorum. Et hinc quoque illam vicit arcam, quia illa quidem corvum recipiens, corvum rursus emisit[1], et includens lupum, feritatem ejus mutare non potuit (5) : hæc vero non ita, sed acceptos lupos oves reddidit, accipitres milvosque suscipiens fecit columbas, et excludens omnem irrationalitatem atque ferocitatem, mansuetudinem spiritus introduxit : manetque hodie hæc arca navigans, nec tamen aliquando dissolvitur, nec valet tabulas ejus ulla malitiæ laxare tempestas : quin potius ipsa tempestatis motus navigando compescit, quod satis consequenter effectum est. Non enim bitumine aut pice, sed sancto Spiritu ejus tabulæ sunt perunctæ. Sed Abraham mirantur omnes, quia cum audisset : « Abraham, exi de terra tua, et de cognatione tua[2] : » et domum reliquit et patriam, et amicos atque cognatos, quorum omnium jacturam solo divini præcepti amore compensabat : nam et eum propterea miramur. Sed quis Paulo possit æquari? qui non modo patriam, cognatos, ac domum, sed ipsum quoque mundum reliquit : imo etiam cœlum, et cœlum cœli, et hæc omnia Christum suscipiendo despexit : unum pro cunctis et solum, id est, Christi charitatem requirens, « neque præsentia, inquit, » neque futura, neque altitudo, neque profundum, » neque alia creatura poterit nos separare a charitate » Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro[3]. » Sed Abraham se ipsum in periculum tradens, hostibus filium fratris eripuit : at Paulus non fratris filium, neque tres aut quinque urbes, sed orbem universum de diaboli extorsit manu, innumerabilia per dies singulos pericula sustinendo, propriisque mortibus maximam securitatem

[1] Gen. VIII. — [2] Id. XII, 1. — [3] Rom. VIII, 35.

aliis comparando. Caput bonorum ejusque culmen philosophiæ est, quod filium voluit immolare : hic quoque inveniemus Paulum primatum tenentem, qui non filium, sed semetipsum, ut dixi, millies immolavit. In Isaac quidem aliquis admiratur, et alia quidem plurima, sed præcipue patientiam : quoniam puteos fodiens, et propriis exagitatus laboribus[1], minime resistebat[2]: sed factos a se puteos obrui patiebatur, atque ad alium semper migrabat locum. Neque collecta suorum manu in adversarios irruebat, sed propria possessione ubique cedebat, quoadusque iniquissimam illorum expleret cupiditatem. At Paulus non puteos cernens lapidibus obrutos, sed proprium corpus, non solum sicut ille cedebat, sed etiam eos a quibus lapidabatur, in cœlum studebat evehere. Quanto enim amplius obruebatur fons iste, tanto erumpebat magis, ac plures ex se fluvios effundendo, manabat. De longanimitate ac patientia hujus filium Jacob admiratur Scriptura. Et quænam illa est tam adamantina prorsus anima, quæ Pauli patientiam possit imitari? Neque enim bis septem annorum, sed totius vitæ servitium pro sponsa pertulit Christi, non adustus solum æstu diei, et noctis gelu, sed tentationes mille perpetiens : et nunc quidem verberibus, nunc vero lapidibus scissus atque collisus, et nunc quidem cum bestiis, modo autem fluctibus pugnans : modo etiam nimiæ atque continuæ reluctans fami diebus atque noctibus, et inter certamina ubique prosiliens, captas oves ex diaboli faucibus extrahebat[3]. Sed et Joseph pudicitiæ virtute decoratus est[4] : at ego vereor ne jam ridiculum sit hic Paulum velle laudare, qui semetipsum mundo crucifigens[5], non solum humanorum corporum pulchritudines, sed omnia etiam, quæ videntur in rebus clara atque decora,

[1] Exactus finibus. — [2] Gen. xxvi. — [3] 2 Cor. xi. — [4] Gen. xxxix. — [5] Galat. vi.

ita cernebat, quemadmodum nos favillam, cineremque despicimus, qui quasi mortuus prorsus ad mortuum immobilis permanebat. Itaque cum tanta animi cura comprimeret incentiva vitiorum et naturæ : nihil humanum ab aliquo aliquando perpessus est. Stupent certe Job omnes homines, et valde utique convenienter. Est enim ille athleta mirabilis : et qui Paulum ipsum velut ex adverso possit aspicere ob patientiam, puritatemque vitæ, ob testimonium Dei, propter illam cum diabolo fortissimam pugnam, propter victoriam quæ pugnam secuta est : at Paulus non mensibus tantum, sed annis plurimis in agone perdurans, tam clarus emicuit, non terræ gleba saniem carnis eradens, sed in ipsius intelligibilis os leonis frequenter incurrens, et pugnans adversus tentationes innumeras, omni erat lapide tolerantior, qui non a tribus aut quatuor amicis, sed a cunctis infidelibus, a falsis etiam fratribus opprobria sustinebat, consputatus ab omnibus, atque maledictus. Sed illius erat magna hospitalitas, et cura pauperum, nec nos quidem istud negamus : sed Pauli eam liberalitate inferiorem docemus, et tanto inferiorem, quanto anima est corpus inferius. Quam enim ille curam impendebat carne debilibus, hanc iste anima morbidis exhibebat, nunc mentis sensibus claudicantes dirigendo in recti itineris incessum, nunc nuditate deformes stola cœlestis philosophiæ vestiendo. In corporalibus quoque beneficiis tanto ille superabat, quanto est amplius in fame et nuditate viventem indigentibus ferre præsidium, quam id ipsum de divitiarum affluentia ministrare. Nam illius quidem omni advenienti aperiebatur domus, hujus vero anima universo patebat orbi, ac fidelium populos benigne mentis recipiebat hospitio, dicens, « Non angustiamini in nobis, » angustiamini autem in visceribus vestris[1]. » Et ille quidem

[1] 2 Cor. VI, 12.

cum oves et boves haberet innumeras, erat in pauperes liberalis : hic vero nihil amplius corpore suo possidens, in hoc ipso sufficienter indigentibus ministrabat : quod alicubi ipse commemorans, « Necessitatibus, inquit, meis » et his qui mecum erant, ministraverunt manus istæ[1]. » Corporis enim sui operam velut ex quadam possessione fructus esurientibus deputabat. Sed vermes videlicet, atque vulnera, sævos atque intolerabiles sancto Job inferebant dolores, et ego fateor : sed si per tam multos annos Pauli verbera, et cum jugi fame etiam nuditatem, catenas, carcerem, insidias, periculaque consideres, quæ a domesticis, ab extraneis, a tyrannis, a toto postremo patiebatur orbe : addas hæc etiam his profecto amariora, id est, pro eis qui labebantur, dolores, sollicitudinem, quam pro Ecclesiis omnibus, ultionem, quam pro scandalizatis singulis perferebat, videbis quia erat omni saxo durior anima ista perpetiens, et ferrum atque adamantem superabat. Quæ enim Job corpore, hæc Paulus mente sustinuit, quem omni verme molestior de singulis quibusque labentibus mœstitia consumebat. Unde et juges lacrymarum ex eo fontes non diebus solum, sed etiam noctibus effluebant, omnique muliere parturiente vehementius affligebatur in singulis, propter quod etiam dicebat : « Filioli mei, quos iterum parturio[2]. » Quem vero jam quispiam post Job putet esse mirabilem? Mosem profecto : sed hunc etiam Paulus satis eminenti virtute transcendit, cujus quidem multa sunt alia præclara : sed caput sanctæ illius animæ atque fastigium est, quoniam pro Judæorum salute deleri elegit ex libro vitæ : sed Moses cum cæteris optavit perire, Paulus pro cæteris : non enim cum pereuntibus perire voluit, sed ut salvarentur alii, ipse de gloriæ æternitate decidere. Et ille quidem

[1] Act. xx, 34. — [2] Galat iv, 19.

Pharaoni, hic autem diabolo quotidie repugnabat. Et ille pro una tantum gente, iste vero pro universo orbe certavit, non sudore, sed sanguine vice sudoris undique profluente : cum non solum habitabiles mundi partes, verum etiam deserta ad cultum religionis adduceret, nec solum Græcorum populos, verum etiam Barbarorum. Poteram quidem et Jesum Nave, et Samuëlem, et alios Prophetas in comparationem vocare : sed ne sermonem faciam longiorem, ad ipsa eorum capita conscendam. Cum enim istis excellentior apparuerit, nulla prorsus de aliis ambiguitas relinquetur. Quinam ergo eminentiores videntur? quis post hos alius, nisi David, et Helias, et Joannes, quorum unus prioris, alter secundi est præcursor adventus? propter quod etiam nominis communione conjuncti sunt. Quid igitur in David præcipuum reperitur? sine dubio humilitas, atque erga Deum fervens amor. Et quis amplius, imo quis ita, ut anima Pauli, hæc utraque complevit? Admirandum autem in Helia ego minime reor, quia cœlum clausit, quia induxit famem, quia ignem de cœlo sermone compluit : sed quia zelavit pro Deo, erat in hoc mentis affectu, ipso igne vehementior. Sed si Pauli zelum diligenter inspicias, tanto eum invenies celsiorem, quanto ille Prophetis cæteris eminebat. Quid enim verbis illis reperiatur æquale, per quæ gloriam Domini zelando dicebat : « Quoniam optabam » ego anathema esse pro fratribus meis, qui sunt cognati » mei secundum carnem [1] ? » Propterea cœlis sibi propositis ac præmiis et coronis, tardavit ac distulit, dicens : « Permanere autem in carne necessarium est propter » vos [2]. » Propterea non solum istam, quæ cernitur, sed illam quoque quæ intelligitur creaturam, nequaquam sufficere sibi credidit ad ostendendum zelum et charitatem,

[1] Rom. IX, 3. — [2] Philip. I, 24.

qua ardebat in Christum : sed etiam aliam, quæ non est, sermone formavit, ut quod tota voluntate cupiebat exprimeret. Sed Joannes in cibum locustas et mel sylvestre sumebat[1] : at Paulus ita in mundi strepitu, quemadmodum ille in eremi quiete versatus est : non quidem pastus locustis, et melle sylvestri, sed multo his victu viliore contentus, ac ne necessario quidem indulgens cibo, præ fervore et studio prædicandi. Verum illius adversus Herodem apparuit magna constantia[2]; at iste non unum, aut duos, aut tres, sed innumeros in simili positos potestate corripuit, imo longe illo sæviores tyrannos. Restat ut Paulum jam Angelis comparemus : ideoque relinquentes terram, ad cœlorum fastigia transeamus. Sed nullus sermonis nostri accuset audaciam. Si enim Joannem et sacerdotes Dei scriptura Angelos nominavit : quid mirum, si præstantiorem omnibus Paulum illis Virtutibus conferamus? Quid ergo esse in Angelis magnificum judicamus? profecto quia cum omni cura obediunt Deo : quod David quoque admirando dicebat : « Potentes virtute, facientes » verbum illius[3]. » Huic enim bono nihil prorsus æquale est, etiamsi sint millies incorporei : hoc est enim quod maxime præstat eos beatos, quia obediunt præceptis Dei, quia eum in nullo aliquando contemnunt. Hoc igitur et in Paulo plene animadverti potest cum omni diligentia et cautione servatum. Non autem solum sermonem ejus implevit, verum etiam præcepta, supraque præcepta : hoc quippe declarans, ait : « Quæ est ergo merces mea, ut » Evangelium prædicans, sine sumptu ponam Evangelium » Dei[4]? » Quid vero aliud in Angelis Propheta miratur? « Qui facit, inquit, Angelos suos spiritus, et ministros » suos ignem urentem[5]. » Sed hoc etiam in Paulo possu-

[1] Matth. III. — [2] Id. XIV. — [3] Psal. CII, 20. — [4] I Cor. IX, 18. — [5] Psal. CIII, 4.

mus invenire, qui velut ignis ac spiritus totum terrarum percurrit orbem, percurrendoque purgavit. Sed necdum cœlum iste sortitus est? et hoc omnino mirabile : quia talis versabatur in terris, et mortali adhuc carne circumdatus, cum incorporalium potestatum virtute certabat. Quanta ergo sumus condemnatione digni, cum uno homine bona omnia in se congregante, ne minimam quidem eorum partem studemus imitari? Hæc assidue mente volventes, et nos ipsos inculpabiles præbeamus, et ad illius zelum studeamus accedere, ut ad eadem bona pervenire mereamur, gratia et misericordia Domini nostri Jesu Christi, cui est gloria et imperium in; æcula sæculorum. Amen.

HOMILIA II

De laudibus sancti Pauli apostoli.

Quid sit homo, et quanta naturæ nostræ nobilitas[1], quantæque capax virtutis hoc sit animal, vel præcipue ex omnibus Paulus ostendit, qui nunc stetit adversus criminationes humanæ creaturæ, clarissima pro domino voce respondens, cohortans ad studia virtutis, et impudentissima blasphemantium ora concludens : docens quoque quod inter Angelos hominesque non grande sit medium, si tamen nos ipsos diligentius excolamus. Non enim aliam ille est sortitus naturam, nec dissimilem nactus animam, neque alterum habitans mundum, sed in eadem terra, eademque regione sub eisdem etiam legibus nutritus et moribus,

[1] Vide D. Guillon, tom. xvi, p. 497-504.

cunctos qui vel nunc sunt homines, vel fuerunt, altius virtute transcendit. Ubi igitur illi nunc sunt qui vitia in proclivi, virtutem in arduo collocarunt? Hic enim palam illis repugnat, dicens : « Quod enim in præsenti momentaneum est ac leve tribulationis nostræ supra modum in » sublimitate æternum in nobis gloriæ pondus operatur[1]. » Si autem hujusmodi tribulationes inveniuntur leves, quanto magis hæ quæ sunt in nobis voluptates? Neque vero hoc solum in illo mirabile est, quod præ abundantia devotionis quodammodo non sensit dolores pro virtute susceptos : sed etiam quod virtutem ipsam pro mercede non suscepit. Nam nos equidem pro ea nec proposita mercede certamus, quam ille complectens etiam sine præmio diligebat, cuncta illa quæ asperitate sui videntur impedire virtutem, cum omni magnanimitate perpetiens : qui neque infirmitatem corporis, neque multitudinem circumstantium undique negotiorum, neque tyrannidem naturæ, neque quidquam aliud omnino causatus est : cum utique major illi, quam cunctis et militiæ principibus, et regibus terræ esset cura commissa. Sed quotidie celsior, quotidie assurgebat ardentior, et intentis sibi periculis nova semper alacritate pugnabat, idque significans dicebat : « Eorum quæ retro obliviscens, in ea vero quæ priora sunt » extendens me[2], » qui cum sibi jam mortem imminentem videret, ad communionem, delectationemque gaudii alios provocabat, dicens : « Gaudete, et congratulamini mihi[3] : » ac periculis, injuriis, opprobriisque propositis, rursus exultat, et Corinthiis scribens, ait : « Placeo mihi in infirmitatibus, in contumeliis, in persecutionibus[4]. » Cum utique hæc ipsa esse diceret arma justitiæ, ostendens hinc sibi fructum maximum provenire. Itaque cum inter medias inimicorum versaretur insidias, ovans tamen de omni

[1] 2 Cor. IV, 17. — [2] Philip. III, 13. — [3] Id. II, 18. — [4] 2 Cor. XII, 10.

eorum referebat impugnatione victorias, et ubique cæsus verberibus, affectus injuriis atque maledictis, quasi triumphales pompas ageret, crebra tropæa strueret, gloriabatur, gratiasque referebat Deo, dicens : « Deo autem » gratias, qui semper triumphat nos[1]. » Itaque ad confusionem et injurias, quas ob prædicandi studium sustinebat, magis quam nos ad honorum oblectamenta properabat, mortem potius, quam nos vitam appetens : paupertatem, quam opulentiam : et multo amplius laborem desiderans, quam alii requiem post laborem : ac mœrorem magis eligens, quam alii voluptatem : studiosius pro inimicis orans, quam alii adversus inimicos. Converterat enim ordinem rerum : imo nos eum vere pervertimus. Ab illo autem sic custoditus est, quemadmodum a Deo fuerat institutus. Illa enim omnia quæ appetebantur a Paulo, naturæ congrua : hæc vero, quæ idem ille fugiebat, contraria judicantur. Unde istud probari potest? Homo enim cum esset Paulus, ad illa tamen magis, quam ad ista currebat. Unum enim illi formidandum erat, atque metuendum, offensa nimirum Dei, nec quidquam aliud omnino. Ergo nec desiderabile illi aliud erat, nisi placere semper Deo. Non dico quia nihil præsentium desiderabat, sed nec ipsorum aliquid futurorum. Non enim mihi dicas urbes et gentes, exercitus, provincias, pecunias, potestates : hæc enim ille aranearum fila reputavit : sed ea ipsa pone, quæ promittuntur in cœlis, et tunc ejus ardentem in Christo amorem videbis. Hic siquidem præ illius dulcedine, non Angelorum, non Archangelorum admiratus est dignitatem, nec quidquam horum simile concupivit. Quod enim erat majus omnibus, Christi amore fruebatur, cum hoc beatiorem se cunctis putabat; sine hoc autem neque dominatuum, neque principatuum socius

[1] 2 Cor. II, 14.

esse cupiebat : sed cum hac dilectione magis esse extremus optabat, imo etiam ex numero punitorum, quam sine hac inter summos, et honore sublimes. Hoc enim erat illi maximum et singulare tormentum, ab hac charitate discedere : hæc illi erat gehenna, hæc sola pœna, hæc infinita et intoleranda supplicia. Sicut etiam perfrui charitate Christi, hoc illi vita, hoc mundus, hoc Angelus, hoc præsentia, hoc futura, hoc regnum, hoc promissio, hoc bona videbatur innumera : præter hæc vero nihil in tristium parte ponebat. Horum enim quæ hic habentur, nihil asperum, nihil etiam suave reputabat. Sic despiciebat universa quæ cernimus, ut solet herba jam putrefacta contemni. Tyrannos vero ipsos, ac populos spirantes furorem, velut quosdam esse culices existimabat. Mortem vero et cruciatus et mille supplicia, quasi ludum putabat esse puerorum, dummodo propter Christum aliquid sustineret. Tunc enim ipsa amplectebatur libenter, et decorabatur vinctus catena magis, quam Nero diademate coronatus. Etenim coarctatus carcere habitabat cœlum, ac libentius verbera excipiebat et vulnera, quam alii bravia diripiunt : et dolores non minus, quam præmia diligebat, cum ipsos utique dolores loco duceret præmiorum : propterea enim illos et gratiam nominabat. Quem sensum diligenter expende : præmium certe erat dissolvi, et esse cum Christo : permanere autem in carne, certamen[1] : sed tamen propter Christi desiderium præmia differebat cupiditate certaminis, idque magis necessarium esse ducebat. E regione vero anathema a Christo fieri certamen erat et dolor, magis autem et supra certamen, supraque omnem dolorem. At vero esse cum Christo erat præmium singulare : Paulus tamen propter Christum illud maluit, quam istud eligere. Sed profecto dicat hic aliquis,

[1] Philip. I.

quoniam hæc omnia propter Christum suavia esse dicebat; hoc plane etiam ipse confiteor, quoniam quæ nobis sunt causa tristitiæ, hæc illi pariebant maximam voluptatem. Et quid ego pericula, ærumnasque commemoro? In mœrore enim maximo ille versabatur, propter quod dicebat : « Quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scan- » dalizatur, et ego in uror[1] ? » Etsi in mœrore dicat quoque quis inesse aliquam voluptatem : multi enim illorum qui filiorum mortibus vulnerantur, aliquid consolationis accipiunt, si cum suis fletibus relinquuntur; magisque dolent, cum dolere prohibentur. Sic igitur et Paulus nocte et die consolationem excipiebat ex lacrymis : nullus siquidem tanto affectu mala propria, quam ille deflebat aliena. Quemadmodum enim illum opinaris afflictum, cum perditionem Judæorum dolet, qui ut illi salvi fierent, se ipsum a cœlorum gloria cupiebat excludi? Et inde hoc manifestum est, quia scilicet non salvari illos acerbius æstimabat, quam se ipsum perire[2] : aut si non acerbius, nunquam aliud optasset : quod utique quasi tolerabilius elegit. Qui cum certe spe maxima futuri præmii pasceretur, non perfunctorie illud optabat, sed clamabat dicens : « Quoniam tristitia est mihi magna, et con- » tinuus dolor cordi meo[3]. » Hunc ergo de singulis, ut ita dixerim, habitatoribus mundi tam vehementer dolentem, et in commune pro cunctis, et gentibus et urbibus, pro unoquoque peculiariter lamentantem, cuinam rerum aliquis poterit comparare, cui ferro, cui adamanti? Quidnam aliquis illam appellet animam, auream-ne magis, an adamantinam? Nam et erat omni adamante fortior, et auro gemmisque pretiosior : et alteram quidem materiam firmitate, alteram vero pretiositate superabat. Cui ergo rei hæc ab aliquo anima comparetur? Earum quidem quæ

[1] 2 Cor. xi, 29.— [2] Rom. ix, 3.— [3] Ibid. 2.

sunt omnino nulli. Quod si vel auro adamantis fortitudo, vel adamanti honor daretur auri, tum forte aliquo modo comparatio ejus Pauli posset animæ convenire. Sed quid ego adamantem, vel aurum ad similitudinem adduco Pauli? mundum? si e diverso appendas omnem, tunc videbis aperte Pauli vergere pondus examinis. Si enim de iis qui in melotis et specubus, et in exigua orbis parte versabantur, hoc dictum est[1]: quanto magis nos dicemus Paulum mundo, et omnibus quæ in mundo sunt digniorem? Si igitur eo mundus dignus non est, sit forte vel cœlum; sed istud quoque invenitur inferius. Si enim iste non solum cœlum, sed quæ habentur in cœlis Dei postposuit charitati: quomodo non magis Dominus, qui tanto est benignior Paulo, quanto malitiam bonitas antecellit, innumeris eum cœlis judicat digniorem? Non enim quantum nos diligit Deus, tantum a nobis diligitur ipse: sed tanto effusius, quantum nec sermo quidem sufficit explicare. Consideremus ergo quantis illum honoribus etiam ante tempus resurrectionis extulerit. In paradisum rapuit, et in cœlum tertium sublevavit, ineffabilis arcani fecit esse participem, taliumque mysteriorum conscium, quæ nulli hominum fas fuerit confiteri[2]. Nec immerito: siquidem Paulus in terra gradiens, sic se agebat in cunctis, quasi Angelorum societate frueretur. Nam passibili adhuc colligatus corpori, illorum perfectione gaudebat, tantisque fragilitatibus subditus, in nullo inferior supernis Virtutibus apparere certabat. Nam et tanquam pennatus totum docendo pervolavit orbem, et velut incorporeus labores omnes periculaque contempsit, et quasi jam cœlum possidens, cuncta prorsus terrena despexit, et tanquam cum ipsis jam incorporeis Virtutibus degeret, ita jugi mentis intentione vigilavit. Et Angelis quidem sæpe diversarum gentium cura commissa

[1] Hebr. x, 38. — [2] 2 Cor. xii.

est, sed nullus illorum ita creditum sibi populum gubernavit ut Paulus universum gubernavit orbem. Neque vero dicas, quia hæc non perficiebantur a Paulo. Hoc enim nos fatemur. Sed etsi ipse non erat qui cuncta complebat, nequaquam tamen ab eorum operum laudibus separabatur: quia utique dignum tantæ se gratiæ præparavit, per quam tam magnifica et gloriosa perficeret. Michaëli gens commissa est Judæorum : Paulo vero terra, ac maria atque universi orbis habitatio, ipsumque desertum, et hoc non ad injuriam, quod absit, Angelorum; sed ostendimus esse possibile illis hominem copulari, juxtaque illorum merita consistere. Cujus autem rei gratia, non Angelis potius hæc prædicationis cura commissa est? Ut nullum scilicet excusationis colorem de se inveniret anima negligens, ac ne tu ad diversitatem naturæ confugeres dormiendo. Deinde ut tanto etiam major operum admiratio nasceretur, quanto de natura inferiore procederent. Quomodo enim non admirabile hoc atque improvisum videretur, cum ex terrena lingua sermo prosiliens, mortem fugat, peccata dissolvit, tenebras cæcitatis illuminat, et mutatione mirifica terram convertit in cœlum? Propter hoc igitur stupeo virtutem Dei, propter hoc admiror promptum animum Pauli, quomodo se talem studuit exhibere, quomodo se tantæ gratiæ capacem paravit. Vos autem rogo, ut non miremini solum, verum etiam imitemini hoc tam clarum virtutis exemplum : sic namque poterimus coronarum ejus esse participes. Quod si aliquis nos dixisse miratur, quia quicumque habuerit Pauli merita, eadem sit etiam habiturus præmia, ipsum audiat ita dicentem : « Certamen, inquit, bonum certavi, cursum consummavi, fidem servavi; de cætero reposita est mihi corona » justitiæ, quam reddet mihi Dominus in die illa justus » judex, non solum autem mihi, sed et iis qui diligunt

» adventum ejus[1]. » Vides certe quomodo cunctos in eamdem gloriæ communionem vocet? Quia igitur omnibus eadem corona gloriæ proposita est, studeamus omnes esse digni illis bonis, quæ promissa sunt, inveniri. Neque solum magnitudem atque eminentiam in illo debemus considerare virtutum et promptum illud animi ejus, atque robustum propositum, per quod ad tantam meruit gratiam pervenire : sed et naturæ societatem, per quam et nobis in cunctis ille participat : et sic etiam quæ valde sunt ardua, nobis facilia videbuntur et levia, brevique hoc tempore laborantes incorruptibilem illam gestabimus atque immortalem coronam, gratia et misericordia Domini nostri Jesu Christi, cui est gloria, et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA III

De laudibus sancti Pauli apostoli.

Beatus Paulus[2], qui tantam vim humanæ alacritatis ostendit, ut ad cœlum quoque ipsum valeret subvolare, prætermittens Angelos et Archangelos, aliasque Virtutes, aliquando quidem suo exemplo Christi nos fieri imitatores jubet, dicendo : « Imitatores mei estote, sicut et ego » Christi[3] : » aliquando vero de se reticens, ad ipsius nos imitationem Dei extendit, dicens : « Estote ergo imitatores » Dei, sicut filii charissimi[4]. » Jam vero demonstrans, quia nihil ita hanc imitationem pariat, quam si ita vivat aliquis,

[1] 2 Tim. IV, 7. — [2] Vide D. Guillon, tome XVI, p. 504-510. — [3] 1 Cor. XI, 1. — [4] Ephes. V, 1.

ut bonum ejus in commune proficiat, atque universis utiliora provideat, adjunxit: « Ambulate in charitate[1] : » ideo cum dixisset, « Imitatores mei estote ; » continuo de charitate disseruit, quia hæc præcipue virtus homines Deo proximos facit. Quantæcumque enim sint aliæ inferiorem tenentes locum, cunctæ erga hominum studia versantur, ut est pugna contra concupiscentiam, ut quod adversus gulam geritur bellum, ut in avaritiæ interitum acies ordinata, ut cum iracundiæ furore conflictus : diligere vero nobis Deoque commune est. Propterea et Dominus imperabat, « Orate pro calumniantibus et persequentibus vos, » ut sitis filii patris vestri, qui in cœlis est[2]. » Hoc igitur et Paulus intelligens cunctorum esse caput bonorum, omni in se studio exprimere curavit. Nemo enim ita dilexit inimicos, nemo erga insidiatores suos tam beneficus fuit, nullus pro afflictoribus suis tanta perpessus est. Non enim ille, quid patiebatur, sed naturæ copulam cogitabat, quantoque amplius efferebantur inimici, tanto eorum magis miserabatur insaniam. Ut enim aliquis indulgentissimus pater afficitur erga filium phrenesi comprehensum, cujus quanto magis conviciis ictibusque pulsatur, tanto eum potius miseratur atque deflet : ita Paulus qui de ipsa magnitudine passionum eorum, a quibus affligebatur, existimaret furorem, majora illis adhibebat fomenta pietatis, Audi igitur quam patienter, quam mansuete nobis pro illis loquatur, qui eum quinquies verberaverant, qui eum[3] catenis oneraverant, qui vinculis sæpe constrinxerant, qui ejus ipsum sitiebant cruorem, quique illum quotidie discerpere gestiebant. « Testimonium, inquit, illis perhibeo, » quoniam æmulationem Dei habent, sed non secundum » scientiam[4]. » Et rursus eos, qui se supra illos superbius

[1] Ephes. v, 1. — [2] Matth. v, 44. — [3] *Gr.* lapidaverant. — [4] Rom. x, 2.

efferebant, refrænans : « Noli ait, altum sapere, sed time : » si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne forte » nec tibi parcat[1]. » Quia enim cognoverat dominicam in illos jam processisse sententiam, quod unum et solum erat in sua potestate præstabat. Sæpe lacrymabatur vehementer, et pro filiis dolebat : volentes illis insultare prohibebat, atque in quantum poterat, laborabat umbram eis aliquam excusationis obtendere. Et quia propter contumaciam eorum atque duritiam, persuadere illis fidem sermone non poterat, ad orationes convertebatur assiduas. « Fratres, » inquit, voluntas quidem cordis mei, et obsecratio ad » Deum fit pro illis in salutem[2]. » Spe quoque meliore illos sollicitat, dicens : « Sine pœnitentia enim sunt dona et vo- » catio Dei, » ut non pertinacius usque ad finem desperatione moriantur. Quæ utique omnia sunt verba amantis, et valde eorum utilitatibus providentis : ut cum dicit, « Ve- » niet ex Sion qui eripiat et avertat impietates ab Jacob[3]. » Mordebatur enim vehementer, ac penitus dissecabatur, cum eos pereuntes videret, propter quod et multa solatia huic adhibebat dolori, aliquando quidem dicens : « Veniet » ex Sion, qui eripiat et avertat impietates ab Jacob[4] : » aliquando vero, « Et isti non crediderunt in vestram mise- » ricordiam, ut et ipsi misericordiam consequantur[5]. » Facit autem hoc etiam Jeremias, vim quamdam inferens, atque contendens excusationem aliquam pro delinquentibus invenire, et nunc quidem dicens : « Si peccata nostra » restiterunt nobis, fac propter te[6] » : et rursus, « Non est » in homine via ejus, nec homo ibit, et diriget iter suum[7] : » et rursus, « Memento quoniam pulvis sumus[8]. » Mos etenim est omnino celeberrimus, ut ii, qui pro delinquentibus deprecantur, et si nihil idoneum afferant ad rogandum,

[1] Rom. XI, 20. — [2] Id. X, 1. — [3] Isaï. LIX, 20. — [4] Rom. XI, 26. — [5] Ibid. 31. — [6] Jerem. XIV, 7. — [7] Id. X, 23. — [8] Psal. CII, 14.

saltem umbram quamdam excusationis pro eis opponant, non certa verborum proprietate munitam, nec quæ trahi possit in dogmata, sed quæ pro pereuntibus tantummodo consoletur dolentem. Non ergo hujusmodi excusationes scrupulosius ponderemus, sed intelligamus esse illas dolentis animæ, et dicere aliquid pro peccatoribus requirentis, juxtaque hunc modum hæc quæ superius dicta sunt, censeamus. Putas autem, quia erga solos Judæos talis exstiterit, ad alios vero, vel domesticos, vel extraneos, non se multo etiam præbuerit mitiorem? « [His autem[1], inquit, qui » sine lege erant, factus sum quasi sine lege essem, ut » omnes lucrifacerem[2]] » Audi igitur quid ad Timotheum sit locutus : « Servum, inquit, Dei non oportet litigare : » sed mansuetum esse ad omnes, doctorem, patientem, » cum modestia corripientem eos qui resistunt, si quando » det illis Deus pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, » ut resipiscant a diaboli laqueis, a quo capti tenentur ad » ipsius voluntatem[3]. » Vis autem probare, quam modeste etiam cum illis loquatur, qui in peccata corruerant? audi quid Corinthiis dixerit : « Timeo, inquit, ne forte cum ve» nero, non quales volo inveniam vos[4] ; » et paulo post, « Ne cum iterum venero, humiliet me Deus apud vos, et » lugeam multos ex his qui ante peccaverunt, et non ege» runt pœnitentiam super immunditia et fornicatione, et » impudicitia, quam gesserunt : » et ad Galatas, « Filioli, » inquit, mei, quos iterum parturio, donec Christus for» metur in vobis[5]. » Et in causa ejus, qui fuerat fornicatus, non minus eo ipso, qui pro peccato suo lamentabatur, dolet, proque illo alios deprecatur, dicens : « Confirmate » in illum charitatem[6]. » Sed etiam quando illum ab Ec-

[1] Quæ uncinis clauduntur, non exprimuntur in Græco. — [2] 1 Cor. IX. — [3] 2 Tim. II, 24. — [4] 1 Cor. XII, 20. — [5] Galat. IV, 19. — [6] 2 Cor. II, 8.

clesiæ corpore separabat, cum multis hoc lacrymis, gemituque faciebat. « Ex multa, inquit, tribulatione et angustia » cordis scripsi vobis per multas lacrymas, non ut contristemini, sed ut sciatis, quoniam charitatem habeam abundantius in vos[1] : » et rursus, « Factus sum Judæis tanquam » Judæus, his qui sub lege erant, quasi sub lege essem, » factus sum infirmus infirmis, omnibus omnia factus sum, » ut omnes salvos facerem[2]. » Et alibi rursus : « Ut exhi- » beam omnem hominem perfectum in Christo Jesu[3]. » Vidistine animam omnia terrena superantem? Omnem enim prorsus hominem Deo exhibere cupiebat, et omnes quantum ad ipsum spectat exhibuit : quasi enim universum mundum genuisset, sic perturbabatur, sic currebat, sic omnes in regnum Dei festinabat inducere, sanando, docendo, pollicendo, meditando, tum orando pro ipsis, tum etiam ipsis supplicando, et terrendo, et dæmones corruptores animarum fugando, aliquando epistolis, aliquando præsentia, nunc sermone, nunc rebus : per discipulos, per semetipsum conabatur erigere labantes, stantes vero firmare, humi jacentes attollere, sanare contritos, torpentes oleo exhortationis animare : inimicis insonare terribiliter, hostes minaciter intueri, instar optimi cujusdam ducis, ac medici artis suæ instrumenta gestantis, protector ipse bellantium, ipse sedulus ægrotorum minister, et unus omnium officiorum personas gerebat, exercitum ubique custodiens. Nec in spiritualibus solum[4] tam egregium conservabat ducem, sed in carnalibus quoque plurima sollicitudinis, ac providentiæ suæ documenta præstabat. Audi itaque quemadmodum pro una etiam muliere ad universum scribat populum, dicens : « Commendo autem vobis » Phœben sororem nostram, quæ est in ministerio Eccle-

[1] 2 Cor. II, 8. — [2] 1 Cor. IX, 20. — [3] Coloss. I, 28. — [4] *Gr.* providentiam exhibebat suam.

» siæ, quæ est Cenchreis, ut eam suscipiatis in Domino » digne sanctis, et assistatis ei, in quocumque negotio vestri » indiguerit[1] : » et iterum, « Nostis, ait, domum Stephanæ, » ut et vos subditi sitis ejusmodi[2] : » et rursus, « Cognoscite » qui hujusmodi sunt. » Est enim hoc quoque proprium, et familiare in dilectione sanctorum, ut in his quoque succurrant. Sic enim et Elisæus mulierem illam susceptricem suam, non spiritualibus solum, verum etiam carnalibus beneficiis remunerat, propter quod cum multa sollicitudine curaque dicebat : « Non est tibi sermo ad regem, » vel ad principem[3]. » Et quid mirum, si commendationes per litteras præstitit Paulus, qui ad se aliquos revocans, nec de viatico illorum curam gerere dedignatus est, idque ipsum in Epistola sua scribere? Siquidem scribens Tito ait : « Zenam legis peritum, et Apollo sollicite præmitte, » ut nihil illis desit[4]. » Qui commendans aliquos tam studiose scripsit atque sollicite, multo magis sicubi vidisset periclitantes, cuncta fecisset. Ad Philemonem quoque propter Onesimum scribens, vide quam omne impendebat studium, quam intente ac sollicite deprecetur. Qui autem pro uno servulo maxime fugitivo, et qui ex rebus domini multa subtraxerat, integram, omnique affectu plenam Epistolam sine cunctatione composuit, qualis circa alios fuerit perpende. Unum enim hoc ille pudore dignum putavit, aliquid scilicet pro cujuslibet salute negligere. Propter hoc agebat omnia, et commovebat : nec omnino quidquam pro iis, qui salvandi erant, cunctabatur impendere, non verba, non pecunias, non denique corpus ipsum. Qui enim millies se ipsum tradiderat in mortem, multo magis si habuisset, nec pecuniis pepercisset. Et quid dico si habuisset, cum probare possim, non pepercisse eum pecu-

[1] Rom. XVI, 1. — [2] 1 Cor. XVI, 15 et 18. — [3] 4 Reg. IV, 13. — [4] Tit. III, 13.

niis, etiam nihil habentem? Et ne ambiguum putetur esse quod dicimus, audi ipsum rursus loquentem: « Quoniam, » inquit, libenter impendam, et superimpendar ipse pro » animabus vestris[1]: » Et[2] ad Ephesios scribens ait: « Ipsi » scitis, quoniam necessitatibus meis, et his qui mecum » erant, ministraverunt manus istæ[3]. » Cum vero celsus in omnium consisteret arce virtutum, omnem tamen flammam præcipuo charitatis ardore vincebat. Ut enim missum in ignem ferrum, totum profecto ignis efficitur: sic Paulus charitate succensus, totus factus est charitas, qui quasi communis totius mundi esset pater, ita in amore omnium ipsos eorum imitabatur parentes: imo cunctos, non carnales tantummodo, verum etiam spiritales patres sollicitudine ac pietate superabat: et pecunias, et verba, et corpus, et animam pro iis, quos diligebat, impendens. Propter hoc itaque charitatem etiam plenitudinem legis vocabat, et vinculum perfectionis, et omnium matrem bonorum, et initium finemque virtutum: propterea que dicebat: « Finis autem præcepti est charitas de corde puro, » et conscientia bona[4]: » et rursus; « Non adulterabis, non » occides, et si quod aliud est mandatum, in hoc verbo » instauratur: Diliges proximum tuum sicut te ipsum[5]. » Quia igitur et initium, et finis, et bona omnino universa dilectio est, vel in ipsa studeamus Paulum imitari: etenim hic illius ope talis effectus est. Non enim proponas mihi mortuos, quos sæpius suscitavit: neque leprosos, quos eadem virtute mundavit: nihil horum requirit a te Deus. Posside charitatem Pauli, et perfectam adipisceris coronam. Cujus vero ista sententia est? Ipsius nutritoris utique charitatis, qui eam et mirabilibus, et signis, et aliis bonis mille præposuit. Quia enim eam ipse abunde, ac vehemen-

[1] 2 Cor. XII, 15. — [2] *Gr.* et Ephesios alloquens. — [3] Act. XX, 34. — [4] 1 Tim. I, 5. — [5] Rom. XIII, 9.

ter impleverat, idcirco etiam acrius, atque examinatius vim ejus intelligit. Per ipsam etenim ille ad tam celsum perfectionis culmen ascendit, nihilque eum ita dignum Deo, ut virtus præstitit charitatis : et ideo dicebat : « Imi» tamini dona meliora, et adhuc excellentiorem viam vobis » demonstro[1], » charitatem profecto optimam viam plenissimamque pronuntians. In hac igitur etiam nos jugiter ambulemus, ut et Paulum, imo et dominum Pauli videre mereamur, et incorruptibiles consequamur coronas, gratia et misericordia Domini nostri Jesu Christi, cui est gloria et imperium, in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA IV

De laudibus sancti Pauli Apostoli.

Beatus Paulus[2], qui nos hodie congregavit, quique terrarum etiam illuminavit orbem, vocationis suæ tempore aliquando cæcatus est : sed illius cæcitas illuminatio totius orbis effecta est. Quoniam enim videbat male, bene eum excæcavit Deus, ut utiliter jam videret in reliquum. Simul enim et documentum ei virtutis suæ præbuit, et in passione ejus figuravit futura, et modum ejus prædicationis edocuit, quod scilicet oporteret eum priora studia penitus excludere, et[3] quasi conniventem oculis semetipsum undique coërcere : propter quod ipse idem istud significans, clamat : « Si quis videtur inter vos sa» piens, stultus fiat, ut sit sapiens[4]. » Nequaquam ergo

[1] 1 Cor. XII, 31. — [2] Vide D. Guillon, tom. XVI, p. 510-521. — [3] *Gr.* et clausis oculis ipsum sequi. — [4] 1 Cor. III, 18.

potuisset rursum bene videre, nisi prius excæcatus fuisset; unde et propriam sapientiam, qua perturbabatur, excludens, fidei se per cuncta committeret. Sed nullus hoc audiens vocationem istam necessitatem putet, si quidem potuit redire unde discesserat. Multi enim in novo et in Veteri Testamento, cum majora sæpe mirabilia vidissent, retro, ut legimus, sunt reversi: ut Nabuchodonosor, ut Judas, ut Elymas magus, ut Simon, ut Ananias, ut Sapphira, ut universus populus Judæorum: sed non ita Paulus. Illustrato enim mentis aspectu ad sincerissimum illud lumen cursu tetendit, atque ad cœlum perniciter subvolavit. Quod si interroges, cujus rei gratia sit cæcatus, accipe ipsum loquentem: « audistis, inquit, conversationem » meam aliquando in Judaïsmo, quoniam supra modum » persequebar Ecclesiam Dei, et expugnabam illam, et » proficiebam in Judaïsmo supra multos coætaneos meos, » in genere meo abundantius æmulator existens paterna» rum mearum traditionum[1]. » Quia enim vehemens adeo erat et fervens, frenis quoque vehementioribus indigebat, ne scilicet impetu ipso ejus, qua ferebatur, alacritatis arreptus, prolata ad se verba contemneret. Propterea igitur furorem ejus indomitum prius comprimit, concitatos et præcipites illius iracundiæ fluctus, cæcitatis beneficio redigit in quietem, et tunc demum cœlesti eum donat afflatu, ostendens proprie inaccessibilem sapientiam, et supereminentem omnibus divinæ scientiæ bonitatem, ut disceret, cui jam adversario repugnaret: quem certe non modo punientem ferre non posset, sed nec beneficia conferentem. Non enim ille obscuritate tenebrarum, sed luminis nimietate cæcatus est. Et cur, inquis, hoc non ante factum est? Ne quæras istud, neque velis esse curiosior, sed concede incomprehensibili Dei providentiæ salutes hominum

[1] Galat. I, 13. — [2] Ibid. 15.

notissibi temporum opportunitatibus ordinare. Sic enim etiam ipse fatebatur, dicens : « Cum autem placuit » ei, qui me segregavit de utero matris meæ, et vocavit » per suam gratiam, ut revelaret filium suum in me[1]. » Nihil tu igitur scruteris amplius, quando hæc dicit et Paulus. Istud enim tunc utique fieri oportuit, cum jam scandala ubique sublata essent. Ab ipso itaque discamus, quoniam nullus ante Paulum, neque ipse Paulus ex se tantummodo eum invenit, sed ipse se Christus ostendit, et idcirco dicebat : Non vos me elegistis, sed ego elegi vos[2]. » Cæterum cur ante non credidit, cum videret in ipsius nomine resurgere mortuos, ambulare claudos, paralyticos roborari, dæmones effugari? Nullum enim fructum ille ex his omnibus consecutus est, cum tamen non ignoraret ista qui tam erat erga Apostolos curiosus, qui certe cum lapidaretur Stephanus astabat[3]; et faciem ejus videbat angelico fulgore radiantem. Cur ergo nihil inde lucratus est? Quia necdum utique vocatus fuerat a Christo. Tu vero hoc audiens noli vocationem istam, necessitatem putare. Non enim Deus homines cogit vocando, sed post vocationem quoque permittit eos propriarum esse dominos voluntatum. Nam et Judæis se ipsum, quando oportuit, revelavit : sed illi propter gloriam, quam ab hominibus requirebant, ultro se offerentem suscipere noluerunt. Verum hoc loco infidelior quis opponat, atque dicat : Cur me etiam non vocavit e cœlo? Unde autem manifestum est, o homo, quia Paulum vocavit de cœlo? Sed credis istud? ergo si credis, hoc ipsum ad signum tibi satis est. Si vero non credis quia e cœlo Paulum vocavit : quomodo dicis, cur me etiam non vocavit? Credis, quia ille vocavit, hoc ipsum tibi, ut dixi, abundat ad signum. Crede igitur, nam te quoque e cœlo vocat Deus, si habes ani-

[1] Galat. I, 15.— [2] Joan. XV, 16 — [3] Act. VII.

mam ad obediendum paratam. Quod si inobediens sis, et corruptæ depravatæque sententiæ, ne de cœlo quidem ad te vox demissa tibi sufficit ad salutem. Quoties autem et Judæi vocem audiere de cœlo, in Novo et in Veteri Testamento, nec tamen facti sunt idcirco meliores? Nam in Veteri, Judæi post mille miracula pro Deo vitulum, quem fecerant, adoraverunt. At vero Jerichontina meretrix, quæ nihil omnino ex mirabilibus viderat, ostendit tamen fidem in exploratorum susceptione mirabilem. In terra quoque repromissionis Judæi signa cernentes, permanebant lapidibus duriores : Ninivitæ vero Jonam solum videntes crediderunt, et egerunt pœnitentiam, et venturam super se iram Dei conversione pepulerunt[1]. In Novo etiam Testamento sub præsentia ipsius Christi, latro quidem cum crucifixum cerneret, adoravit[2] : Judæi vero qui eum spectaverant mortuos suscitantem, et vinxerunt, et affixerunt cruci[3]. Quid autem nostra quoque ætate, nonne ex fundamentis templi, quod Jerosolymis fuit, ignis exiliens audentes illud ædificare consumpsit? sicque reliqui ab iniquis conatibus destiterunt, nec tamen ab impietate sua atque cæcitate conversi sunt. Quanta vero etiam post hæc alia facta sunt miracula? ut cum super templi Apollinis tectum fulmen illapsum est : ut cum ipsius responsa dæmonis transferri a rege sepultum juxta se martyrem compulerunt, dicentis se alloqui omnino non posse, quandiu proximam illius arcam videret : erat namque vicina. Post quæ ipsius regis avunculus, qui profano attactu consecrata Deo vasa temeraverat, vermibus exesus interiit. Præpositus quoque regalis ærarii, ob aliam, quam Ecclesiæ intulerat injuriam, medius repente diruptus est : tunc etiam regionis nostræ fontes, qui prius flumina ipsa cursu inundante vincebant, subito in se resiliendo fugerunt, nunquam

[1] Jon. III. — [2] Luc. XXIII. — [3] Joan. XIX.

hoc ante perpessi, nisi postquam loca illa rex sacrificiis ac victimis inquinavit. Quid vero jam memorem famem toto prorsus orbe terrarum cum impio rege dominatam, regis interitum in regione Persarum: ante mortem vero mentis errorem perpessum, exercitum in medio barbarorum relictum, et undique velut quodam rete conclusum, reditum ex illis locis improvisum atque mirabilem? Cum enim rege impio miserabiliter interempto, alter pius in ejus successisset imperium, adversa omnia continuo dissoluta sunt, et exercitus qui velut in mediis erat retibus involutus, nec ullum exitum aliquando se inventurum esse credebat, Dei jam nutu ab hostibus liberatus, omni cum securitate remeavit. Et hæc quidem, quem non valeant ad partem pietatis attrahere? Quid vero præsentia? nonne etiam multo mirabiliora dicenda sunt? nonne crux prædicatur, et totus ad credendum mundus accurrit? Nonne mors ignominiosa nuntiatur, et omnes convolant? Numquid non innumeri crucifixi sunt? Numquid non duo latrones cum Domino pependerunt? Numquid non multi sapientes? Numquid non multi extiterunt potentes? Cujus igitur aliquando sic nomen obtinuit? Et quid dico potentes atque sapientes? Numquid non fuerunt reges inclyti? Quis ita sibi terrarum orbem tam brevi tempore subjugavit? Non enim varias mihi atque diversas opponas hæreses. Omnes siquidem eumdem prædicant Christum, etsi non omnes sane prædicent, atque legitime. Illum enim omnes prædicant, qui in Palestina natus, et passus, qui Pontio Pilato dijudicante crucifixus est. Hæc igitur cuncta, quæ proposui nonne etiam majus virtutis ejus videntur habere documentum, quam illa vox allata de cœlo? Cur enim nullus regum ita vicit, ut hic superavit, idque cum innumera ex adverso impedimenta pugnarent? Nam et reges contra Evangelium præliati sunt, et tyranni bella

gesserunt, et populi omnes insurrexerunt, et nostra usque adeo attrita non sunt, ut inde fierent clariora. Unde igitur hæc tanta, tamque admirabilis virtus? Magus scilicet erat? Solus ergo iste magus tam potens fuit? Audistis nempe quia et apud Persas magi, et apud Indos extiterint, sintque etiam modo: sed ne nomen quidem eorum usquam sonat. Et ille quidem ex Tyanorum urbe deceptor ac maleficus aliquo loci apparuit, ac brevi aliquanto tempore in exigua parte orbis refulsit; sed celeriter extinctus atque deletus est, qui non Ecclesiam omnino, non populum, non aliquid horum reliquit. Sed quid dico magos atque maleficos extinctos? Unde, quæso, omnium deorum templa extincta sunt, et Dodonæus, et Clarius, et omnes istæ profanitatis officinæ silent, ac penitus obstructæ sunt? Unde igitur non hunc solum crucifixum, sed etiam pro ipso occisorum favillas dæmones contremiscunt? Cujus rei gratia, saltem nomen audientes crucis, in fugam resiliunt: cum certe si se res haberet aliter, magis eos opporteret irridere quam fugere. An forte crux quid clarum videtur, ac nobile? imo e centrario turpis et exprobrabilis mors. Est enim et utique pœnalis mors, et omnino teterrima, et apud Judæos maledicta, et inter Gentiles abominanda. Unde igitur illam dæmones reformidant, nisi de virtute crucifixi? Si enim illam per se ipsam timerent, quanquam et hoc ipsum diis esset indignum: tamen et ante illum, et post illum plerique crucifixi sunt, et cum ipso etiam duo. Quid igitur si invocat aliquis nomen latronis, vel alterius cujusquam crucifixi, dæmon ne forte timebit ac fugiet? Nequaquam, quinimo ridebit. Si vero Jesum addideris Nazarenum, velut ab igne repente diffugient. Quid igitur ais? Unde prævaluit? Quia, inquis, seductor fuit. At non hæc ejus præcepta loquuntur. Deinde quoniam seductores fuerunt multi, et tamen nullus obti-

nuit. Sed quia magus fuit? Verum longe aliud ejus dogmata contestantur. Sed et magorum multa sæpe fuit copia, nec tamen ullum hujusmodi potentiæ nomen auditum est. Sed quia sapiens fuit? at multi fuerunt sæpe sapientes. Quis itaque similiter obtinuisse dicetur? Nullus enim aliquando saltem ex parte aliqua huic potentiæ appropinquavit. Unde liquido patet, quoniam Christus non fuerit magus, non seductor, sed qui e contrario horum extitit emendator, et vere divina virtus, nec ulli omnino superabilis, idcirco et ipse cuncta vicit, atque perdomuit, et Paulo tentoriorum opifici tantam potuit inspirare virtutem, quantam ipse rerum testatur effectus. Homo etenim ignobilis, abjectus et circumforaneus, qui artem exercebat in pellibus, in tantum virtute progressus est, ut vix triginta annorum spatio et Romanos, et Persas, et Parthos, et Medos, et Indos, et Scythas, et Æthiopes, et Sauromatas, et Saracenos, et omne prorsus humanum genus sub jugum mitteret veritatis. Responde igitur, Unde iste opifex vilis ac publicus stans in loco artis suæ, ac scalpellum in manu gerens, ita et ipse philosophatus sit, et alios docuerit philosophari, gentes scilicet, urbes atque regiones, maxime imperitus, nec vim in se sermonis ostendens? Audi enim ipsum loquentem: « Et si imperitus sermone, nec »pecunias possidens[1];» nam hoc quoque ipse testatur. « Usque ad hanc, inquit, horam et esurimus, et sitimus, »et nudi sumus, et colaphis cædimur[2].» Et quid dico pecunias, cum ille sæpe ne necessarium quidem haberet cibum, nec quo se circumdaret indumentum. Quia vero nec de professione clarus fuerit, ipsius discipulus ostendit, dicens: « Quoniam manebat apud Aquilam et Priscillam; »propterea quod ejusdem artis essent. Erant enim scenofactoriæ artis[3].» Non igitur a proavis nobilis, quippe qui

[1] 2 Cor. XI, 6. — [2] 1 Cor. IV, 11. — [3] Act. XVIII, 3.

tam vilis fuisse artis ostenditur : non a patria, non a gente, tamen progressus in medium, ac tantummodo apparens inimicorum cuncta turbavit, universa confudit : et sicut in stipulas, aut in fœnum ignis immissus, omnia dæmonum opera consumpsit, atque in quod voluit, omnia convertit. Neque vero hoc solum admiratione dignum est, quod tantam potentiam talis obtinuit : sed quoniam discipulorum quoque illius plurimi pauperes, imperiti, ac totius erant eruditionis extranei, in fame et egestate viventes, ignobiles, ac de ignobilibus procreati : quod certe etiam ipse prædicavit, nec erubuit eorum commemorare pauperiem, imo ne necessaria quidem eorum victui postulare. « Proficiscar, inquit, Jerusalem ministrare sanctis[1]. » Et rursus : « Secundum unam sabbati unusquisque vestrum » reponat, quod ei bene placuerit, ut non cum venero, » tunc collectæ fiant[2]. » Quia vero plures discipulorum ex imperitorum numero constarent, ad Corinthios scribens, ait : « Videte vocationem vestram, quoniam non multi sa» pientes secundum carnem, non multi potentes, non » multi nobiles[3] ; » sed et valde obscuri, et viles fuerunt. « Nam » infirma mundi, inquit, elegit Deus, et quæ non sunt, ut » ea quæ sunt destrueret[4]. » At[5] nobilis, et eruditus erat forte persuasor. Nec istud quidem ; nam hoc quoque ipse confirmavit, dicens : « Et ego veni ad vos non in sublimitate » sermonis, aut sapientiæ, annuntians vobis testimonium » Christi. Non enim judicavi me scire aliquid inter vos, » nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum. Et sermo » meus, et prædicatio mea, non in persuasibilibus sapien» tiæ verbis[6]. » Sed causa nimirum ipsa prædicationis erat idonea, quæ ad se pertraheret audientes. Accipe quid etiam super hac re ipse pronuntiet. « Quoniam, inquit,

1 Rom. xv, 25. — 2 1 Cor. xvi, 2. — 3 Id. i, 26. — 4 Ibid. — 5 *Gr.* At idiota quidem et ineruditus, sed ad persuadendum aptus. — 6 1 Cor. i, 26.

» Judæi signa petunt, et Græci sapientiam quærunt : nos » autem prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem » scandalum, Græcis autem stultitiam[1]. » Sed securitate, ac libertate, inquis, fruitus est. At omnino a periculis nunquam respiravit. « Et ego, inquit, in infirmitate et timore » et tremore multo fui apud vos[2] : » neque vero ipse solum, sed etiam discipuli ejus passionibus subjacebant : « Me» mentote, inquit, dierum priorum, in quibus illuminati » magnum certamen sustinuistis passionum. In altero qui» dem opprobriis et tribulationibus spectaculum facti, in » altero etiam socii taliter conversantium facti : nam et » vinctis compassi estis, et rapinam bonorum vestrorum » cum gaudio suscepistis[3]. [4]» Et rursus ad Thessalonicenses scribens ait : « Vos enim eadem passi estis a contribulibus » vestris, sicut et ipsi a Judæis, qui et Dominum nostrum » occiderunt, et Prophetas suos persecuti sunt[5]. » Rursus ad Corinthios scribens : « Sicut, inquit, abundant passio» nes Christi in vobis, et quemadmodum socii estis passio» num, ita eritis et consolationis[6]. » Et ad Galatas : « Tanta, » inquit, passi estis sine causa, si tamen sine causa. » Cum igitur prædicator imperitus, cum etiam pauper esset, et prorsus ignobilis : et quod prædicabatur, non modo commendatione sui esset vacuum, verum etiam offensione plenissimum, et auditores ipsi inopes, imbecilles, atque omnino nulli, et pericula tam crebra, tam varia, non doctoribus solum, sed etiam discipulis imminerent, et crucifixus esset, qui annunciatur adorandus : quidnam illud est, quod hujus prædicatio potuerit obtinere ? Nonne lucidissime claret divina hoc et ineffabili quadam virtute perfectum ? quod certe etiam inimicorum comparatione

[1] 1 Cor. I, 22. — [2] Id. II, 3. — [3] Hebr. X, 32. — [4] *Gr. addit*, et nos expulerunt, et Deo non placent, et omnibus hominibus contrarii sunt. — [5] 1 Thess. II, 14. — [6] 2 Cor. I, 5.

potest liquido comprobari. Cum enim videris contraria horum universa concurrere in unum : id est, et opes, et nobilitatem, et patriæ claritudinem, et oratoriæ artis pompam, et pacis securitatem, et plurimam in ipsa superstitione culturam, continuo tamen morem profanitatis extinctum : hos vero qui sunt ex adversa parte superare, quæ horum causa sit, responde. Tale est enim, ut cum rex quispiam instructus armis, fretus exercitu, potentissimas in bello acies instruens hostes superare nequiverit, nudus aliquis, et pauper, et solus, ne brevi quidem jaculo armatus, aut simplici saltem veste tectus, certamen ineat, eaque peragat quæ alii nec cum mille quidem munitionibus patrare potuerunt. Noli igitur in prava permanere sententia, sed virtutem venerare crucifixi. Neque enim si regem aliquem videas civitates sibi excelsas parantem, circumagentem fossas, muris machinas admoventem, innumeram quoque habentem militum multitudinem, arma fulgentia, pecunias infinitas, unamque hostium civitatem destruere non valentem : alterum vero nudo corpore dimicantem, solisque manibus utentem, non unam, aut duas, aut paucas, sed prorsus innumeras, totoque orbe diffusas urbes percurrentem celeriter, cunctasque capientem, humanæ hoc dicas esse virtutis. Sic ergo procul dubio in præsenti causa sentiendum est. Propterea enim concessit Deus et latrones cum Salvatore crucifigi, et ante Salvatoris adventum seductores aliquos apparere, ut etiam ex comparatione rerum nimis insipientibus ostenderetur excellentia veritatis : et discerent, quia hic non unus ex illis : sed grande sit inter tam dispares, infinitumque discrimen. Nihil enim Christi gloriam potuit inumbrare, vel eorumdem opportunitas temporum, vel communio passionum : ne quis enim putaret, quia dæmones crucem et non crucifixi paverent virtutem,

obstruxit ora ista dicentium par latronum. Quod si temporum opportunitas cuncta fecisse dicatur, ad repellendum Theudas et Judas proferentur, qui cum eisdem fere, quibus etiam Christus temporibus extitissent, et veritatem per quædam etiam signa impugnare tentassent, repente destructi sunt. Quod enim jam ante memoravi, ideo interdum falsa fieri Deus signa concessit, ut abundantius vera monstraret. Propterea et pseudo-prophetas tempore Prophetarum, et pseudo-apostolos cum Apostolis apparere permisit, ut disceres quia splendentes ejus ubique virtutes nequaquam obscurare posset similitudo, et umbra quædam virtutum. Age jam ex aliis quoque documentis probemus esse hanc potentiam singularem et præcipuam atque mirabilem. Docebimus enim Christi gloriam ipsa magis inimicorum impugnatione crevisse. Cum enim hunc ipsum beatum Paulum Romæ quidam persequerentur, aliquando hoc ipsum dogma inquietius prædicabant. Cupientes enim Neronem impugnatorem Pauli acrius in ejus odium commovere, mira quadam arte lædendi susceperunt et ipsi evangelicæ prædicationis officium, ut magis scilicet fidei sermone fervente, et discipulorum crescente numero, in immensum ignesceret furor tyranni, et fera majora adhuc colligeret incrementa feritatis. Et hoc ipse ad Philippenses Paulus scribens, ait: « Scire vos autem, inquit, volo fratres, quod quæ circa » me sunt, magis venerunt ad profectum Evangelii, ita ut » plures e fratribus confidentes vinculis meis, abundan» tius auderent sine timore verbum Dei loqui. Quidam » quidem etiam per invidiam et contentionem, quidam » etiam per bonam voluntatem Christum prædicant : qui» dam autem ex contentione Christum annuntiant non » sincere, existimantes pressuram suscitare vinculis meis. » Quidam autem ex charitate, scientes, quod in defensione

»Evangelii positus sum. Quid enim? si omni modo, sive »per occasionem, sive per veritatem Christus annuncie- »tur [1]. »Vidisti certe, quemadmodum etsi ex contentione aliqui prædicarent, tamen etiam per inimicos veritas obtinebat. Supra vero hanc inimicorum calliditatem, alia quoque ex adverso multa veniebant. Nam et antiquæ leges, non modo non opitulabantur, verum etiam adversabantur : contraque veritatis partem non solum malitia obloquentium inimicorum, verum etiam ignorantia dimicabat. Regem enim, inquiunt, habent Christum. Non enim noverant ejus cœleste regnum terribile istud, et absque ullo termino gloriosum : sed quasi tyrannidem ipsis inferentibus per calumniam repugnabant, et in commune omnes, et specialiter adversus eos singuli dimicando. In communi quidem, quasi contra eos, qui publicæ disciplinæ, et legum scita destruerent : specialiter vero, quasi singulorum domos divisionibus, divortiisque dissolverent. Nam et filium tunc impugnabat pater, et filius patrem negabat, et maritum uxor oderat, et uxorem maritus, filiæ quoque cum matribus dissidebant, cognati cognatos, amici oppugnabant amicos, eratque per omnium domos varium istud et multiforme bellum, propinquos separans, dispergens curiam, judicia conturbans : cum utique mores patrii solverentur, festivitas et cultura dæmonum pelleretur, quæ antiqui legumlatores vel in primis custodienda decreverant : cum his omnibus etiam tyrannidis odiosæ suspicio undique faciebat eos explodi. Neque vero dicere quispiam potest a Gentibus quanta inferebantur, a parte vero Judæorum omnium in quiete erant, cum certe isti etiam sævius imminerent. Cumque et ipsi ei destructionem legis impingerent : « Non »enim cessat, inquiunt, loquens contra legem, et locum

[1] Philip. I, 11.

sanctum [1]. » Verumtamen undique invidiæ igne succenso, a domibus, ab urbibus, ab agris, a solitudine, a terra, a mari, a gentibus, a Judæis, a principibus, a plebibus [2], a regibus, a regum ministris : cum omnes ad crudelitatem se mutuo cohortarentur, et omnes ferocissime sæviusque consurgerent : beatus tamen Paulus in tantos ignes insiliens, atque in medio talium luporum consistens, quamquam ictus omnium exciperet, non modo tamen obrutus ipse non est, sed etiam omnes illos in partem transtulit veritatis. Et hæc et alia quoque prælia non minus sæva memorabo : ut illud quod a pseudo-apostolis inferebatur, quodque eum super omnia alia torquebat, domesticorum dolus, ruina nutantium : multi enim ex fidelium numero labebantur, sed etiam contra ista prævaluit. Unde, quæso, ex quave virtute ? « Quia, inquit, » arma nostra non carnalia, sed potentia sunt ad destruc- » tionem munitionum, consilia destruentes, et omnem » altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei [3]. » Propterea igitur in diversum omnia vertebantur ac muta bantur repente : ac sicut igne succenso paulatim spinæ consumuntur, et cedunt, flammisque superantur, ac mundi redduntur novales : sic etiam Pauli insonante lingua, et omni igne vehementius irruente cedebant omnia, fugiebantque et dæmonum cultus, et celebritas omnis, atque festivitas, et mores patrii [4], et populorum furores, et tyrannorum minæ, et insidiæ domesticorum, et pseudoapostolorum operationes malignæ. Imovero sicut radiis Solis orientibus et tenebræ fugantur, et feræ latitant, foveisque conduntur, et latrones recedunt, et homicidæ ad antra suffugiunt, et amoventur piratæ, et sepulchrorum violatores fugantur, et adulteri, et fures, et perfossores

[1] Act. xxi, 21. — [2] *Gr. addit*, a cognatis, a terra, a mari. — [3] 2 Cor. x, 4. — [4] *Gr. addit*, et legum corruptiones.

domorum deprehensi a sole, ac redargui periclitantes abeunt, seque alicubi procul occultant, omniaque lucida efficiuntur et clara, illustrantibus desuper radiis terram, pelagus, ac montes, urbes simul atque regiones : sic tunc prædicatione fulgente, et ubique Evangelium disseminante Paulo, fugabatur error, veritasque remeabat : favillæ vero, fumusque templorum, et cymbala omnia, et tympana, et ebrietates, et comessationes, et stupra, et adulteria, et alia dictu fœda, quæ in sacris suis celebrare consueverant, defecerunt, atque consumpta sunt, instar ceræ ignis vapore pereuntis, et palearum vice, quæ subito concremantur incendio. Clara vero inter hæc veritatis flamma surgebat resplendens, et ipsum ad usque cœlum sublimitate conscendens, ab iis potissimum sublevata, qui eam nitebantur opprimere : perque illos magis incrementa suscipiens, qui illam extinctum iri cupiebant. Nec pericula enim progressum ejus, aut impetus coërcere potuerunt, non tyrannis quædam inveteratæ consuetudinis, non patrii moris auctoritas, non legum potestas, non illa ipsa custodiendi ejus quod prædicabatur Evangelii difficultas, nec quidquam eorum quæ impedimentum afferre possunt, proficientis celeriter veritatis cursum aut incidere, aut retardare potuerunt. Atque ut quantam istud vim habeat, cognoscas, comminare gentibus, non dico pericula, famem, mortem, sed damnum aliquod exiguum, et videbis eos repente mutatos. At non talia inveniuntur et nostra, sed concisis occisisque omnibus, et ubique impugnatis vario genere bellorum, illa tamen florentiora semper effecta sunt. Et quid ego nostræ ætatis commemoro Gentiles viles istos, et omnino contemptu faciles? et potius qui apud illos erant aliquando mirabiles in medium proferamus, philosophiæ scilicet honore celebratos, Platonem,

Pythagoram, Diagoram, Clazomenium[1], multosque alios hujusmodi, et tunc demum evangelicæ prædicationis virtutem probabis. Nam post Socratis venenum, alii quidem Megara discesserunt, similia patiendi metu : alter autem et patria, et libertate privatus est, nec præter unam mulierem philosophiæ quemquam studiis subjugavit. Plato autem depictam in paginis disciplinam relinquens in mortem solutus est. Et certe nihil eis tunc impedimento erat, non periculum, non egestas, non imperitia sermonis : sed erant et dicendo potentes, et opibus affluentes, et nobilitate patriæ gloriantes. Verum nequaquam obtinere potuerunt : talis est enim conditio erroris, etiam nullo sibi obsistente consenescit, ac defluit. Talis autem e diverso veritatis status, etiam multis impugnantibus suscitatur et crescit. Hæc autem ita esse, veritas rerum ipsa proclamat, nihilque hic opus est assertione verborum, cum vocem quodammodo totus undique mundus emittat, urbes scilicet, et agri, et terræ, et maria, et loca culta, atque deserta, ipsæ quoque etiam montium summitates. Neque enim solitudinem beneficii sui reliquit exortem, sed ipsam maxime iis, quæ nobis de cœlo veniens detulit, bonis replevit, per Pauli præcipue linguam, perque illam, quam in ipsum contulit, gratiam. Quia enim dignam tali dono devotionem gerebat, copiosa in illo etiam gratia coruscavit, plurimaque horum, quæ hucusque memoravimus, ipsius ore ac sermone completa sunt. Quoniam igitur ita genus nostrum nobilitavit Deus, ut unum hominem dignaretur tantorum causam facere bonorum, studeamus et nos ejus similes inveniri. Neque vero istud impossibile putemus : quoniam, ut sæpe dixi, et nunc inculcare non cesso : tale illi, quale etiam nobis corpus fuit, talis anima, tales cibi, sed voluntas in eo mirabilis, et præclara devo-

[1] Anaxagoras Clazomenius.

tio, et istud est prorsus unde ille talis effectus est. Nemo igitur diffidat, nemo desperet : si intendas animum, et præpares, nihil est quod te ab ejusdem gratiæ possit prohibere muneribus. Non est enim personarum acceptor Deus. Idem illum teque formavit : et quemadmodum illius, ita est etiam tuus Deus : ac sicut illum merito laudavit, ita etiam tibi offert coronam. Spondeamus igitur nosmetipsos Deo, atque mundemus, ut nos quoque eamdem gratiam consequentes, eadem etiam præmia sortiamur, gratia, et misericordia Domini nostri Jesu Christi, cui est gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA V

De laudibus sancti Pauli apostoli.

Ubi nunc illi sunt, qui querulo semper animo mortem causari solent [1], et corruptibile hoc corpus atque passibile impedimento sibi esse ad virtutem putant? audiant Pauli facta præclara, et ab hac obtrectatione malignissima conquiescant. Quid enim humano generi mors nocuit? quid vero virtutem corruptio corporis impedivit? Considera itaque Paulum, et videbis, quia nobis etiam ad maximam utilitatem proficiet ista mortalitas. Hic enim nisi mortalis fuisset, nequaquam dicere potuisset, magis autem nequisset ostendere, quod ipsius temporibus est locutus : quoniam « Quotidie morior pro vestra gloria, » quam habeo in Christo Jesu [2]. » Ubique enim nobis intentione animi ac prompta opus est voluntate : quæ si af-

[1] Vide D. Guillon, tom. XVI, p. 521-525. — [2] I Cor. XV, 31.

fuerint, nihil erit quod nos possit a virtute prohibere, sicut superior jam sermo memoratus est. Nonne erat iste mortalis? nonne ignobilis? nonne pauper: et quotidiano opere victum quærens? Nonne corpus habuit cunctis naturæ necessitatibus subjugatum? Quid ergo eum vetuit illis, quibus floruit, splendere virtutibus? profecto nihil. Nullus ergo mœreat pauper, nullus angatur inglorius, nullus ex vilioribus ingemiscat: sed tantummodo illi. qui molles sunt animo, et enervati mente sunt, atque resoluti. Hoc enim solum est quod nos a virtute valeat arcere, vitiositas animæ atque mollitudo sententiæ, nec quidquam omnino præterea: idque beati hujus, propter quem hodie congregati sumus, illustratur exemplo. Sicut enim Paulo nihil ea quæ superius sunt memorata nocuerunt, ita extra religionem nostram positos nihil his adversa juverunt, non generis claritudo, non divitiarum affluentia, non splendor eloquii, non gloriæ magnitudo, non sublimitas potentatus. Sed quid ergo de hominibus adhuc loquor, et quamdiu circa terram continuo sermonem? Fas est etiam supernas commemorare virtutes, principatus videlicet, ac potestates, mundique rectores, ac tenebrarum hujus sæculi. Quid enim juvit eos Angelorum sortitos esse naturam? Nonne venient omnes istæ virtutes a Paulo, ejusque similibus judicandæ? « Nescitis, inquit, quia An» gelos judicabimus, quanto magis sæcularia[1]? » Non igitur ob alias aliquando causas, nisi ob vitia sola doleamus, horum nos studiosos esse pœniteat: neque ob aliud quidquam gaudeamus ac lætemur nisi virtutis causa: nihil est quod nos Pauli similes fieri vetet. Ille enim non solum gratia Dei, sed etiam sua voluntate talis effectus est, et idcirco gratia, quia etiam de propria voluntate. Utraque enim plena in illo fuerunt, atque perfecta, et ea quæ do-

[1] 1 Cor. VI, 3.

nantur a Deo, et ea quæ voluntate præstantur. Vis dona Dei agnoscere? vestimenta Pauli dæmonibus terrori erant. Verum ego nequaquam illud admiror, sicut nec illud quidem, quia umbra Petri corporum langores effugabat. Hæc sunt vero miranda, quæ Paulus etiam ante gratiam magnus ab ipsis rudimentis, ab ipsis fidei suæ invenitur fecisse principiis, quia nec virtute hac, qua postea polluit, illustratus, nec apostolatus honore donatus, ita in Christi zelum totus exarsit, ut omnem contra se accenderet Judaïcum populum : qui cum se in tantis periculis et civitatem propter se obsessam cerneret, per murum demissus in sporta est, sicque depositus, nec tunc quidem in segnitiem ac timiditatem relapsus est : sed majorem alacritatem mentis accepit, periculis quibusdam se sæpe subdens in aliorum salutem : nulli autem studio cedens docendi, sed quotidie portans crucem, Dominum sequebatur, et quidem cum recens adhuc Stephani ante oculos haberet exemplum, videretque contra se omnes potissimum concitatos Judæos, cædem spirantes, ipsasque pene carnes ejus devorare cupientes. Igitur Paulus neque cum in pericula irrueret, temeritatis argui poterat : neque cum pericula fugeret, timiditatis : quia utique et amabat satis præsentem vitam, ob lucrum docendi : et rursum valde eam despiciebat, ob philosophiam, ad quam illum mundi contemptus evexerat, propterque amorem quo ire urgebatur ad Christum. Quod enim de ipso dico semper, nec dicere aliquando cessabo ; nullus ita in diversa rerum incidens atque contraria, utraque in commodum suum transtulit, utraque suis utilitatibus coaptavit. Nullus enim sic unquam præsentis vitæ fuit amans, nec eorum qui sunt lucis istius cupidissimi: et e regione [nullus] sic aliquando despexit salutem, illorum qui se in mortem sponte præcipitant. Sic ab omni se mundum cupiditate abstrahebat, nullaque præsentium tenebatur passione,

sed ubique desiderium suum cum Dei voluntate miscebat, et nunc quidem præsentem vitam magis necessariam esse ducebat, quam societatem Christi, atque colloquium: nunc vero tam molestam sibi illam fatebatur et gravem, ut etiam ingemisceret, atque in mortis desiderium cogeretur. Ea enim sola cupiebat, quæ illi secundum Deum lucra parerent, etiam si prioribus viderentur esse contraria. Erat enim quidem varius semper, ac multiplex, non utique dissimulatione mutabilis, quod absit, sed faciens omnia quæ prædicationis salutisque hominum necessitas poposcisset. In hoc quoque domini sui inventus imitator. Nam et Deus et homo apparuit, cum id eum oportuit apparere, et in igne quando tempus ita exegit, et nunc quidem se in habitu armati militis, nunc in specie senis, nunc in aura, nunc in similitudine viatoris, nunc in ipsa ostendit hominis veritate, secundum quam ne ipsam quidem mortem refugit: sed iterum iterumque commoneo, nemo dispensationem istam necessitatem putet, sed tantummodo amorem Dei erga homines intelligat. Nam et aliquando quidem super thronum, aliquando vero super Cherubim apparebat sedens. Omnia tamen ista pro variarum dispensationum opportunitate faciebat, propter quod loquitur per Prophetam: « Ego visiones multipli» cavi, et in manibus Prophetarum assimilatus sum [1]. » Ita igitur et Paulus creditæ sibi dispensationis modum sæpe variando, nequaquam de domini sui imitatione culpatus est, cum modo Judæus fieret, modo se illis nulla communicatione misceret, et nunc quidem custodiret legem, nunc vero despiceret: et aliquando conservaret præsentem vitam, aliquando contemneret: et nunc quidem etiam postularet pecunias, nunc autem oblatas etiam repudiaret: nam et sacrificium obtulit, et purificationem ex

[1] Osee. XII, 10.

more celebravit, et caput rasit. Sed rursus et anathematizavit ista facientes. Et nunc quidem circumcidebat ipse, nunc circumcisionem penitus excludebat. Et erant facta quidem ipsa diversa inter se atque contraria, mens vero atque sententia ex qua illa fiebant valde sibi concinens atque concordans. Unum illud requirebat, et solum, eorum qui illum audirent ac viderent, salutem : propterea modo extollit legem, modo inclinat ac dejicit. Non enim solum in actibus suis, verum etiam in verbis erat, ut dixi, varius ac multiplex, non mutando sententiam, neque alter factus ex altero : sed ipse quod erat semper manendo, eorum quæ dicta sunt usum pro causarum opportunitate variabat. Non igitur eum propter ista reprehendas, propter quæ illum magis debes dignis laudibus coronare. Siquidem et medicum cum nunc urentem videris, nunc foventem, nunc ferro utentem, nunc medicamento, et aliquando quidem ægrotum a cibo potuque cohibentem, aliquando vero eum in ista laxantem, et modo quidem cooperientem undique, et undique confoventem : nunc vero ipsi illi calefacto securius plenam frigidis aquis imperantem epotare phialam : non utique super hac eum varietate et frequenti mutatione culpabis : sed tunc præcipue stupebis artem, quando ea quæ nobis contraria videntur et noxia, illam cum fiducia videris offerentem. Hoc est enim veri artificis, ac periti. Si igitur approbamus medicum contraria ista facientem, multo magis Pauli debemus animam prædicare, tam multis se ac diversis modis ægrotantibus coaptantem. Non enim minus hi qui animarum, quam illi qui corporum languore vexantur, arte opus habent, ac varietate curandi : ad quos si secure et velut ex directo volueris accedere, omnis spes ab eis salutis aufugiet. Et quid mirum si homines ad hæc sanandi temperamenta descendant, cum etiam omnipotens Deus hoc ipso medi-

cinæ utatur modo, nec omnia nobis uniformiter ac directim loquatur? quia enim sponte nos vult effici bonos, non necessitate atque violentia, opus etiam habet mutatione curæ, non propter aliquam impossibilitatem suam, absit: sed propter nostram fragilitatem. Ipsi enim licet innuere solum, imo velle tantummodo, jamque facta spectare, quæ voluit. Nos vero qui semel dominatum nostri adepti sumus, non in cunctis Deo subditos esse nos patimur, qui si traheret invitos, eriperet ipse quod contulit, id est, arbitrii potestatem. Ne igitur istud fieret, frequenti fuit opus varietate medicandi. Hæc autem a nobis non superfluo disputata sunt, sed propter beati Pauli varium studium atque sapiens, ut quando eum videris pericula fugientem, non illum admireris minus, quam cum se periculis gaudet opponere. Ut enim hoc fortitudinis, ita illud sapientiæ est. Et cum videris eum magna de se ipso sonantem, similiter admireris, ac si illum videas semetipsum depretiantem. Ut enim istud humilitatis ita et illud magnanimitatis est. Quando enim gloriantem videris, admirare: sed similiter lauda, cum illum vides humilia de se et contemptibilia dicentem. Nam et hoc est animi arrogantia vacui, et illud dilectione et humanitate pleni. In dispensationem siquidem multorum salutis ista faciebat, propter quod ait: « Sive enim mente excedimus, » Deo: sive sobrii sumus, vobis[1]. » Neque alius quisquam tantas, non dico occasiones, sed prorsus necessitates habuit arrogantiæ, neque tamen ullus alter ita se munde ab omni jactantia subduxit. Hæc itaque animo attentiore considera. « Scientia, inquit, inflat[2]: » et hoc omnes cum Apostolo facile dixerimus. At tanta certe in illo erat scientia, quanta in ullo unquam fuerit, neque tamen se extulit insolenter, qui se in hoc ipso humiliat, ac dejicit

[1] 2 Cor. v, 13. — [2] 1 Cor. viii, 1.

dicens : « Ex parte cognoscimus, ex parte prophetamus [1]. » Et, « Non me arbitror comprehendisse [2]. » Et, « Si quis existimat se scire aliquid, nondum cognovit quemadmodum eum oportet scire [3]. » Jejunium rursus inflat, idque fecit Pharisæus ille manifestum, qui ait : « Jejuno bis in sabbato [4]. » Sed Paulus non modo jejunans, verum etiam famem propter Christum patiens, se etiam abortivum vocabat. Et quid de scientia dico atque jejunio, quando etiam tanta cum Deo habens et tam crebra colloquia, quanta nec Prophetarum, nec Apostolorum ullus habuit, per ea ipsa humilior reddebatur? Non enim mihi dicas ista quæ legimus. Nam plura celavit, nec enim omnia dixit, ne gloria majori se circumdaret : nec omnino cuncta tacuit, ne pseudo-apostolorum contra se ora reseraret. Nihil enim otiose ille faciebat, sed omnia cum causa justa, probabilique ratione. Cum tanta itaque ratione tantas res inter se diversas contrariasque peragebat, ut eisdem tamen laudibus ubique ornaretur. Quod dum apertius dicimus, intuere. Magnum bonum est de se nihil magnum loqui. Hic autem tam opportune apteque hoc faciebat, ut magis mereretur loquendo de se, quam tacendo, laudari. Qui nisi fecisset istud, culpabilior esset illis, qui se ipsos importune laudare didicerunt : et nisi etiam gloriatus fuisset, creditos sibi perdidisset, omnesque res inimicorum, dum se humiliat, extulisset. Sic noverat uti ubique tempore, et cum recto consilio atque sententia ea quæ videntur reprobanda perficere, tam utiliter et commode, ut non minus de illis placeret, quam cum imperata compleret. Amplius enim nunc Paulus placuit gloriando, quam alter laudes proprias occultando : nec tantum quisquam profuit cum sua merita celaret,

[1] 1 Cor. XIII, 9. — [2] Philip. III, 13. — [3] 1 Cor. VIII, 2. — [4] Luc. XVIII, 12.

quantum iste cum proderet. Sed hoc quoque est multo admirabilius : quia de se non modo locutus, verum etiam quantum oportuit, est locutus. Non enim quasi maximam licentiam de opportunitate nactus, immoderatius laudibus suis usus; est sed considerantissime quousque eum progredi liceret agnovit. Neque tamen istud sufficere sibi credidit, sed ne alios hoc sermone vetaret [*f.* vitiaret] idque efficeret ut semetipsos inaniter prædicarent, libenter se etiam insipientem vocavit : quanquam certa invitante causa de propria aliquid laude perstrinxerit. Quia enim consequens erat, ut id ipsum respicientes alii temere atque inaniter ejus uterentur exemplo, quod plerumque contingit et medicis : sæpe enim medicamentum quod opportune alter apposuit, importune alter admovens, vim medicaminis obscurat atque corrumpit. Ne igitur hic quoque istud accideret, vide quanta procuratione usus sit : qui cum gloriaturus esset, non semel, non secundo, sed sæpius differendo atque cunctando dicebat: « Utinam sustineretis modicum quid insipientiæ meæ[1] : » et rursus, « Quod loquor, non loquor secundum Deum, » sed in insipientia. » Cumque tanta dixisset, non tamen ea se præmisisse contentus est, sed rursus ingressurus in laudes, semetipsum occultat, et dicit : « Scio homi- » nem[2], » et iterum, « Pro hujusmodi gloriabor, pro me » autem nihil. » Postque hæc omnia, « Factus sum insi- » piens, inquit, vos me coëgistis. » Quis ergo tam stultus, quis ita inveniatur omni sensu ac ratione privatus, qui videns sanctum illum, etiam cum tanta ei necessitas immineret, cunctantem tamen atque metuentem grande aliquid de se ipso loqui, et sicut equum usque ad præcipitia horrenda venientem, seque sæpius inde trahentem, et quidem cum tanta hoc esset dispensatione facturus : quis,

[1] 2 Cor. XI, 1 et 17. — [2] Id. XII, 2, et 5-11.

nquam, sic sit insipiens, qui non etiam majore abundantia cautionis laudes suas fugiat, et nunc forte solum de illis aliquid attingat, quando id opportunissimum tempus exegerit? Vis et aliud tibi tale quoque illius ostendam? Etenim istud est omnino mirabile, quia contentus non erat testimonio conscientiæ, sed etiam nos docebat juxta quam regulam in tali rerum discrimine deberemus incedere: non sibi tantummodo de temporum necessitate satisfactionem parans; verum etiam alios erudiens, quanta cum cautione, tempore efflagitante, istud nec effugerent, nec importune perficerent. Nam per ista quæ dixit, quodammodo illud effatus est. Grande malum est, dilectissime, de se ipso aliquid grande dicere atque mirabile, extremæque omnino dementiæ est, nulla imminente necessitate rerum, et necessitate violenta, propriis laudibus velle decorari. Non enim est hoc secundum Deum loqui, indicium potius est istud insaniæ. Hoc enim nobis omnem prorsus mercedem evacuat, et quidem plurimis laboribus, sudoribusque quæsitam. Hæc enim omnia, hisque plura dixisse videtur ad cunctos, dum loquendi de se necessitatem etiam excusatione munivit. His autem profecto majus est, quia necessitate cogente, non universa fudit in medium, sed plura etiam et majora celavit. « Venio, inquit, ad visiones et revelationes Dei: parco autem, ne » quis de me existimet super id quod videt, vel audit ali- » quid ex me[1]. » Hoc vero dicendo nos erudit, ut ne existente quidem necessitate, omnia, quorum nobis conscii sumus, in medium proferendo vulgemus, sed ea solum, quæ audientibus utilia judicamus: quoniam et Samuël; nihil enim videtur inconsequens illius quoque meminisse sancti, in nostram siquidem utilitatem laudemque proficiet; et ipse, inquam, aliquando gloriatus est, et propria

[1] 2 Cor. XII, 1 et 6.

recte facta patefecit : sed qualia illa, quæso? quæ utique cognoscere audientibus conveniret. Non enim super decore pudicitiæ, neque de humilitate, neque de oblivione locutus est injuriæ, sed super tali re quadam, quam præcipue discere regem illius temporis oportebat : id est, de conservanda integritate justitiæ, et manibus abstinendis a muneribus. David etiam glorians, de eis utique gloriabatur, quæ emendare auditorem valerent. Neque enim de se aliam commemoravit ille virtutem, sed ursum, atque leonem adduxit in medium, atque aliud prorsus nihil. Etenim altius de se efferre sermonem, gloriosi est, et insolenter sese jactantis : dicere autem illa quæ præsentis rei causa tantummodo necessaria sunt futura, amantis est, multorumque commoda cogitantis. Hoc itaque fecit et Paulus, qui cum a pseudo-apostolis carperetur, quasi non esset probatus Apostolus, nec habens a Christo aliquam potestatem, propter obtrectationes falsas, in laudes suas ire compulsus est, quæ maxime dignitatem ejus ostenderent. Vides-ne igitur per quanta docuerit auditorem non inaniter gloriari? Primo quidem dum ostendit se ad istud adactum necessitate. Secundo, dum tamen se insipientem vocavit, et plurimis laudes suas satisfactionibus temperavit. Tertio, quia non cuncta confessus est, sed majora suppressit, et hoc certe cum necessitate quadam in sua præconia cogeretur. Quarto, dum sub alterius persona dixit, « Scio hominem. » Quinto, cum non omnes virtutes suas adduxit in medium, sed eam partem, quam præsens tempus maxime flagitabat. Neque vero de se tantummodo gloriando, eumdem virtutum suarum servabat tenorem, verum etiam in alios, quæ viderentur injuriosa, dicendo. Nam injuriam inferre fratri inter prohibita numeratur : sed hac quoque specie ita Paulus opportune usus est, et congrue, ut magis etiam quam laudans placeret : prop-

terea et Galatas insensatos vocat[1]; et Cretenses, ventres pigros, et bestias malas[2]: et tamen hinc etiam prædicatur. Fines etenim nobis exemplo suo statuit, ac regulas, ut neglectores voluntatis Dei, nequaquam cura leniore tractemus, sed sermonem in eos, qui paulo rigidius percutiat, dirigamus. Omnium siquidem mensuræ sunt apud illum locatæ, ac propterea omne quod dixerit, omne quod fecerit, placet: et conviciis coërcendo, et laudibus provocando, austerius aliquos accusando, et blandius admonendo: et cum effert se ipsum, et rursus cum deponit ac dejicit, et cum de se gloriatur, et cum se ipsum miseretur. Et quid mirum si injuria et maledictum placet, quando placuit et cædes, et dolus quidem, atque deceptio non in Vetere solum, sed in Novo etiam Testamento? Hæc omnia igitur diligenti examine ponderantes, admiremur Paulum, et glorificemus Deum, ut ipsi etiam bona consequamur æterna, gratia et misericordia Domini nostri Jesu Christi, cui est gloria et imperium, in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA VI

De laudibus sancti Pauli apostoli.

Vultis hodie, fratres dilectissimi, qui audiendi studio huc convenistis, ut magna gesta Pauli, atque præclara, quæ juxta quorumdam suspicionem habere videntur aliquid reprehensionis, in medium proferamus? Etenim inveniemus illum non minus ex his, quam ex cæteris cla-

1 Galat. III, 1. — 2 I Tit I, 12.

rum effici, atque magnificum. Quidnam illud ergo est, quod reprehensibile judicatur? Visus est, inquiunt, aliquando plagas timere : quod certe visus est, quando eum loris milites tutuderunt, neque vero solum tunc, sed alias quoque apud illam purpuræ venditricem, quando etiam causas apud illos movebat, qui eum de carcere jam educere festinabant. Nihil enim aliud ista faciendo, nisi sibimetipsi defensionem parabat, et si quid horum fugeret, ne in ea ipsa rursus incideret, providebat. Quid igitur dicemus? Siquidem nihil eum ita magnum atque mirabilem, ut hæc dicta declarant, quia utique et talem habens animam, id est, non malignitate quadam ac desperatione præcipitem, et corpus cedens plagis, atque verbera contremiscens, non minus tamen, quam incorporeæ Virtutes, omnia illa quæ videntur terribilia despexit, cum hoc tempus exigeret. Quando ergo illum vides extentum ad plagas, atque metuentem, illorum recordare verborum, per quæ transcendit ad cœlum, Angelisque certavit, dicendo : « Quis ergo nos separabit a charitate Christi? tribulatio, » an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an » periculum, an gladius[1]? » illorumque verborum memento, quibus omnia quæ patitur, nihil esse pronuntiat, dicens : « Quod enim in præsenti est momentaneum ac leve » tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus nobis quæ videntur, sed quæ non videntur[2]. » Adde his quotidianas tribulationes, imo singularum mortes dierum, atque ista perpendens, admirare Paulum, et de te desperare desiste. Hæc enim quæ videtur infirmitas esse naturæ, ipsa est maximum ejus virtutis indicium, quia talem se utique præstabat, etiam cum multarum rerum necessitate torqueretur. Quoniam enormitas periculorum

[1] Rom. VIII, 35. — [2] 2 Cor. IV, 17.

hanc de illo multis opinionem suggesserat, et suspicari eos profecto fecerat, quod super humanam naturam ille proficiens, tantus exsisteret : idcirco tribulari permittebatur, ut disceres, quia cum secundum naturam unus esset de pluribus, propter voluntatem non solum supra multos homines, verumetiam unus esset ex Angelis. Cum tali etiam anima, talique corpore mortes mille tolerabat, despiciebat præsentia, contemnebat futura clara illa atque magnifica verba resonabat : « Quoniam optavi, inquit, ego » ipse anathema esse a Christo Jesu pro fratribus meis, » qui sunt cognati mei secundum carnem[1]. » Possibile est enim Dei jussa perficere, si modo velimus omnem naturæ trepidationem alacriter virtute superare, nihilque impossibile est eorum, quæ a Christo hominibus imperantur. Si enim, quantum est in nobis velimus virium exprimere, maximum etiam nobis Deus adjungit auxilium, atque ita, etsi omnia in nos adversa concurrant, tuti tamen in medio periculorum, intactique servabimur. Neque tamen metuere plagas reprehensione dignum est, sed propter plagarum metum aliquid indignum pietate committere. Hoc ipso enim, quo plagas timet, qui in certamine non vincitur, admirabilior ostenditur, quam ille qui non timet. Magis enim in isto virtus refulget, cum vicerit etiam illa quæ timuit. Nam plagas formidare, naturæ est : nihil autem indecens plagarum timore committere, voluntatis naturam infirmam juvantis est, ejusque imbecillitatem sua virtute superantis. Sic nec mœrere culpabile est, sed per mœrorem aliquid aut facere, aut dicere eorum quæ Deo displicent. Quod si ego Paulum fuisse hominem denegarem, merito mihi has fragilitates naturæ ejus opponeres, quibus nostrum posses refutare sermonem. Si vero ipse dico atque confirmo, quia homo quidem fuit, et nulla nobis etiam

[1] Rom. IX, 3.

naturæ conditione præstantior fuit, tamen melior voluntate : frustra mihi ista proponis, imo non frustra, sed omnino pro Paulo, et hinc potissimum qualis ille fuerit, ostendis, qui in tali natura vivens potuit quodammodo esse supra naturam. Non autem illum tantummodo extollis : sed etiam consuis ora torpentium, seseque in desidiam reclinantium, non eos sustinens ad eminentiam confugere naturæ, sed impellens ad studium voluntatis. Sed et mortem, inquis, aliquando pertimuit : sed hoc quoque profecto naturæ est, et tamen rursus hic ipse qui mortem timuit, dicebat : « Nam quamdiu sumus in » hoc tabernaculo, ingemiscimus gravati[1] : » Et rursus, « Nos ipsi intra nos gemimus[2]. » Videsne quam æquiparantem e diverso naturali infirmitati virtutem opposuerit voluntatis? quia et Martyres plurimi cum ducerentur ad mortem, sæpius palluerunt, et timore ac trepidatione completi sunt. Sed hoc ipso præcipue mirabiles comprobantur, quoniam illi ipsi qui mori timuerunt, mortem tamen propter Christum minime refugerunt. Sic et Paulus, qui cum mortem timeret, ne ipsam quidem recusabat gehennam, qui propter desiderium Christi, etiam cum formidaret interitum, tamen cupiebat resolvi. Non autem hic solus talis fuit, sed ille quoque qui fuit Apostolorum caput, qui sæpe dixerat paratum se esse pro Christo animam tradere, et tamen mortem vehementer horruerat[3]. Audi igitur quid ei super hoc Christus loquitur : « Cum autem » senueris, alius te cinget, et ducet quo non vis[4] : » naturæ infirmitatem exprimens, non voluntatis. Siquidem natura nobis invitis quoque ostendit sua, et infirmitates ejus superare non possumus, nec si valde, studioseque cupiamus : nec culpamus istud, quia utique inde nihil lædimur, imo inde magis sumus admirabiles. Non enim

[1] 2 Cor. v, 4. — [2] Rom. viii, 23. — [3] Matth. xxvi. — [4] Joan. xxi, 18.

crimen est mortem timere : imo e contrario, quanta laus est, cum mortem timeas, nil turpe, atque servile perpeti per timorem? Non enim naturam habere infirmitatibus subditam, sed servire infirmitatibus, criminosum est : ut merito magnus ille habeatur atque mirabilis, qui imbecillitatem naturæ voluntatis virtute superaverit : et hoc ipso ostendit quanta sit liberæ voluntatis potestas, obstruitque ora dicentium, cur non natura boni facti sumus, nec cum ipsa virtute progeniti? Quid enim refert natura esse, quod potest effici voluntate? imo tanto est melius sponte esse bonum, quam sorte, quanto utique præstat coronis et amplissima laude decorari, quam penitus nil mereri. At est firma natura. Imo si velis voluntatem fortem habere atque robustam, hoc illo plane fit firmius. An vero non vides concisa Martyrum corpora, ferroque cedentia, nec tamen cedere, aut vinci in aliquo voluntatem? An forte non spectasti etiam Abraham voluntate naturæ impedimenta superantem, quando utique unigenitum filium jussus est immolare, cum certe tunc natura quasi fortiori cesserit voluntati[1]? Nonne vidisti id ipsum in illis tribus pueris accidisse[2]? Nonne etiam audisti illud antiquum, et sæculare proverbium, quod fiat ex consuetudine secunda natura? Ego vero dixerim, quod etiam prima, sicut superius dicta docuerunt. Vides igitur et haberi posse illam, quæ in natura est, firmitatem, si sit voluntas fortis, ac vigilans : et quod majore laude sit dignus qui esse vult bonus, quam ille qui cogitur, hoc est enim esse præcipue bonum. Itaque cum dicit : « Castigo corpus meum, et in servitutem » redigo : timeo enim ne cum aliis prædicavero, ipse re- » probus efficiar[3] : » tunc illum maxime meritis honoro præconiis, videns non eum sine labore implesse virtutem : ne ii qui post eum essent futuri, argumentum ad desi-

[1] Gen. XXII. — [2] Dan. III. — [3] 1 Cor. IX, 27.

diam ducerent illius in bono facilitatem : et cum rursus dicit : «Mundo crucifixus sum[1], » voluntatem ejus corono. Potest enim, potest, inquam, naturæ fortitudinem virtus voluntatis imitari. Nam si vel hunc ipsum adducamus in medium, qui est quædam, ut ita dixerim, statua virtutis : inveniemus quoniam bona quæ illi inerant voluntate, in naturæ ea firmitatem certavit inducere. Dolebat quidem ille verberatus, sed non minus incorporeis potestatibus ipsos contemnebat dolores : sicut ex ipsius verbis animadverti potest, quæ nec de nostra putatur proferre natura. Quando enim dicit, «Mihi mundus crucifixus est, et ego » mundo[2] : » et rursus « Vivo autem jam non ego, vivit autem » in me Christus[3] : » quid aliud videtur dicere, quam quod etiam ex corpore ipso animi virtute migraverit ? Quid vero datur carni, cum procul dubio dicit : « Datus est mihi sti- » mulus carnis meæ angelus Satanæ[4] ? » Hoc autem nihil est prorsus aliud quam ostendere contempsisse dolorem se corpore sentientem, non quia non ingrederetur animum, sed quia magnitudine voluntatis excluderet eum, atque depelleret. Cum vero alia plurima his mirabiliora dicat, et gaudeat verberatus, et glorietur catenatus, quid aliud quispiam dixerit, quam istud, quod ipse memoravi ? Quoniam dicendo quidem : « Castigo corpus meum, et in ser- » vitutem redigo : timeo enim, ne cum aliis prædicaverim, » ipse reprobus efficiar[5], » ostendit naturæ infirmitatem : per ista vero, quæ dixi, voluntatis nobilitatem. Idcirco enim utrumque positum est, ut neque propter illa magna, alterius eum opineris esse naturæ, et ipse de virtute desperes : neque per ista parvula, sanctam illam reprehendas animam : sed hinc quoque desperationem rursus excludens, ad meliorem spem te ipsum reducas. Propterea rur-

[1] Galat. VI, 14. — [2] Ibid. — [3] Id. II, 20. — [4] 2 Cor. XII, 7. — [5] 1 Cor. IX, 27.

sus adjungit etiam id quod Dei esse gratiæ proprium confitetur, et quidem exaggerando, atque cumulando. Sed grato erga Deum animo facit, piaque sententia, ne quid scilicet suum esse credatur. Dicit autem etiam quod ad ipsius pertinet voluntatem, ne in Deum cuncta projiciens dormire malis ac stertere. Omnium namque mensuras, ac regulas apud eum invenies. Sed maledixit aliquando, inquis, Alexandro ærario[1]. Et quid illud spectat ad vitium? Non enim fuit huic sermo iracundiæ, sed potius doloris, qui certe ortus est de veritatis injuria. Non enim propter se ipsum dolebat, sed quia prædicationi ille restiterat. Valde enim, inquit, restitit, non mihi, ait, sed verbis nostris. Ut et suum erga veritatem exprimeret affectum: et non solum illum cui scribebat, sed certe his quoque discipulos solaretur. Quoniam enim satis consequens erat scandalizari omnes, nihil patientibus adversariis veritatis, idcirco, et ei qui repugnaverat, Dei comminatus est ultionem. Sed oravit adversus aliquos, dicens: «Si tamen »justum est apud Deum retributionem reddere his, qui »nos tribulant[2]:» non illos pœnas luere concupiscens, sed eos qui affligebantur consolari studens: propter quod et infert: «Et vobis qui tribulamini, requiem nobiscum[3].» Cæterum cum ipse aliquid triste perpetitur, audi quam alta patientia philosophetur, et propter mala bonam vicem reddat inimicis. «Maledicimur, inquit, et benedicimus: »persecutionem patimur, et sustinemus: blasphemamur, »et obsecramus[4].» Si autem quæ pro aliis facta vel dicta sunt, iracundiæ dicas fuisse, potes dicere et Elymam magum per iracundiam excæcatum, injurioseque correptum[5]; Ananiam quoque et Sapphiram per iracundiam a Petro interfectos exclamabis[6]. Sed quis est ita stultus et vecors,

[1] 2 Tim. IV, 14. — [2] 2 Thess. I, 6.— [3] Ibid.— [4] 1 Cor. IV, 12.— [5] Act. XIII, 3. — [6] Ibid. 5.

ut hoc audeat suspicari? Alia quoque plurima invenimus eum dixisse, atque fecisse, quæ ad speciem videntur onerosa. Verum hæc ipsa sunt, quæ præcipue modestiam ejus ostendunt[1]. Etenim cum Satanæ tradit eum, qui Corinthi fuerat fornicatus, cum multa hoc efficit charitate, plenoque amoris animo, idque ex secunda epistola evidenter ostendit : et e regione cum Judæis minatur, ac dicit, «Pervenit in eos ira Dei[2]:» non utique furore plenus id loquitur, quem audimus pro ipsis frequenter orantem, sed deterrere eos studens, per quæ eos redderet meliores. Sed sacerdoti, inquis, irrogavit injuriam, dicens : « Percutiet » te Deus, paries dealbate[3]. » Novimus quidem quod de hoc loco aliqui satisfacientes, loco prophetiæ velint esse quod dictum est : nec culpo dicentes : etenim istud evenit, sicque defunctus est. Si quis tamen acrior insurgat inimicus, et curiosius reparans quæstionem, contradicat, ac referat[4]: nonne noverat, quia summus erat sacerdos? Hoc utique dicemus, quoniam erudiens alios erga eos qui in potestate sunt modestius conversari, atque monens, ipse quoque huic voluit obtemperare, sicut et Christus fecit, qui certe cum Scribis mille fanda atque nefanda dixisset, ait tamen : «Super cathedram Mosi sederunt Scribæ et »Pharisæi, omnia ergo quæ dicunt vobis, facite : secun» dum autem opera eorum nolite facere[5]. » Ita igitur et hic Paulus, et conservavit pontificis dignitatem, et quod futurum erat ante prædixit[6]. Quod si Joannem a consortio separavit, et hoc utique rectissime pro communi officio prædicationis effecit. Eum siquidem qui istud suscipit officium, non oportet mollem esse quemdam atque resolutum, sed fortem, et per cuncta robustum. Neque enim saltem

[1] 2 Cor. v, 5. — [2] 1 Thess. II, 16. — [3] Act. XXIII, 3. — [4] *Gr.* Si prophetia erat, quare se excusabat, dicens, *Nesciebam quod esset Summus Sacerdos?* — [5] Matth. XXIII, 2. — [6] Act. XV, 38.

attingere quisquam debet præclari hujus muneris functionem, nisi paratus sit millies animam suam tradere in mortem, atque discrimina. Dicit enim ipse Dominus Jesus : « Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, » et tollat crucem suam, et sequatur me[1]. » Qui ergo non tali animo est, multos etiam alios suo perdit exemplo, magisque utile est si quiescat, sibique tantum vacet, quam si procedat in medium, et onus suis viribus majus assumat : sic enim non propriam solum, sed etiam multorum sibi creditorum prodit salutem. Et revera quomodo non absurdum est, ut cum aliquis nesciat artem gubernandi pugnandique cum fluctibus, nec si mille rebus adigatur, eligat ad clavum sedere : et ille qui ad prædicandi pergit officium, temere ad istud et utcumque contingit, accedat, atque innumerabilium rerum curam absque ulla consideratione suscipiat? Non itaque navium gubernatorem, non ad bestias dimicantem, non ludo gladiatorio destinatum, non alium quempiam omnino sic ad discrimina et mortes paratam atque expositam oportet habere animam, ut eum qui suscipit officium prædicandi. Nam et pericula profecto majora, et adversarii sæviores, et non unum quoddam mortis genus incumbit, nec usquam prorsus simili conditione certatur. Cœlum namque hic in præmio, in supplicio autem gehenna proponitur, et æterna animæ salus, atque perditio. Non solum autem eum qui prædicationi accingitur, sic oportet parari, sed quemcumque, vel simpliciter Christianum : nam crucem tollere, et sequi Christum omnibus imperatur. Si autem cunctis, multo magis doctoribus populi, atque pastoribus, quorum ex numero etiam Joannes tunc erat, qui dicebatur et Marcus : qui, quoniam se in ipsa aciei fronte constituens, nimis inviriliter egerat, eum merito Paulus abjecit, ne illius

[1] Matth. XVI, 24.

quasi contagione vires corrumperentur aliorum[1]. Si vero Lucas refert, quoniam aliqua inter ipsos facta est contentio, noli hoc delictum putare. Non enim commoveri malum est, sed irrationabiliter, nulloque justo flagitante negotio commoveri. « Iracundia, inquit, injusta non justificabitur[2] : » non ergo culpatur simplex iracundia, sed injusta : et rursus : « Qui iratus fuerit fratri suo sine causa[3]. » Non ergo simpliciter iratus ; et Propheta dicit : « Irascimini, et nolite peccare[4]. » Quod si omnino hujusmodi uti non oportet affectu, etiam cum tempus exposcit, frustra nobis videtur ingenitus : sed profecto non frustra, quem certe providus nobis creator inseruit, ut dormientes animas, atque resolutas ab inertia ac desidia suscitaret. Quasi enim gladio aciem, ita menti nostræ iræ acumen imposuit, ut eo, cum oportet, utamur. Propterea igitur et Paulus hoc sæpe est usus affectu, et modeste loquentibus erat melior iratus, cum tempore omnia faciens opportuno, pro lucro et commodo prædicandi. Neque enim simpliciter lenitas semper est bona, sed cum illam tempus efflagitat : quando vero id non adest, etiam ista vitiosa est, fitque ira contumacia. Hæc vero omnia non pro Paulo satisfaciens sum locutus : non enim nostri ille indiget sermonis, laus enim ejus non ex hominibus, sed ex Deo est ; sed quo auditores erudiamus, ut omnibus ad opportunitatem utantur affectibus, sicut jam ante memoravi. Sic namque poterimus undique spiritualium lucrorum incrementa colligere, cumque maximis divitiis ad portum tutissimum pervenire, et consequi indeficientes coronas, quas etiam nos omnes contingat mereri, gratia et misericordia Domini nostri Jesu Christi, cui est gloria et imperium, in sæcula sæculorum, amen.

1 Act. XIII. — 2 Matth. V, 22. — 3 Psal. IV, 5. — 4 Ephes. IV, 22.

HOMILIA VII

De laudibus sancti Pauli apostoli.

Quoties ii[1], qui portant signa regali clangente ante se tuba, et acie militum præeunte, ingrediuntur urbes : omnis populus consuevit accurrere ad audiendum buccinæ sonum, vel signum quod in sublime fertur videndum, ipsius etiam virtutem ferentis. Quoniam igitur et hodie non urbem, sed orbem Paulus ingreditur, concurramus omnes. Etenim iste non signum terreni alicujus regis, sed in cœlo regnantis Christi crucem portat, præcedunt non hominum, sed Angelorum catervæ : non solum in honorem ejus signi quod fertur, sed etiam in ejus, a quo fertur, auxilium. Si enim propriam tantummodo vitam regentibus, nihilque pro communi utilitate facientibus, Angeli ab omnium Domino deputati sunt, sicut ait unus ex justis, « Angelus qui » eruit me a juventute mea[2] : » multo magis his, quibus totius orbis cura commissa est, taliumque donorum onera portantibus, Virtutes adsunt superuæ. Et illi quidem qui in exercitu hoc honore donati sunt, ornantur veste pretiosa, aureis torquibus colla subnixi, nitentes undique, et undique refulgentes : iste vero catena pro torque circumdatus, gestat crucem, et persecutionem undique sustinens, famem ubique perpetiens. Sed nihil est, dilectissime, quod ex hujuscemodi sermonibus ingemiscas. Siquidem iste ornatus multo est illo melior et clarior, atque amicior Deo, propter quod et portans minime laborabat. Hoc est nam-

[1] Vide D. Guillon, tom. XVI, p. 525-527. — [2] Gen. XLVIII, 16.

que mirabile, quia cum vinculis, verberibus, atque vulneribus longe splendidior erat diademate purpuraque fulgentibus. Quod enim esset vere clarior, et quia non ad sonum tantummodo ista dicantur, ipsius vestimenta docuerunt. Nam si mille diademata, totidemque purpuras ardenti febribus superponas, ne modicum quidem flammæ ejus valebunt extinguere. At vero hujus semicinctia, ægrotantium admota corporibus, morbos omnes fugabant. Si enim latrones videntes signum illud militare, non irruunt, sed aversi repente diffugiunt: multo magis et ægritudines et dæmones Christi signo apparente fugiebant. Sic autem Paulus ferebat hoc signum, non ut solus illud portaret, sed ut omnes quoque tales esse doceret, ac faceret: propter quod clamat, atque dicit: « Imitatores mei estote, sicut » habetis formam nos[1]. » Et rursus, « Quæ vidistis et au- » diistis in me, hæc agite[2]: » et rursus, « Vobis donatum est, » non solum ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo pa- » tiamini[3]. » Etenim præsentis vitæ dignitates tunc clariores videri solent, quando in uno tantum homine constiterint: in spiritualibus vero e contrario, tunc magis splendent honores, cum sibi plurimi eorum communione sociantur, cum non unus est particeps dignitatis, sed multos habet, qui eisdem honoribus perfruantur. Vides igitur hic omnes esse signiferos, et Christi nomen unumquemque gestare in conspectu gentium atque regum, ipsum vero Paulum etiam cum sibi anathema optat, atque supplicium. Sed non hoc præcepit et cæteris, quod certe illi portare non poterant. Vidistis nempe quantæ nostra sit natura capax virtutis, quam nihil sit homine pretiosius, et adhuc utique mortali. Quid enim mihi hoc majus, imo quid poteris saltem æquale memorare? Quantorum non iste, quæso, honore dignus est Angelorum, qui hoc verbum potuit ef-

[1] Philip. III, 17. — [2] Id. IV, 9, — [3] Id. I, 29.

fari? Qui enim in temporali hoc atque mortali corpore constitutus, cuncta etiam quorum non erat dominus, pro Christo non dubitat offerre, hic si incorporeæ fuisset naturæ, quid tandem dicere, quid autem facere distulisset? Nam et Angelos propterea miramur, non quia incorporei sunt creati: siquidem cum diabolus sit incorporeus et invisibilis, est tamen omnibus infelicior: quia factoris Dei meruit offensam. Hinc etiam homines infelices vocamus, non quia videmus eos carne circumdatos, sed cum non ea, ut oportet, utuntur: alioquin et carne induebatur Paulus. Unde igitur talis emersit, et tantus? Et ex proprio videlicet, et ex Deo: et idcirco ex Deo, quia de proprio. Non enim est personarum acceptor Deus. Si autem dixeris, Et quemadmodum illum imitari possibile est? disce quid dixerit: « Imitatores mei estote, sicut et ego Christi[1]. » Ille ipsius Christi effectus est imitator, tu vero nec Apostoli conservi. Ille Domini æmulator fuit, tu autem neque conservi: et quam tandem poteris negligentiæ tuæ umbram obtendere? Quemadmodum vero eum imitatus sit, ostendit. Idque ab initio considera et ab ipsis principiis. Quando enim ex illis salutaribus emersit fluentis, tanto igne plenus exivit, ut nec necessarium sibi putaret magistrum. Non enim expectavit Petrum, nec venit ad Jacobum, neque ad alium omnino quemquam: sed propria alacritate raptus, ita totam illam, in qua fuerat baptizatus, prædicatione sua inflammavit urbem, ut sævissimum contra se Judæorum prælium concitaret. [Violentissimum enim persecutorem Christus in ardentissimum repente prædicatorem immutaverat[2].] Siquidem etiam cum Judæus esset, supra dignitatem suam multa faciebat, alligans, abducens, trahens in publicum Christianos. Sic etiam Moses cum a

[1] 1 Cor. XI, 1. — [2] Hæc quæ uncinis clauduntur, in Græco non extant.

nullo in principatum populi ordinatus fuisset, contribules suos tamen a Barbarorum iniquitate defendit. Hæc enim sunt fortis cujusdam ac virilis animi certa documenta. Hoc signum propriæ liberæque sententiæ, nequaquam in aliorum afflictionibus tenere patientiam : sed benigne atque constanter tueri eos, qui opprimuntur, etiamsi[1] nullo in hoc ordinetur officio. Quia vero juste opus arripuerat principatus, Deus hanc ei postea contulit dignitatem. Id ipsum autem servavit in Paulo : qui quam recte faceret ultro arripiens initia sermonis atque doctrinæ, Deus similiter ostendit, cito doctoris eum honore sublimans. Si enim magisterii atque primatus adipiscendi gratia ad procuranda tanta negotia prosiluissent, consequenter essent de ambitione culpabiles. Cum vero pericula utrique diligerent, mortesque in se undique procurarent, ut alios acquirerent in salutem : qui tam aperte infelix est, qui tantæ devotionis studium criminetur? Quod enim aliorum amantes salutem ista perfecerint, et sententia declaravit Dei, et eorum perditio, qui male istum concupierunt honorem. Irruerunt siquidem tunc et alii in hujusmodi principatum, sed potius interempti sunt : nam alterum quidem lapsus de cœlo exussit ignis, alterum subitus terræ hiatus absorbuit. Non enim propter defensionem populi ista faciebant, sed ob gloriam dignitatis. Irruit et Ozias, sed lepra commaculante punitus est[2]. Irruit etiam Simon, sed reprobatus est, et mori periclitatus[3]. Irruit vero etiam Paulus, sed apostolatus gloria coronatus est. Non enim in sacerdotium nec honorem, sed in ministerium irruit ac labores : maximeque in hoc zelo et alacritate properavit : propterea prædicatur, propterea continuo clarus efficitur. Sicut enim qui princeps fuerit ordinatus, nisi digne impositum sibi administret officium, meretur etiam majora supplicia :

[1] *Fort.* a nullo. — [2] 2 Paral. XXVI. — [3] Act. VI I.

sic alter etsi non ordinetur quidem, suscipiat tamen, et sicut oportet impleat, non dico sacerdotium, sed sollicitudinem curamque multorum, omni profecto est honore dignissimus. Propterea igitur ne unum quidem diem in otio passus est et quiete transire hic in prædicandi ardore, ipso igne vehementior : sed simul ut salutifero ex fonte conscendit, plurimamque in se flammam ipse succendit, non pericula timuit, non irrisiones erubuit et opprobria Judæorum, neque sermonem suum ab illis respui indignanter tulit; non aliud quidquam horum simile cogitavit, sed alios accipiens oculos, utique charitatis, aliamque mentem, multo cum impetu instar torrentis irrupit : omnia pariter Judæorum trahens atque convolvens, et ex Scripturis ipsum esse Christum evidenter ostendens. Et certe nondum in eo tam multa gratiæ munera coruscabant, nondum tanta fuerat spiritus illuminatione donatus : sed tamen inflammata continuo voluntas, mortificataque anima cuncta faciebat, et quasi semper satisfaceret Deo de tempore jam peracto, sic gerebat omnia, sic lucra spiritalia undique colligebat in locum, qui esset belli pars maxima, et laborum, periculorumque plena, fidenter insiliens. Hoc vero majore quoque admiratione dignum est, quod cum tam esset audax, ac velut ad pugnam semper accinctus, et ignem quemdam bellicum spirans : ita rursus placabilem ac flexibilem se præbebat magistris, ut nunquam eos, vel in tanto illo impetu alacritatis offenderet. Itaque ferventi tunc, vel potius furenti præceperunt, ut iret Tarsum atque Cæsaream, nec tamen renuit. Dixerunt, quia eum per murum deponi oporteret, et passus est. Dederunt consilium ut caput raderet, non restitit. Suaserunt ne in theatrum ingrederetur, et cessit. Ita se huic rei totum dedicaverat, ut omnia pro fidelium utilitatibus libenter accipe-

ret, pro ipsorum ædificatione, pacem, consensum, dispensationem, concordiam diligendo, et eumdem se ac semper æqualem prædicationi ubique servando. Cum igitur audis, quod sororis filium miserit ad Tribunum, volens de periculis liberari, et quod appellet Cæsarem, quodque Romam ire festinet, nequaquam putes verbum esse formidinis. Qui enim gemebat in hac se adhuc esse vita, annon potius eligebat esse cum Christo? Qui et cœlum propter ipsum despiciebat et Angelos, quo tandem pacto hæc præsentia diligebat? Cujus igitur rei gratia ista faciebat? procul dubio ut diutius prædicationi insisteret, cumque multis hinc credentibus, atque omnibus coronatis iret ad Christum. Nam profecto metuebat, ne pauper hinc, atque inops multorum salutis abscederet. Et idcirco dicebat : « Permanere » autem in carne necessarium est propter vos[1]. » Propterea ergo cum videret meliorem pro se in judicio processisse sententiam, ipsoque dicente Festo, « Absolvi poterat homo » iste, nisi appellasset Cæsarem[2] : » vinctus tamen, cumque plurimis vinctis, qui mille facinora commiserant, ductus, non erubuit cum illis ligari, quinimo omnium simul navigantium curam gerebat, sui quippe securus, seque tutum satis esse certissimus. Cumque vinctus per tam vastum pelagus duceretur, ita gaudebat tamen, tanquam in maximum duceretur imperium. Etenim non parvum illi præmium urbis Romæ conversio proponebatur. Verum ne illos quidem, qui pariter navigabant, despectui habendos putavit : sed illis quoque veritatis suavitate modulatus est, indicans sibi divinos apparuisse vultus, et ea, quæ fuerant sibi dicta, commemorans : id est, « Tibi donavi homines » istos[3]. » Hoc vero faciebat, non se ipsum arroganter extollens, sed illos sibi ad persuasionem fidei parans. Propterea et Deus permisit pelagus commoveri, ut per id quod

[1] Philip. I, 24. — [2] Act. XXVI, 32. — [3] Id. XXVII, 21.

auditus non est, et per id quod auditus est, spiritualis Pauli gratia panderetur. Nam et cum dedisset consilium, navigandum non esse, contemptus est, ventumque est usque ad extrema discrimina[1]. Verum ne contemptu quidem eorum factus est onerosior : sed rursus, quasi pater filiis providebat agebatque omnia ne quisquam periret. Postquam vero Romam ingressus est, ibi quoque quanta cum modestia annuntiat veritatem, quanta etiam cum libertate obstruit ora impiorum? Verum nec ibi stare contentus, etiam in Hispaniam percurrit. Cum autem sæpius varia pericula sustineret, confidebat magis atque fiebat audacior : nec ipse solum, sed etiam discipuli propter ipsum, qui ejus utique firmabantur exemplo. Quemadmodum enim si eum remissiorem, segnioremque vidissent, ipsi etiam fortasse fuissent mœrore dejecti : ita qui illum fortiorem factum esse cernebant, et inter injurias atque plagas constantiæ sæpe virtute crescentem, ipsi quoque cum majore fiducia prædicabant: idque significans ait, « Ita ut plures e fratribus confidentes vinculis meis, abun» dantius auderent sine timore verbum Dei loqui[2]. » Si enim dux militiæ fuerit fortis ac robustus, non modo cædens atque prosternens : verum etiam vulnere ipse percussus, subditos suos efficit fortiores, magisque hoc præstat vulneratus ipse, quam vulnerans. Cum enim ii qui sub tali pugnant magistro, viderint inflicta vulnera, fluentem sanguinem, et nec sic quidem illum hostibus aliquando cedentem : sed stantem fortiter, hastasque vibrantem, et crebris certisque ictibus in adversarios proruentem, nec omnino quidquam parcentem dolori, majore absque dubio tanto duci alacritate subduntur. Hoc itaque factum et Paulo. Videntes enim illum ligatum catenis, et nihilo minus in carcere prædicantem, videntes etiam verbera-

[1] Act. XXVII, 21. — [2] Philip. I, 14.

tum, et tamen verberantes ipsos sermone capientem, majorem profecto fiduciam colligebant. Et idcirco non dixit simpliciter confidentes; sed ita, ut abundantius auderent sine timore verbum Dei loqui: Magis, inquit, modo quam cum essem liber a vinculis fratres prædicabant fiducialiter. Tunc enim certiorem alacritatem et ipse capiebat, ac vehementius in adversarios ferebatur, et incrementa persecutionis, majoris illi fiebant causa constantiæ. Inclusus est quidem in carcere, tantumque in eo virtutis refulsit, ut etiam fundamenta quaterentur, et ostia panderentur. Custodem quoque tunc ipsum carceris ad fidem transtulit[1], judici pene persuasit, ita ut ipse diceret: « In modico me » suades Christianum fieri[2]. » Rursus cum lapidaretur[3], plenam populi civitatem fidei luce donavit: et vocabant eum quasi judicaturi Judæi, tunc etiam Athenienses facti sunt ex adversariis subditi, et ex judicibus repente discipuli. Sicut enim ignis in diversas plerumque materias incidens augetur magis, et ex subjecta sibi substantia incrementa sortitur: sic etiam lingua Pauli, quibuscumque fuisset admota, ad se ipsum eos continuo transferebat. Impugnatores quoque ejus celeriter ipsius verbo capti pabulum quoddam spiritali huic efficiebantur igni, perque ipsos magis Evangelii fama crescebat, idcirco dicebat: « Alligatus sum, sed verbum Dei non est alligatum[4]. » Fugabant eum frequenter inimici, et quantum quidem ad rem spectat, persequebantur: quantum vero ad eventum rei, aliis mittebant magistrum qui eo carebant: quodque faciebant amici atque concordes, hoc velut studio exequebantur inimici, nunquam sinentes eum in una habitaculum regione collocare, sed persecutionibus, insidiisque pellentes, per cunctas omnino provincias medicum circum-

[1] Act. XVI. — [2] Id. XXVI, 29. — [3] *Gr.* lapidantem civitatem. — [4] 2 Tim. II, 9.

ducebant, ut omnes videlicet salutaria ejus linguæ remedia sentirent. Rursus alligaverunt eum, sed acrius in defensionem fidei discipulos concitarunt, persecuti sunt, et non habentibus miserunt magistrum. Ad majus judicium provocaverunt[1], sed uberius Judæi beneficium contulerunt, propter quod et Judæi dicebant de Apostolis dolentes : « Quid faciemus istis hominibus[2] ? » Per quæ enim eos opprimere volumus, per ea ipsa provehimus. Tradiderunt custodi carceris, ut eum diligenter ligaret, sed ipse a Paulo arctius alligatus est[3]. Cum reis atque vinctis eum miserunt, ne aufugeret ; at ille vinctos Christiana doctrina imbuit. Imposuerunt eum navi, ut plane etiam nolentes ocyus iter ejus facerent explicari, accidensque naufragium factum est cum Apostolo navigantibus causa doctrinæ. Minabantur mille supplicia, ut ignem prædicationis extinguerent, qui e contrario magis inde crescebat. Et sicut de Domino dixerunt, « Occidamus eum, ne veniant Romani, et tollant » locum nostrum atque gentem[4], » acciditque contrarium : nam quia occiderunt eum, propterea Romani et gentem eorum et civitatem tulerunt : et quæ putabantur impedimenta prædicationis, fortia efficiebantur auxilia. Sic etiam prædicante Paulo, quæ adversarii ad opprimendum intulere verbum, hæc illud ad ineffabilem quamdam altitudinem sublevarunt. Super his vero omnibus gratias bono tantarum rerum auctori agamus Deo, glorificemus Paulum, per quem ista completa sunt. Oremus etiam, ut ipsi quoque eisdem perfruamur bonis, gratia et misericordia Domini nostri Jesu Christi, per quem et cum quo gloria Patri, cum Spiritu sancto in sæcula sæculorum. Amen.

[1] *Gr.* Sed majori profuere civitati. — [2] Act. IV. — [3] Ibid. 26. — [4] Joan. XI, 48.

SERMO

In Petrum Apostolum et in Heliam Prophetam.

I. Pauci hodie nobis adsunt: quid in causa est? Martyrum memoriam celebramus, et nemo accessit. Viæ spatium in segnitiem conjecit; imo potius non viæ spatium, sed ignavia impedimento fuit. Sicut enim virum studiosum et animo solertem nihil detinere potest, ita segnem ac remissum omnia impedire possunt. Martyres proprium sanguinem pro veritate fuderunt, et tu ne tantillum quidem itineris contemnis? Illi pro Christo caput dederunt, et tu ne extra urbem quidem pro Domino vis egredi? Dominus pro te mortuus est, et tu segnem erga Dominum te exhibes? Memoria martyrum adest, tu vero remissus jaces? Adsis oportet, ut videas diabolum superatum, martyrem victorem, Deum gloria celebratum, Ecclesiam coronatam. Sed illorum hæc excusatio est, Peccator sum, atque ideo accedere non possum. Atqui ea ipsa de causa quod peccator sis, accede ut ne a justitia excidas. Quis autem hominum, dic mihi, sine peccato est? Sed propterea sacrificium et Ecclesia, propterea preces ac jejunia: quoniam multa sunt animæ vulnera, ideo multa medicamenta excogitata sunt, et ad singula vulnera singula ipsi congruentia medicamenta sunt præparata. Habes Ecclesiam sacrificia offerentem, orationes patrum, administrationem Spiritus sancti, Martyrum memorias, sanctorum congregationem, et similia multa, quæ te a peccato ad justitiam revocare possint. Non accessisti ad precationem martyrum, ecquam habes veniam? Nihil asperum in

medio positum est, et tamen a martyrum conventu cohibitus es? At sæcularis te cura detinuit? Hinc majus crimen. Ne brevem quidem horam Deo fœnerari voluisti, ut integrum diem acciperes? Peccator sum, inquies, neque id possum. Quia peccator es, ideo ingredere. An ignoras illos etiam, qui altari astant, peccatis esse obnoxios? Carne sunt induti, et ex sanguine constituti: neque tamen recusamus doctrinam impertire, ad Dei benignitatis pelagus respicientes. Vos quidem peccatores si ingrediamini, non tantum est crimen; nam sub disciplina estis: nos vero quanto majore sumus dignitate, tanto magis rei. Aliud enim est discipulum, aliud doctorem peccare. Attamen non recusamus, nec humilitatis obtentu in segnitiem cadimus. Et illud ex divina dispensatione factum est, ut sacerdotes ipsi in peccata labantur. Audi quomodo res se habeat. Si doctores et sacerdotes non peccarent, neque vitæ affectibus obnoxii essent, erga alios inhumani veniam peccantibus non darent: ideo Deus ipsos sacerdotes atque principes affectibus subjectos esse voluit, ut ex suis ipsi morbis ad veniam aliis concedendam flecterentur. Atqui sic semper Deus rem temperavit, non modo nunc, sed etiam olim, eos quibus Ecclesiam et populum concrediturus erat, in peccatum labi permisit, ut ex propriis lapsibus, erga alios humani essent. Si enim ipsi non peccassent, peccantibus veniam non dedissent, sed inhumani prorsus omnes exegissent ab Ecclesia. Quod autem ita res se habeat, neque ex conjectura loquar, age rebus ipsis consideratis dicere pergamus. Petro committendæ erant claves cælorum, eidemque concredenda erat multitudo populi. Quid enim ait illi Dominus? « Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis[1]. »

[1] Matth. XVI. 19.

Erat vero Petrus aliquanto asperior. Quod si impeccabilis fuisset, quam veniam habituri fuissent ii, qui ab illo docendi erant? Propterea hoc disposuit divina gratia, ut in peccatum quoddam incideret: quo ex iis, quæ ipse passus fuerat, humanior in alios redderetur. Ac considera quem in peccatum labi permittat, Petrum illum Apostolorum coryphæum, fundamentum immobile, petram quæ frangi nequit, Ecclesiæ principem, portum inexpugnabilem, turrim inconcussam. Hic ille Petrus est, qui Christo dixit: « Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo[1]. » Petrus qui ex divina revelatione veritatem confessus est: « Tu es Christus filius Dei vivi[2]. » Hic nocte illa, qua traditus est Christus, ingressus est: cum staret ad ignem, ut calefaceret se, puella quædam accedens dixit illi, « Et tu heri cum hoc homine eras[3], » Petrus autem, « Non novi hominem hunc. » Modo dicebas, « Etiamsi oportuerit me mori tecum; » nunc autem negas et dicis, « Non novi hominem hunc? » O Petre? hoccine est quod promiseras? Nondum tormenta, nondum verbera expertus, ad puellulæ vocem ad negandum properasti. Negas, Petre? Nondum cruciatus, nondum flagella, nondum plagæ, non furores, non principes, non gladia acuta, non decreta emissa, non reges minitantes, non mortes expectantur; nondum custodiæ, non præcipitia, non mare, nondum quidpiam hujusmodi, et jam negasti; « Non novi hominem? » Rursus puella ad illum: « Et tu heri cum hoc homine eras. » Ille vero ad ipsam, « Non novi hominem, quem dicis. » Quis est ille qui tibi dixit, Nega? Nemo ex necessariis, sed mulier, et ipsa ostiaria abjecta, captiva, nullius pretii: ipsa dicit, Nega. O res novas! Puella Petrum illum, meretrix ad Petrum accedens, fidem ejus conturbavit. Petrus illa columna non tu-

[1] Matth. xxvi, 35. — [2] Id. xvi, 16. — [3] Id. xxvi, 69.

lit minas; sed solum locuta illa est, et concussa est columna, et propugnaculum fluctuavit. Quem vidisti, Petre, ut negares? Vilem puellam, despicabilem ostiariam. Hæc vidisti et negasti? Rursum tertio: « Et tu heri cum hoc » homine eras; » et tamen tertio negavit. Ac demum ipsum intuitus Jesus, quæ dicta fuerant in memoriam revocavit: qua re intellecta cœpit flere, ac pœnitentiam de peccato agere. Verum tamen veniam illi concessit. Sciebat enim illum hominem humanum quidpiam passum esse. Sed quemadmodum jam dixi, hoc pacto illi concredendus erat populus multus, ut ne severus cum esset, si expers peccati fuisset, a concedenda fratribus suis venia alienus foret. Lapsus est in peccatum, ut et peccatum illud et datam sibi a Domino veniam cogitans, aliis etiam veniam benigne concederet, secundum dispensationem Deo congruentem. Ipse enim in peccatum labi permissus est, cui Ecclesia committenda erat: columna Ecclesiarum, portus fidei, Petrus doctor orbis peccare permissus est, ut hæc permissio humanitatis argumentum aliis proponeretur. Hæc autem cur a me dicta sunt? Quia nos sacerdotes in throno sedentes ac docentes peccatis colligati sumus. Idcirco enim neque Angelo neque Archangelo concreditum est sacerdotium: impeccabiles quippe sunt, ne præ severitate peccantes in populo confestim fulmine ferirent: sed homini ex homine nato commissus hic thronus est, qui et ipse libidine peccatisque colligatus est; ut si quem peccantem invenerit, ex propriis peccatis benignior illi esset. Nam si Angelus esset sacerdos, et quempiam fornicatum deprehenderet, cum ipse huic morbo addictus non esset, statim illum interficeret. Quamobrem si Angelus potestatem sacerdotalem accepisset, non docuisset, sed occidisset ira commotus, quia ipse non hujusmodi esset. Propterea id homini concreditum est, qui peccatorum sibi

conscius, et in his expertus, ignosceret peccantibus, nec moveretur ira, ne per synagogam Ecclesia vacaret.

II. Sed cur in Petro moror hoc tractans argumentum, nec ad aliam ascendo personam? Age alium proferamus in medium, Heliam nempe prophetam, terrenum illum Angelum, hominemque cœlestem: humi ambulantem et cœlestia moderantem, tricubitalem hominem sublimiter gradientem, ad ipsos cœli fornices elatum, aquarum promumcondum, cujus lingua thesaurus aquarum erat, et clavis cœlorum: ipse pauper et dives, idiota et philosophus: pauper quidem, quia nihil possidebat; dives autem, quia nubes imbrium in lingua continebat. Ipse quoque sic asper erga peccatores erat, ut aliquando precaretur ne pluvia caderet. Et quid ait? « Vivit Dominus, si erit pluvia, » nisi per os meum[1]. » Quid facis, Helia? quid pronuntias? Saltem Dominum precare, et sic imple sermonem: « Vivit » Dominus, si erit pluvia, nisi per os meum. » Ubinam sunt hæretici, qui dicunt, Filium Dei precari? Servus jubet, et Dominus rogat? Ne parem quidem illi atque Heliæ honorem tribuis? Annon vis æqualem Domino et servo dignitatem largiri? Non precatur ille neque rogat, sed verbum veritatis profert, et cœlum claudit. Ora primum Helia. Sed quid respondet Helias? Novi Dominum meum me exauditurum esse: zelo motus hoc facio. O rem novam et stupendam! Vidisti Dominum servi benevolentia superatum? Etenim Helias magno zelo motus hoc fecit. Videbat enim multa absurda fieri: videbat fornicationem cum multa malitia conjunctam. Nox erat, quæ totum orbem occupabat: nubes densissima operiebat omnia. Omnes enim ad malum proruebant: universale naufragium erat, non aquarum, sed libidinis: temperantia eliminata, intemperantia triumphabat: virtus pellebatur,

[1] 3 Reg. xvii, 2.

vitium vigebat. Colles, montes, saltus, viæ promptuaria, aër polluebantur: sol offuscabatur, terra fœdabatur, cœlum despiciebatur, creatura omnis ex idololatria infirmabatur. Ceu in nocte omnes ambulabant, non attendentes rerum naturam. Lapidem videbant, et ut deum adorabant: lignum respiciebant, et hoc similiter deum esse putabant. Nox illos densissima occupabat: creatorem videbant, et creaturas adorabant. Helias solus erat, qui lucernam virtutis habebat, in pholosophia ceu in montis vertice sedens, ac se exercens, solus lucerna pietatis instructus: neminem tamen hæc lux juvabat, quod in sopore illi degerent, et idololatria detinerentur. Excandescebat itaque Helias, dissecabatur, lamentabatur, verba fundebat, nemine audiente; hortabatur nemine animum adhibente. Demum zelo commotus, illos castigare et erudire voluit; ut tandem fame tabescentes, precibus ad creatorem adirent, ut fames argumentum pietatis illis esset. Nihil, inquit, illos emendare potest, nisi fames. Sic enim, inquit, undique angustiis coarctati, ad omnium creatorem confugient. Quid igitur Helias? « Vivit, inquit, Dominus, si erit pluvia, » nisi per os meum. » Exiit Prophetæ sermo, et statim aër mutatus est. Cœlum æneum factum est, non mutata natura, sed refrenata ejus virtute. Statim elementa transformata sunt. Cecidit Prophetæ sermo quasi febris quædam in viscera terræ, et omnia statim exarescebant, omnia desolabantur, omnia delebantur. Videbat herbas confestim exarefactas, necnon plantas, arboresque tam fructiferas, quam infructuosas, quæ in campis, quæ versus mare: sicca omnia respiciebat: omnem ætatem anima præditam deficientem: puerorum gemitum, matrum fletum, desperationem multam. Unum Prophetæ verbum exiit, et vide quanta operatum sit. Omnia itaque interibant, feræ, jumenta, infantes, homines, animalia, volatilia

omnia. Universale naufragium, et calamitas, totum simul occupaverat orbem. Nemo servabatur, sed omnes aquarum penuria moriebantur : arescebant plantæ : fontes, flumina, lacus, omnia denique interibant. Universale naufragium totum orbem occupabat, non per aquam, sed per imbrium penuriam. Cœlum ligatum erat, ac penitus cohibebatur, omnemque naturam mutaverat. Omnia itaque moriebantur, et per divinitus immissam iram peribant. Helias vero nihil curabat, zelo enim quasi ebrius erat : omnis igitur vel immatura ætas peribat. Quid facis, Helia? Esto, peccaverint adolescentes, cur infantes castigantur? Esto, peccaverint homines, cur jumenta simul moriuntur? Tanta-ne immanitate indutus es? Nihil curas homines, non uxorem, non filium habes, morientes nihili facis. Quid ergo Deus ad illum? « Vade, inquit, ad flumen » Chorath, et præcipiam corvis, ut te nutriant ibi[1]. » Libenter interrogaverim Judæum in medium adductum, ut ostendam ei, legem ea, quæ legis erant, evertisse, et ipsam neque sibi constare, neque recte procedere. Neque enim veritas erat, sed umbra: illa erant umbra, hæc veritas sunt: illa figura, hæc res sunt. Ille quem colis Helias, quem venturum expectas, de quo multa verba facis, quem Prophetam vocas, ille, inquam, quomodo a corvo nutriebatur? Nam corvus secundum legem impurus est: ipsa lex statuit impurum esse corvum. Quomodo igitur Propheta ab impuro corvo nutriebatur? Si namque lex impurum esse corvum dixit, qui a corvo nutriebatur, impurus sane fuerit. Verum non ita res se habebat, absit. Sed Helias a corvo nutriebatur, nihil eorum, quæ Dominus creavit, impurum existimans. Deinde elapso quodam tempore, cum flumen exsiccatum esset, Prophetam suscitat Deus ad cibum sumendum. « Vade, inquit, in Sarephtha

[1] 3 Reg. XVII, 3.

» Sidoniæ, et præcipiam mulieri viduæ ut te nutriat illic[1]. » Hoc autem dispensatione quadam Deus faciebat: quia Helias non norat ea, quæ tunc fiebant, quippe qui in uno solum loco sederet. Nec videbat illam universi orbis calamitatem, quomodo omnia arefacta essent, paludes, fontes, flumina, plantæ, arbores, fructus maturi, immaturi, arbores fructuosæ et infructuosæ, quæ circa fontes, quæ circa stagna aquarum, volucrum, jumentorum cæterorumque omnium interitum, infantium mortem, matrum ululatus, universi orbis calamitatem. Excitat illum Deus, et immensum terræ spatium peragrare jubet illinc usque ad Sidonem, ut ita cum videret quomodo res se haberent, precaretur Dominum ut daret pluviam. Ideo igitur mittit illum per tantum viæ spatium, non quod non posset eum illic alere, sed quod vellet Heliæ calamitatem illam exhibere, ut pro pluvia preces funderet. Poterat quidem Deus sine Helia hoc facere, sed famulo suo noluit contumeliam inferre, et illum mali, se vero boni auctorem exhibere: sed famuli obsecrationem expectabat. Sed ne ita quidem adhuc ille flectebatur, sed ceu arrogantia quadam usus, iter agebat, nulla motus misericordia, nec quempiam curans: nam, ut dixi, zelo ebrius erat. Cur insanis, Helia? Quare tanta indutus es inhumanitate? Expecta paulisper, et paulo post ipse peccato obnoxius deprehenderis. Ob peccatum incolarum siccitatem advocasti, cœlum clausisti, terram frenasti, naturæ cursum cohibuisti, neque vis rogare Deum pro his auferendis? Brevi et ipse in peccato esse redargueris, veniamque impetrabis a Domino tuo, ut erga conservos tuos humanior evadas.

III. Hodie his de rebus sermonem orsus sum, ut ostenderem, ideo sacerdotem non esse Angelum, sed hominem ex homine natum, ut ne a peccatorum experte, peccantes

[1] 3 Reg. XVII, 8.

interficiantur. Nam si sacerdos esset Angelus peccati expers, peccatores statim plecteret: sed propterea homo est, ut suorum conscius morborum, suæ naturæ consortibus ignoscat. Declaravi postea, Deum, magnos etiam viros, quibus populum multum concrediturus erat, permisisse in peccatum labi, ipsisque veniam largitum esse; ut postea et ipsi ex his eruditi, humaniores evadant. Petrumque in medium adduxi, talem Apostolum, qui in peccatum labi permissus est; sed Dei benignitate peccatum per pœnitentiam delevit. Age ad Heliam redeamus, et recte factorum ejus pelagus ostendamus: quoniam volebat quidem Deus benignitate uti, sed ille nolebat: volebat Deus pluviam dare, sed servi preces requirebat. Quid igitur? Iter perfecit Helias, et venit in Sarephtha Sidoniæ, viditque viduam ligna colligentem. Hic mihi Heliæ philosophiam et fidem animadverte: rursus eum aliud virtutis pelagus excepit. Non dixit Deo: Ad quam me mittis? Tanta me subire cogis pericula, et ad viduam me mittis, famem ad extremam? Annon sunt viri alii opulentiores, qui possint famem levare meam, sed tanta terrarum spatia peragro, ut ad viduam perveniam, ad ipsam malorum calamitatem; nec tantum viduam, sed etiam pauperculam? Animadverte quod nihil horum dicat famulus: fidebat enim Domino, qui ea, quæ fieri non posse videntur, facilia reddit. « Vade, inquit, in Sarephtha Sidonis, et ecce » vidua una ligna colligens. » Quid incedis, Helia? Quid ad viduam accurris? vidisti paupertatis vestibula, ne interroges quanta sit tenuitas: vidisti paupertatis ingressum, ne quæras quid sit intus. Quo ingrederis, Helia? Vidisti ligna colligentem, et ab illa nutriri postulas? Attamen cum Domini verba in pignus haberet, abiit allocuturus viduam. Et quid ait? « Da mihi paululum aquæ ut bibam[1]. »

1 3 Reg. XVII. 10.

Vides sapientiam Heliæ? Quomodo non statim ad illud, quod majus erat petendum, sed ad id quod vilius erat venerit? Non dixit, Da mihi panem, sed, da mihi aquam. Primo aquam petit, conjectans si aquam habeat, panem habere posse. « Da mihi, inquit, paululum aquæ. » Abiit vidua, aquam tulit, et ille bibit; ille sumpta fiducia, « Sume » mihi, inquit, et buccellam panis, et comedam. » Respondet illa : « Vivit Dominus, si est mihi panis subcineritius, » nisi pugillus farinæ in hydria, et paululum olei in lecytho, » quæ faciemus et comedemus ego et filii mei, et moriemur. » Quid igitur Helias? « Vade, inquit, et fac mihi » subcineritium seorsum, et comedam; et postea facies » filiis tuis, et comedent. » Quid facis, Helia? esto panem petas, cur seorsum et primo tibi dari postulas? Annon gratias agere deberes, si una cum filiis ejus comederes? Tu vis comedere solus, et ejus filios fame necare? Novi liberalitatem et copiam Domini mei. Attamen vidua non turbata est, nec quid absurdum cogitavit, neque dixit : Tu es qui famem intulisti, et in reliquiis hujus famis a me nutriri postulas? Neque dixit : Tantum terræ spatium perfecisti, ut ad me venires filiosque meos fame necares, ipse famis auctor? Sed Abrahamica illa mulier ingressa fecit id quod Propheta dixerat : videreque erat viduam ipso Abrahamo hospitaliorem. Ille enim opulentus cum esset, Angelos hospitio excepit : hæc vero ex fame interitum expectans, excepit Prophetam. Videreque erat naturam contemptam, et hospitalitatem honoratam : videre erat viscera projecta, et Prophetam susceptum : totam filiorum turbam sepulchrum effecit : quantum enim fuit viduæ in proposito, illi mortui sunt, sed Dei benignitate factum est ut viverent et incolumes essent. Nescio quibus præconiis viduam celebrabo : quomodo filios contempsit, et hospitalitatem amplexa est : quomodo natura ejus non contabuit, vel ma-

trix non mutata fuit, quomodo viscera ejus non dissoluta sunt, cum videret turbam integram filiorum mox fame consumendam. Sed omnibus superior, Prophetam hospitio recepit. Cum accepisset autem Propheta et comedisset, demum mercedem retribuit. Hospitalitatem vidua seminavit, statimque hospitalitatis spicam collegit. Quid enim ad eam Helias? « Vivit Dominus, hydria farinæ non deficiet, et lecythus olei non imminuetur. » Facta est viduæ dextera torcular; et sinistra, area et manipuli in necessitate fructum reddentes, et per Prophetæ verba viduam nutrientes. Torcular et area facta est domus viduæ : non imber, non pluvia, non ver, non autumnus, non æstas, non æstus, non ventorum vis, non temporum mutationes; sed verbum unum ex Prophetæ sententia prolatum, viduæ rerum copiam subministravit. Inde vero postea, ut paucis absolvam, abiit ad regem Achab. Dicam nunc ejus præclara opera, ut cum eum peccantem videris, discas Dei gratiam erga homines benignam. Quid autem ad illum Achab? « Tu es, qui pervertis Israël? » Respondit ille, « Non, » sed tu, et domus patris tui[1]. » Vidisti-ne Prophetæ loquendi libertatem, quomodo regem redarguit? Postea cum sederet in monte, accessit ad eum centurio dicens : » Homo » Dei, descende, rex te vocat[2]. » Ille vero : « Si homo Dei » sum, descendat ignis de cœlo, et devoret te, et quinquaginta tuos. » Deinde secundo alius quinquagenarius dicit : « Homo Dei, descende, rex te opus habet. » Et quid ad illum Helias? « Si homo Dei sum ego, descendat ignis de » cœlo, et devoret te, et quinquaginta tuos. » Inde rursum cum venit ad orationis condictum, et provocavit sacerdotes illos infames Baalis dicens, Precemur : addiditque, « Facite vobis altare seorsum, et eligite duos boves, et » imponite ligna ad unum bovem, et ignem non imponite;

[1] 3 Reg. XVIII, 17. — [2] 4 Reg. I, 9.

» et ego id ipsum faciam : et invocate in nomine deorum » vestrorum, et ego in nomine Dei mei. Et erit, qui deus » exaudierit in igne, hic verus Deus[1]. » Tum fecerunt sacerdotes infames altare, et cœperunt invocare Baal dicentes, « Exaudi nos Baal, exaudi nos. » Cum autem post multas preces nemo esset qui exaudiret : « Non enim erat vox, » neque auditio : » expectabat Helias cum patientia, illis precantibus. Cum autem videret multam esse illorum moram, sed neminem qui exaudiret, irridet illos his verbis : « Clamate » multum, ne forte dormiat Deus vester. » Postea cum meridies esset, et tempus procederet, dixit illis, « Discedite » nunc, ut faciam et ego holocaustum meum : » et fecit altare, et imposuit ligna, et dixit : « Ferte aquam in circuitu » altaris, et tulerunt : Duplicate, et duplicaverunt; tripli- » cate, et triplicaverunt[2]. » Animadverte quare id faciat Helias. Quoniam erroris mos est veritati propria adjungere, quod faciunt et meretrices, quæ præoccupantes, liberas mulieres meretrices vocant, ut non habeant illæ quid convicii objiciant.

IV. Attamen Helias hic sapientia utitur. Quare? Id quod dicturus sum meïs ipse oculis conspexi. In idolorum altaribus foramina quædam sunt in inferiore altaris parte, et infra posita est quædam fovea occulta : descenduntque erroris artifices in foveam; et sic ex foraminibus deorsum ignem exsufflant sursum ad sacrificium conficiendum; ita ut multi decipiantur et putent cœlestem esse ignem. Ne igitur Helias in suspicionem veniret, quod et ipse simile quidpiam machinatus esset, aquam effudit; ut foveam non esse aqua demonstraret : nam ubi aqua foveam reperit, non consistit, sed descendit. Implevit igitur altare, et precatus est his verbis : « Exaudi me, Domine, in igne » hodie : exaudisti me in aqua, exaudi me et in igne[3]. » Et

[1] 3 Reg. XVIII, 23. — [2] Ibid. 34. — [3] 3 Reg. XVIII, 37.

ecce ipso invocante confestim ignis descendit de cœlo, et consumpsit sacrificium et lapides, et aquam linxit ignis. Quid autem ait populo? « Comprehendite sacerdotes in» fames, » nemo servetur ex illis : et comprehenderunt et occiderunt eos, quadringentos et quinquaginta sacerdotes Baal, et quadringentos sacerdotes excelsorum. Audivit Jezabel uxor Achab ea, quæ facta fuerant, et misit ad Heliam dicens : « Hæc faciant mihi dii, et hæc addant, nisi » cras ponam animam tuam sicut animam unius eorum[1]. » His auditis Helias, fugit. Ubinam est Helias ille talis tantusque? In proposito enim mihi est ostendere, illum in peccatum incidisse. Peccatum dico, non accusans justum, sed salutis materiam procurans : ut cum sanctos illos peccantes videris, et de sua salute non desperantes, sed divinæ benignitatis compotes factos, tu etiamsi pecces, salutem admodum speres. Cum dixisset Jezabel : « Hæc » faciant mihi dii, et hæc addant, nisi cras ponam animam » tuam, ut animam unius ex ipsis. » Audivit Helias, et fugit itinere dierum quadraginta. O timoris excessum! Mulieris vocem audivit, et quadraginta dierum spatio fugit : non uno die, non duobus, non tribus; sed cum primum mulieris sermo venit ad Prophetam, præ metu nesciens quid ageret, tantam fugam fecit. Quid hoc est, Helia? Tune ille es, qui cœlum clausisti, pluviam frenasti, aëri imperasti, ignem ex alto evocasti, sacerdotes interfecisti, regi Achab dixisti, « Tu es qui subvertis Israëlem, et domus patris » tui, » qui dixisti : « Vivit Dominus, si erit pluvia, nisi per » os meum[2], » qui ignem advocasti, qui res tantas fecisti, et mulieris unius vocem non tulisti? Ubi est illa tua constantia, cum Dominum rogare noluisti, ut pluviam daret terræ? Clare enim subindicabat tibi, ac si diceret, roga pro pluvia, licet ego sine te dare possim, sed nolui; ut

[1] 3 Reg. XIX, 2. — [2] Id. XVIII, 18, et XVII, 1.

quemadmodum malorum conciliator fuisti, ita et bonorum dux et auctor sis. Fecisti enim, Helia, rem inhumanitate plenam. Deus vero ex calamitate misericordia motus erat, quia omnium ipse creator et opifex est; omnium pariter curator est, voluitque inhumanitatem tuam emollire, et tu in illa perseverebas. Dicebat tibi, Novi calamitatem, quæ accidit, novi matrum fletus, novi puerorum ululatus. Video terram, quam feci, deletam, et volo benigne cum illa agere, sed nolo tamen te probro afficere, neque sine tuo nutu pluviam mittere; ne malorum tu causa sis, bonorum vero non item : sed te in honore habeo. O Domini humanitatem benevolentia erga servum superatam! Helias tamen multæ erat arrogantiæ, quasi impeccabilis : nunc autem in peccatum lapsus ostensus est, Deo permittente ac providente, ut humane habitus, erga alios et ipse non inhumanus esset. « Et fugit, inquit, Helias viam dierum » quadraginta. » Ubinam sunt illa verba, quæ cum ad Quinquagenarios dixisset, descendit ignis, et illos combussit? Cum igitur declarare vellet Deus, quando miracula ipsa fierent, non Heliam, sed Dei virtutem illa fecisse, vide quid faciat. Quo tempore Deus operabatur, reges, principes et populi cadebant : cum vero Deus abscessit, vel mulier terribilis visa est. Abscessit Deus, et humana natura superata est. Attamen cum fugisset Helias diebus quadraginta, venit dormivitque quodam in loco, venitque ad illum Deus, dominus ad servum; ille, inquam, curator et amans hominum : et quid ait? Gnarus quidem qua de causa istuc venisset, attamen sciscitatur : « Quid tu hic, » Helia? quid hic agis[1]? » subindicans ejus fugam, ac si diceret · Fugisti : Ubi est illa fiducia? Ut discas viribus tuis non confidere. « Quid tu hic, Helia, quid hic agis? » Respondit tamen Helias, alia in mente habens, et alia

[1] 3 Reg. XIX, 13.

dicens. Quid igitur ad hæc Helias? « Domine, Prophetas » tuos occiderunt, altaria tua suffoderunt : et ego relictus » sum solus, et quærunt animam meam, ut auferant eam. » Quid igitur ad illum Deus? Statim illum redarguit. Non ideo fugisti, inquit, Helia; non enim tu solus es, qui non adorasti Baal : hinc illum redarguens subjungit : « Reliqui » mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt genu » ante Baal[1]. » Redarguit igitur illum, quod non eam ob causam fugisset, sed mulieris metu correptus. Sic mulier una talem tantumque virum fugitivum effecit : ut discas, Helia, cum aliquid admirabile feceris, id non tibi adscribendum esse, sed Dei virtuti. Vidisti quomodo discedente gratia, superata sit natura? Fugit Helias itinere dierum quadraginta. O timorem nimium! o formidinis vehementiam! Non uno, aut altero, aut tertio, sed quadraginta diebus fugit, et ad omnino desertam regionem se contulit, non cibo, non alimento quopiam instructus : metu quippe ebrius hæc non curabat, sed deserta loca sectabatur. Ingressum est mulieris verbum in Prophetam, et quasi zephyrus vehementer in velum sufflans navigium cum impetu transmittit; sic verbum mulieris in Prophetam ingressum, illum cum impetu in desertum conjecit. Ubinam, Helia, illa tua loquendi libertas? Ubinam os illud terribile? Ubi lingua illa imbrium suppeditatrix? Ubi ille, qui utrisque elementis præcipiebat, et modo cœlum claudebat, modo ignem evocabat ad sacrificium? Attamen, ut dixi, hæc faciebat operante gratia; quamobrem a Deo redarguitur. Vides quomodo in peccatum illud exiguum cadere permissus sit, ut integro benignitatis amictu se indueret? Demum, Helia, eruditus es; esto benignus sicut Dominus tuus, ut eruditus es, ut didicisti a Domino tuo. Vidisti quomodo permiserit Deus in exiguum peccatum

[1] 3 Reg. xix, 18.

cadere columnas illas, propugnacula, turres? Ne si omnino a peccatis expertes essent, omnes ab Ecclesia exscinderent. Ut cum aliquem peccantem viderint, atque ad illum sine misericordia excipiendum proni fuerint, recordentur peccati sui, et eamdem exerceant benignitatem, quam et ipsi consecuti sunt a Domino. Hæc diximus, non ut justos illos accusaremus, sed ut vobis viam salutis præpararemus; ut cum peccaveritis, ne desperetis de salute vestra, memores justorum illorum, qui lapsi sunt, et per pœnitentiam in eodem nec imminuto honoris gradu manserunt. Diximus primo illorum virtutes; et deinde peccata induximus. Et tu igitur si peccator es, ne absis ab Ecclesia; si justus, ne absis item, ut Scripturarum notitiam præsentem habens justus permaneas, memor regni cœlorum, et bonorum, quæ præparavit Deus diligentibus se: quia ipsum decet gloria cum Filio et sancto Spiritu, nunc et semper et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA

In beatum Philogonium, qui fuit ex patrono causarum factus Episcopus, et quod nihil æque reddit nos Deo probatos, atque si studiosi simus earum rerum, quæ publicæ conducunt utilitati, et quod negligenter adeuntes divina mysteria gravissime puniuntur, etiam si semel tantum in anno scelus hoc commiserint. Dicta est autem quinque diebus ante Natalem Christi.

I. Ego quidem et hodie destinaram adversus hæreticos luctaturus vestes exuere, quodque restabat debiti vobis

persolvere : verum beati Philogonii dies, cujus festum celebramus, ad ipsius benefactorum enarrationem linguam nostram evocavit. Et omnino parendum est; etenim si qui patri matrive maledicit, morte moritur[1] : liquet eum, qui benedixerit illis, vitæ præmia recepturum : et si iis qui natura parentes sunt tantam debemus præstare benevolentiam, multo magis id præstandum iis, qui spiritu sunt parentes, potissimum vero cum defunctos nostra laudatio nihilo reddat gloriosiores, nos vero congregatos tum qui loquimur, tum qui audimus, reddat meliores. Nam ille quidem subvectus in cœlum haud quaquam egere potest humanis laudibus ad feliciorem sortem profectus : nos vero qui hactenus hic versamur, multaque opus habemus exhortatione, illius egemus encomiis, quo videlicet ad ejus imitationem excitemur. Quapropter sapiens quidam hortatur, dicens : « Memoria justi cum laudibus[2]. » Non quasi illi qui decesserunt, sed ii potius qui eos laudibus ornant, maximam inde percipiant utilitatem. Quoniam igitur hac ex re tantum nobis lucrum obvenit, obtemperemus, neque recusemus. Nam et ipsum tempus huic narrationi congruit. Siquidem hodie beatus ille ad tranquillam omnisque turbationis expertem vitam translatus est, eoque navigium appulit, ubi deinceps non poterit metuere naufragium, nec ullam animi dejectionem aut dolorem. Et quid mirum est, si locus ille purus est ab omni molestia animi, cum Paulus hominibus adhuc in hac vita degentibus loquens dicat : « Semper gaudete, sine » intermissione orate[3] ? » Quod si hic : ubi morbi, ubi insectationes, ubi præmaturæ mortes, ubi calumniæ, ubi invidiæ, ubi mœrores, ubi iræ, ubi cupiditates, ubi innumerabiles insidiæ, ubi quotidianæ sollicitudines, ubi per-

[1] Exod. xxi, 16, et Levit. xx, 9. — [2] Prov. xx, 8. — [3] 1 Thess. v, 16.

petua sibique cohærentia mala sunt, innumeros ex omni parte dolores afferentia, Paulus dixit fieri posse ut semper gaudeamus, si quis paululum ex rerum mundanarum fluctibus erexerit caput, vitamque suam recte composuerit : multo magis postquam hinc demigraverimus facile compotes erimus ejus boni, cum hæc omnia sublata fuerint, adversa valetudo, morbi, peccandi materia, ubi non est meum ac tuum, frigidum illud verbum, et quidquid est malorum in vitam nostram invehens, innumeraque gignens bella. Quamobrem maximopere gratulor hujus sancti felicitati, quod quanquam translatus est, atque civitatem nostram reliquit, tamen in alteram transiit civitatem, nempe Dei, ac digressus ab hac Ecclesia, ad illam pervenit, quæ est primogenitorum descriptorum in cœlis, ac relictis hisce festis, transiit ad celebritatem Angelorum. Etenim quod et superne sit civitas, Ecclesia, ac celebritas, audi Paulum dicentem : « Accessistis ad civitatem Dei » viventis, ad Jerosolymam cœlestem, et Ecclesiam pri» mogenitorum descriptorum in cœlis, et ad innumerabi» lem Angelorum frequentiam [1]. » Non solum autem ob multitudinem virtutum cœlestium, verum etiam ob abundantiam bonorum, ac juge gaudium et lætitiam, panegyrim, hoc est, frequentiam appellat totam illam vitam. Nec enim aliud panegyrim facere solet, quam multitudinis cœtus, mercium venalium copia, cum triticum, hordeum, et omnigenæ frugum species, ovium greges, boum armenta, vestes, aliaque id genus plurima importantur, aliis quidem vendentibus, aliis vero ementibus. Sed quid, inquis, harum rerum est in cœlis? Horum quidem nihil, sed sunt his multo præclariora. Non enim illic sunt triticum, hordeum, ac frugum variæ species, sed illic ubique fructus spiritus charitas, gaudium, bonitas, pax,

[1] Hebr. XII. 22.

ac mansuetudo summa exuberat copia. Non ovium greges, non boum armenta, sed spiritus justorum perfectorum, animarum virtutes, vitæque recta facta per omnes cœlos videre licet. Non vestes aut amictus, sed coronas quovis auro pretiosiores, tum bravia, certaminum præmia, aliaque innumera bona reposita iis qui recte fecerint : adhæc ibi est frequentia, longe tum copiosior, tum honoratior. Neque enim constat ex viris urbanis indigenisque, sed hic sunt Angelorum infinita millia, illic multa millia Archangelorum, alibi sodalitia Prophetarum, alibi Martyrum chori, Apostolorum ordines, cunei justorum, omniumque qui Deo placuerunt varii cœtus. Profecto miranda quædam panegyris est : quodque majus est omnibus, in media frequentia versatur horum omnium rex. Etenim ubi dixisset, « Ad innumerabilium Angelorum frequen- » tiam, » subjecit, « Et ad judicem universorum Deum. » Quis unquam vidit in panegyrim prodeuntem regem? Hic quidem nemo vidit, illic autem qui adsunt perpetuo vident, quatenus illum videre licet, non solum præsentem, verumetiam suæ gloriæ splendore condecorantem universum cœtum. Et nostræ quidem celebritates sub meridiem plerumque solvuntur, illa vero non item. Neque enim mensium in orbem recursus, neque annorum circuitus, neque dierum numerum expectant : sed stat perpetuo, illiusque bona nullo termino clauduntur, finem non habent, nec senescere, nec marcescere possunt, sed sunt tum senii, tum mortis expertia. Nullus illic tumultus, quemadmodum hic, nulla turbatio, sed ingens omnium cum ordine compositio, haud secus atque in cithara quapiam, modulatissimum concentum et quavis musica suaviorem reddentium utriusque creaturæ Domino, dum anima illic velut in sacris adytis, divinisque mysteriis, divinorum arcanorum celebrationem peragit.

II. Ad hanc beatam et senii expertem sortem hodie transiit beatus Philogonius. Quænam igitur oratio par sit viro, quem dignatus est? Nulla. Sed age, dic mihi, num idcirco silebimus? Et cujus rei gratia convenimus? An dicemus nos haud posse magnitudinem gestorum oratione consequi? Atqui ob hoc ipsum necesse est dicere, quandoquidem hæc est præcipua laudum illius pars, quod factis verba æquiparari non possint. Nam quorum gesta naturam etiam superant mortalem: perspicuum est, horum laudes excedere linguam humanam. Haud tamen ob id aspernabitur officium nostrum, sed suum imitabitur Dominum: siquidem et ille viduæ duos tantum obolos dejicienti, non tantum duorum obolorum mercedem reddidit. Cur ita tandem? Quoniam non perpendebat pecuniæ modum, sed animi divitias. Nam si pecuniæ modum expendas, magna paupertas est: si voluntatem explices, ineffabilem videbis excelsi animi thesaurum. Proinde quamvis nostræ facultates exiguæ sint minimique pretii, attamen quæ possumus offerimus. Et licet non respondeant magnitudini animi præclari justique Philogonii, tamen hoc ipsum magnanimitatis illius maximum fuerit argumentum, quod nec pusilla repellat, sed idem faciat quod solent divites. Siquidem illi cum acceperint a tenuibus exigua quibus non egent, sua vicissim apponunt, remunerantes eos, qui quod poterant obtulerint: itidem et hic cum acceperit a nobis laudem, qua nequaquam eget, redonabit nobis per ipsa facta benedictionem, qua semper indigemus. Unde igitur laudem illius auspicabimur? an a magistratu, quem Spiritus illi tradidit gratia. Nam mundani magistratus nequaquam possunt eorum, quibus crediti sunt, demonstrare virtutes: quin potius frequenter habent accusationem malitiæ. Quare? Quoniam et patrocinia amicorum, et circumcursationes et adulationes,

aliaque permulta his fœdiora tales magistratus solent conciliare : cæterum ubi Deus suo suffragio designarit aliquem, illaque manus sanctum contigerit caput, incorruptum suffragium, alienum a suspicione judicium, indubitata fuerit delecti comprobatio, propter ejus qui delegit auctoritatem. Porro quod elegerit illum Deus, vel ex ipsa morum integritate perspicuum est, quippe quem ex medio abreptum foro ad thronum hunc evexerit : adeo castam et insignem prius egit vitam, cum uxorem haberet ac filiam et in foro versaretur, adeo solem ipsum splendore vicit, ut protinus hoc magistratu dignus videretur, et a judiciorum tribunali ad sacrum tribunal evectus sit. Ac tum quidem hominibus patrocinabatur adversus homines; qui struebant insidias, eos qui afficiebantur injuria, superiores reddens iis, qui injuriam inferebant : hic autem adest hominibus patrocinans adversus dæmones invadentes. Quantum autem sit pietatis argumentum, Quod Deus illum tanto magistratu dignum judicarit, audi, Christus excitatus a morte, quid dicit Petro. Postquam enim illum interrogasset, « Petre, amas me[1] ? » isque respondisset : « Tu Domine scis quod amo te : » non dixit Christus, abjice pecunias, jejunium exerce, macera te laboribus, mortuos excita, dæmones abige, nihil vel horum, vel aliorum miraculorum recteque factorum in medium adduxit, sed omnibus illis prætermissis dicit illi : « Si diligis » me, pasce oves meas. » Hoc autem dicebat non solum ut nobis certissime declararet, quantopere ipsum diligeret Petrus : verum etiam ut suum erga suas oves amorem ostenderet, maximum exemplum proposuit Petri erga ipsum amoris, tantum non dicens : Qui diligit oves meas, me diligit. Vide igitur quam multa propter hunc gregem passus sit Christus. Homo factus est, servi formam assump-

[1] Joan. xxi, 16.

sit, consputus est, alapis cæsus est, postremo ne mortem quidem recusavit, eamque ignominiosissimam; siquidem in cruce ipsum etiam sanguinem effudit. Itaque si quis voluerit illi commendatus esse, curam habeat ovium illius, publicam quærat utilitatem, fratrum suorum saluti prospiciat: nullum enim officium hoc Deo carius est: ideo alibi dicit: « Simon, Simon, expetivit Satanas, ut cribraret » te tanquam triticum, sed ego rogavi pro te, ut non de» ficiat fides tua[1]. » Quod igitur hujus sollicitudinis curæque præmium mihi rependis? Sed quam poscit gratiam? eamdem curam, quam nobis impendit, reposcit. Nam « Et tu, inquit, aliquando conversus, confirma fratres » tuos. » Sic et Paulus ait: « Imitatores mei estote sicut et » ego Christi[2]. » Quomodo factus es Christi imitator? Omnibus per omnia placens, non quærens meam utilitatem, sed multorum, ut salvi fierent. Rursus alio loco dicit: « Etenim Christus non sibi ipsi placuit, sed mul» tis[3]: » neque prorsus alia res est, quæ perinde declaret, doceatque, quis sit fidelis et amans Christi, quam si fratrum curam agat, illorumque saluti prospiciat.

III. Hæc audiant et monachi omnes, qui montium occuparunt cacumina, quippe modis omnibus se ipsos mundo crucifixerunt; quo pro viribus Ecclesiarum præfectos adjuvent, et incitent precibus, concordia, charitate, scientes quod in modis omnibus, opitulentur iis, qui tot periculis objiciuntur per gratiam Dei, totque negotiorum curas sustinent, quibuscumque possunt rationibus auxilientur, quamquam procul habitantes, et caput ipsis peribit, et tota destruetur sapientia. Verum hoc esse maximum amicitiæ erga Christum argumentum hinc declaratur: videamus autem quomodo munus hoc Episcopi administrarit. Quin potius non est opus hic pluribus ver-

[1] Luc. XXII, 31. — [2] 1 Cor. XII, 1. — [3] Rom. XI, 3.

bis aut voce nostra, quando vestrum studium hoc ultro declarat. Sicut enim aliquis ingressus vineam, vitesque contemplatus pampinis comantes, fructu onustas, maceriis ac septis undique munitas, haud quaquam desiderat orationem cujusquam, qui demonstret vinitoris industriam, et agricolæ virtutem : itidem et hic, si quis ingressus conspiciat vites spirituales, vestrumque fructum contempletur, nil opus habuerit, ut ex cujusquam oratione discat, qualis sit vester præpositus. Sicut et Paulus scribit : « Epistola mea vos estis, quæ inscripta est, et legi» tur[1]. » Fluvius arguit qualis sit fons, et fructus indicat qualis sit radix. Dicendum igitur erat et tempus quo principatum hunc suscepit : neque enim hæc minima pars encomii fuerit, sed magni momenti ad declarandam hominis virtutem. Res tum erat multæ difficultatis cum nuper esset sedata persecutio, manentibus etiamnum gravissimæ tempestatis illius reliquiis, cumque negotia plurimam desiderarent correctionem. His insuper illud adjungendum erat, quod hæreticorum factio sub illo nata negotium exhibuit, illius sapientia cuncta prospiciente. Verum ad aliam necessariam materiam nobis festinat oratio, eoque communi patri, beatique Philogonii sectatori hæc dicenda relinquentes, ut qui melius nobis teneat quidquid est antiquitatum, ad aliam concionandi rationem transeamus. Appetit enim festum omnium festorum maxime venerandum tremendumque : quod si quis appellet omnium festorum metropolim, haudquaquam aberret. Quod autem hoc est? Christi in carne Natalis. Ab hoc enim festum Epiphaniorum, ac sacrum Pascha, Ascensio, et Pentecoste originem ac fundamentum ducunt. Nisi enim secundum carnem natus esset Christus, nequaquam baptizatus esset, nam id festum Theophaniorum est : nequaquam fuisset cruci-

[1] 2 Cor. III, 2.

fixus, nam hoc est festum Paschæ: nequaquam misisset Spiritum sanctum, quod est festum Pentecostes. Itaque ab hoc, ceu a fonte quopiam diversi fluvii, nata sunt nobis hæc festa. Verum non ob hoc tantum par est hunc diem cæteris anteponi, sed etiam quia quod in hoc natum est, cæteris omnibus est venerabilius. Nam quod Christus homo factus, sit mortuus, consequentiæ cujusdam fuit: licet enim nullum omnino peccatum perpetrasset, mortale tamen corpus assumpserat: et erat quidem hoc admirandum: cæterum quod Deus cum esset, voluerit homo fieri, tantumque sese demittere sustinuerit, quantum ne cogitatione quidem complecti queas, hoc est omnium maxime reverendum, stuporisque plenum. Quod quidem et Paulus admirans dicebat, « Et manifeste magnum pietatis mysterium[1]. » Quod magnum? « Deus manifestatus in carne. » Ac rursum alibi: « Non enim Angelos apprehendit Deus, sed semen Abrahæ apprehendit. Unde per omnia fratribus assimilari[2]. » Propter hoc potissimum amplector diligoque diem hunc, et amorem ejus in medium propono, ut vos hujus participes reddam: eoque rogo vos omnes obsecroque, summo studio summaque cum alacritate velitis adesse, sed prius suam quisque domum evacuet, ut videamus Dominum nostrum in præsepi jacentem ac fasciis involutum, tremendum ac stupendum spectaculum. Quid enim excusabimus, aut quam veniam obtinebimus, si cum ipse nostri causa descenderit e cœlis, nos ad illum vel ex ædibus ire gravemur? cum alienigenæ barbarique Magi ex Perside accurrant, ut illum videant in præsepi jacentem, tu vero qui Christianus es ne breve quidem spatium emetiri sustineas, ut hoc felici spectaculo perfruaris. Nam si cum fide accesserimus, procul dubio videbimus illum in præsepi ja-

[1] 1 Tim. III, 16. — [2] Hebr. II, 16

centem. Siquidem hæc mensa vicem explet præsepis. Nam et hic ponetur corpus dominicum, non quidem fasciis involutum sicuti tunc, sed undique Spiritu sancto vestitum. Qui mysteriis initiati sunt, intelligunt quæ dicuntur. Ac Magi quidem nihil aliud quam adorarunt, tibi vero si cum pura accesseris conscientia, permittemus, ut sumas, et sumpto domum abeas. Accede igitur tu quoque munera offerens, non qualia deferebant illi, sed multo religiosiora. Obtulerunt illi aurum, offer tu temperantiam ac virtutem: obtulerunt illi thus, offer tu puras preces, quæ sunt odoramenta spiritualia : obtulerunt illi myrrham, offer tu humilitatem, et cor submissum cum eleemosyna. Quod si hisce cum muneribus accesseris, multa cum fiducia particeps eris hujus sacræ mensæ. Nam hæc ideo nunc loquor, quod sciam certo futurum, ut in illa die complures accedant irruantque ad victimam hanc spiritualem. Igitur ne faciamus ad detrimentum et condemnationem animæ nostræ, sed ad salutem : jam nunc obtestor obsecroque, ut omnibus modis repurgati, ita demum sacra adeatis mysteria.

IV. Neque mihi quisquam dixerit, vereor, habeo conscientiam peccatis oppletam, sarcinam circumfero gravissimam. Sufficit enim horum quinque dierum tempus, si sobrius fueris, si oraveris, si vigilaveris, ut multitudinem peccatorum reddas contractiorem. Nec illud perpende quod breve tempus est; sed illud considera quod benignus est Dominus. Quandoquidem et Ninivitæ tridui spatio tantam iram Dei a se depulerunt[1], nec obstitit illis temporis angustia, sed animi promptitudo, amplectens Domini benignitatem, totum peragere valuit. Et meretrix illa brevi temporis momento, cum ad Christum accessisset, omnia proba diluit[2]. Quin et calumniantibus Judæis, quod illam

[1] Jon. III. — [2] Luc. VII.

admisisset, tantamque præbuisset fiduciam, Christus illis quidem silentium imposuit, hanc vero malis omnibus liberatam, comprobatoque illius studio, ita domum remisit. Quid ita tandem? Quoniam ferventi animo, et flagranti corde, ardentique accessit fide, sanctosque illos ac sacros attigit pedes, solutis capillis, fontibus lacrymarum ex oculis emissis, unguento profuso. Etenim per quæ deceperat homines, per eadem paravit remedia pœnitentiæ: per quæ avocarat oculos intemperantium, per hæc emisit lacrymas: per capillos arte compositos multos illexerat ad peccatum, per eosdem pedes abstersit Christi. Unguento multos inescarat, per hoc pedes illius unxit. Proinde et tu nunc quibus rebus provocasti Deum, per has rursum facito propitium. Provocasti illum pecuniarum rapina, per easdem illum reconcilia, cumque et rapta restitueris illis, quos injuria affeceras, et alia insuper addideris, dicito juxta Zacchæum: reddo omnium, quæ rapui, quadruplum. Provocasti lingua et maledicentia, multis contumelia affectis, vicissim lingua placato, puras emittens preces, benedicens maledicentibus, laudans vituperantes, gratias agens injuriam inferentibus. Hæc non egent multis diebus annisve, sed solo animi proposito, et unico die perficiuntur. Discede a malo, virtutem amplectere, desiste a pravitate: pollicere te posthac ista non commissurum, et istud sufficiet ad excusationem. Ego testificor ac fide jubeo fore, ut si nostrum quisque qui peccatis obnoxii sumus recedens a pristinis malis, ex animo vereque promittat Deo se postea nunquam ad illa rediturum, nihil aliud Deus requiret ad excusationem majorem. Benignus enim est, et quemadmodum parturiens cupit eniti fetum, ita et ille cupit effundere suam misericordiam: sed illi obstant peccata nostra. Diruamus igitur maceriam, atque ex hoc jam tempore

[1] Luc. XIX, 8.

festum auspicemur, hosce dies quinque negotiis omnibus valere jussis, valeat forum, valeat curia, facessant mundanæ curæ, cum pactis et contractibus : animam meam servare cupio. « Quid prodest homini si totum mundum » lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur[1] ? » Egressi sunt a Perside Magi, egredere tu e temporariis negotiis, ad Jesum proficiscere : non est longum intervallum si velimus. Non enim necesse est trajicere mare, neque montium superare cacumina, sed domi sedens, si pietatem exhibeas, multamque cordis compunctionem, potes illum videre, potes totam diruere maceriam, totum submovere obstaculum, abbreviare viæ longitudinem. « Deus enim, inquit, appropinquans ego sum, et non Deus » procul[2], » et « Dominus prope est omnibus invocantibus » ipsum in veritate[3]. » Nunc autem multi fidelium in tantam vecordiam tantumque venere contemptum, ut cum innumeris scateant malis, nullamque vitæ suæ curam habeant, in diebus festis negligenter ac temere ad mensam hanc accedant, haud intelligentes, quod communionis tempus non est festum, neque celebritas, sed conscientia pura, vitaque a peccatis repurgata. Sicut enim qui sibi nullius mali conscius est, hunc oportet singulis diebus accedere : sic qui peccatis occupatus est, nec pœnitet, eum ne in festis quidem accedere tutum est. Neque enim semel in anno accedere, liberat nos a peccatis, si indigne accesserimus : quin hoc ipsum potius auget damnationem, quod cum semel tantum accedamus, ne tum quidem pure accedimus. Quapropter adhortor vos omnes ne negligenter, veluti festo die cogente, ad divina mysteria accedatis, sed si quando hujus sacræ hostiæ futuri participes estis, multis ante diebus repurgetis vos ipsos per pœnitentiam, precationem et eleemosynam, perque spiritualem exer-

[1] Matth. XVI, 26. — [2] Jerem. XXIII. — [3] Psal. CXLIV, 18.

citationem, nec denuo convertamini canis in morem ad proprium vomitum. Annon enim absurdum tantam habere curam rerum corporalium, ut appetente festo multis ante diebus vestem e scriniis pulcherrimam diligenter appares, emas calceamenta, mensa largior splendidiorque paretur, denique variam undequaque rerum copiam excogites, omnibusque modis temetipsum ornes, nitidumque reddas : animæ vero neglectæ, sordentis, squallidæ, fame contabescentis nullum habeas respectum, cum sola maneat impura, ac corpus quidem nitidum huc adducas, animam vero nudam incultamque? Atqui corpus quidem videt conservus, neque quidquam est detrimenti, quomodocumque fuerit habitum : illam autem videt Dominus, qui gravissime punit negligentiam. An nescitis quod hæc mensa plena est igne spirituali : et quemadmodum fontes aquæ vim exundant, ita hæc flammam quamdam habet arcanam? Ne igitur accesseris stipulam afferens, non ligna, non fœnum, ne augeas incendium, exurasque animam ad communionem accedentem : sed accede ferens lapides pretiosos, aurum, argentum, quo puriorem reddas materiam, multoque cum lucro discedas. Si quid mali est, abigas ab animo. Habet quis inimicum, graviter læsus est, solvat simultatem, coërceat animum exardescentem, intumescentemque, ne quis sit intus tumultus aut perturbatio. Regem enim excepturus es per communionem : cum autem rex ingreditur animam, oportet magnam esse tranquillitatem, multumque silentium, profundam cogitationum quietem. Sed atrociter læsus es, nec potes iram remittere. An igitur te ipsum magis etiam et gravius lædes? Neque enim tantis malis te afficiet inimicus quæcumque fecerit, quibus te ipsum afficis, si non illi reconcilieris, sed Dei leges conculcaris. Ille te contumelia affecit, dic mihi, num tu ideo Deum afficies contumelia? Etenim non

recipere in gratiam eum qui molestiam attulit, non tam est illum ulcisci, quam afficere contumelia Deum, legis hujus auctorem. Proinde ne respicias ad conservum, neque ad magnitudinem injuriarum, quas intulit ille, sed Deum, illiusque timorem in animo habens, id tecum reputa, te, quo majorem vim admoveris animo tuo, post innumera mala cogens illum redire in gratiam cum eo qui molestiam intulit, tanto majus præmium laturum a Deo, qui hæc præcepit. Et sicut hic Deum excipis multo cum honore, sic et ipse te illic multa cum gloria excipiet, reddetque tibi millecuplam istius obedientiæ mercedem: quam nobis omnibus assequi contingat, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo gloria sit Patri, honor, imperium et adoratio, simulque sancto Spiritui in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA

Encomiastica in S. Patrem nostrum Meletium, *Archiepiscopum magnæ Antiochiæ, et de studio eorum qui convenerant.*

I. Sacrum hunc gregem oculis undique circumspiciens, et universam civitatem videns hic præsentem, nescio quem prius beatum pronuntiem, sanctumne Meletium, quod vel post mortem tanto honore fruatur: an vestram charitatem, quod tantam in vestros pastores benevolentiam etiam post decessum ostendatis. Beatus enim ille, quod tantum sui amorem vobis omnibus potuerit relinquere: beati vos quoque, quod cum charitatis depositum

acceperitis, eam ei, qui deposuit, integram huc usque perpetuo conservaveritis. Quintus enim annus jam præteriit, ex quo ille migravit ad Jesum, quem desiderabat, ac perinde ac si heri et nudius tertius eum vidissetis, tam ferventi amore ad eum hodie accessistis. Propterea beatus ille est quod tales genuerit filios : beati vos quoque, quod vobis obtigerit, ut talem patrem haberetis. Egregia est radix et admirabilis, sed fructus quoque non sunt indigni hac radice. Etenim quomodo radix quæpiam admirabilis, quæ latet in sinu terræ, ipsa quidem non apparet, per fructus autem virtutis suæ robur ostendit : ita etiam beatus Meletius in hac capsa conditus, ipse quidem non cernitur a nobis oculis corporis; per vos vero, qui estis fructus, suæ gratiæ vires ostendit. Licet nos sileamus, sufficit dies festus, et fervor vestri studii, ad tuba clarius proclamandum sancti Meletii in vos amorem, tanquam in filios. Sic enim vestras mentes accendit ad sui amorem, ut vel ad solum nomen incalescatis, et excitemini ad ipsam appellationem. Propterea ego quoque nunc non temere, sed studio et dedita opera, nomen illud in meis assidue verbis annecto, et perinde ac quispiam, qui coronam texit auream, margaritas deinde inserens, gemmarum frequentia præclarius efficit diadema : ita ego quoque beato ejus capiti coronam texens encomiorum, veluti margaritarum quarumdam frequentiam, sæpe repetitam ejus appellationem orationi adtexo, sperans fore, ut sic eam jucundiorem reddam et splendidiorem. Solent enim amantes eorum, quos amant, vel nuda complecti nomina, et incalescere ad ipsas appellationes, quod vobis quoque in hoc beato usu venit. Nam cum eum a principio in civitatem ingressum excepissetis, unusquisque filium suum ejus nomine appellabat, per appellationem existimans unusquisque in domum suam sanctum introducere, missisque patribus, avis

et proavis matres beati Meletii nomen imponebant liberis, quos pepererant. Naturam enim vincebat amor pietatis, et deinceps qui nascebantur, non naturali solum benevolentia, sed etiam affectu erga illam appellationem, erant cari parentibus. Ipsum enim nomen et ornamentum cognationis et ædium tutelam, et ita vocatis salutem, et amoris solatium esse existimabant, et perinde ac si quidam, sedentes in tenebris, cum una lampas conspecta fuerit, multas accendentes lucernas, unusquisque infert in domum suam: ita etiam cum illa appellatio, tanquam lumen incidisset in civitatem, quilibet in domum suam beati illius nomen introduxit, veluti quemdam thesaurum bonorum innumerabilium, per illius afferens appellationem: eratque vere illud magnæ pietatis doctrina. Nam cum assidue cogerentur meminisse illius appellationis, et sanctum virum animo complecti, habebant hoc nomen tanquam arma quædam, quibus fugabatur quævis a ratione aliena affectio et cogitatio, fuitque id adeo frequens, ut ubique in biviis, in foro, in agris et in viis hoc nomen undique circumsonaret. Non erga nomen autem solum adeo affecti eratis, sed erga ipsam etiam figuram corporis. Quomodo enim fecistis in nominibus, hoc etiam fecistis in illius imagine: etenim in palis annulorum, et in sigillis, et in phialis, et in thalamorum parietibus, et ubique sacram illam multi expresserunt imaginem, ut non solum audirent sanctam illam appellationem, sed etiam ubique viderent figuram corporis, et ejus exilii duplicem consolationem acciperent. Etenim primum ingressus, statim expulsus est e civitate, inimicis veritatis eum expellentibus. Deus vero id concessit, simul et illius virtutem et vestram fortitudinem volens ostendere. Cum enim ingressus, sicut Moses in Ægyptum, liberasset civitatem ab errore hæresis, putrisque membris et immedicabilibus a reliquo corpore

amputatis, integram restituisset sanitatem Ecclesiæ multitudini, inimici veritatis non ferentes correctionem, concitato Imperatore, expulerunt eum hac civitate, expectantes fore, ut hac ratione veritate essent superiores, et eam rerum emendationem everterent. Evenit autem contra quam expectabant; ac cum studium vestrum, tum ejus in docendo scientia magis effulsit. Illius quidem, quod triginta diebus, nec iis quidem integris, tantum vos potuit in studio fidei fundare, ut postea irruentibus spiritibus innumerabilibus, illabefacta et inconcussa manserit illa doctrina: fervor autem vester se aperte ostendit, quod triginta, et nec iis quidem integris, diebus jacta ab illo seminatam accurate suscepistis, ut ad profundum mentis radices transmiseritis, et nulli deinceps illatæ de cætero cesseritis tentationi.

II. Operæ pretium est autem, non illud prætermittere, quod accidit in ejus persecutione. Nam cum præses civitatis curru vectus exiret per medium forum, sedente ad latus sancto viro, lapides nive crebriores undique in caput præsidis ferebantur, civitate illam non ferente separationem, sed potius vita præsenti privari volente, quam videre sanctum illum avelli. Quid ergo tunc fecit ille beatus? Cum vidisset jactus lapidum, complexis suis vestibus, contexit caput præsidis: simul et inimicos pudore afficiens ob insignem mansuetudinem, et suos docens discipulos, quantam ostendere oporteat patientiam in eos, qui injuria afficiunt: et quod non solum nihil oporteat eis mali facere, sed etiamsi ab aliis eis immineat periculum, id quoque omni studio propulsare. Quis tunc non fuit obstupefactus, videns et insanum amorem civitatis, et summam philosophiam, lenitatemque, et mansuetudinem doctoris? Erant enim admirabilia ea, quæ tunc acciderunt. Pastor abigebatur, et oves non dispergebantur: gubernator ex

pellebatur, et scapha non mergebatur : agricola fugabatur, et vitis plus fructus ferebat. Quoniam enim vinculo charitatis eratis inter vos invicem colligati, non illatæ tentationes, non impendentia pericula, non viæ longitudo, non diuturnitas temporis, neque quidquam aliud vos potuit disjungere a beati pastoris Meletii consuetudine, sed expellebatur quidem, ut esset procul a filiis : contrarium autem accidit. Magis enim vobis constringebatur vinculis charitatis, et accepta secum universa civitate, in Armeniam profectus est. Et erat quidem corpus positum in patria, mens vero et cogitatio, veluti a quibusdam pennis, in altum elata a gratia spiritus, et apud vos perpetuo degens, universum hunc populum circumferebat in visceribus. Quod ipsum quoque vobis usu veniebat. Nam cum hic sederetis, et urbe circumscriberemini, spiritu charitatis in Armeniam quotidie evolantes, et sanctum vultum intuentes, et jucundissimam beatamque vocem audientes, sic revertebamini. Et propter hanc causam, concessit Deus eum statim expelli e civitate, quo, sicut dixi, ostenderet Deus vestram fidei firmitatem inimicis, qui vos, et illius in docendo peritiam oppugnabant : illud autem hinc palam est. Nam post primam reversus persecutionem, non triginta solum dies, sed etiam menses, et annum unum et duos et plures hic est versatus. Cum enim satis magnum dedissetis argumentum vestræ circa fidem firmitatis, dedit vobis potestatem jucunde et secure fruendi patre. Erat enim maxima voluptas, illo sancto frui vultu. Non enim solum docens vel loquens, sed etiam si tantum videretur, satis erat ad introducendam omnem virtutis doctrinam in eorum, qui videbant, animam. Quando enim ad vos veniebat et universa civitas ei obviam processerat, alii quidem prope accedebant, et pedes prehensabant, et manus osculabantur, et vocem audiebant; alii autem prohibiti

multitudine, ipsum procul videntes, tanquam qui sufficientem benedictionem ex aspectu accepissent, et non minus habuissent, quam qui prope fuissent, contenti recedebant: et quod fiebat in Apostolis, hoc in eo quoque contingebat. Sicut enim in Apostolis, qui progredi et propius accedere non poterant, vel cum umbra eorum extenderetur, et tangeret eos, qui procul erant, eamdem attrahebant gratiam, et sani similiter recedebant[1]: ita nunc quoque, qui non poterant accedere, tanquam aliquam spiritalem gloriam a sancto illo capite emissam, et ad eos, qui longissime aberant, pervadentem sentientes, etiam ab eo, omni benedictione ex solo aspectu repleti, omnes discedebant.

III. Cum autem visum esset commmuni Deo universorum eum vocare ex vita præsenti, et in chorum Angelorum referre, ne hoc quidem factum est temere, sed ipsum quidem vocant litteræ Imperatoris, cum Deus movisset Imperatorem. Vocant vero ipsum non in propinquum locum, sed in ipsam Thraciam: ut et Galatæ, et Bythini, et Cilices, et Cappadoces, et omnes, qui Thraciæ vicinas regiones habitant, nostra bona cognoscerent: ut qui erant ubique terrarum Episcopi, tanquam in archetypum exemplar, in illius sanctitatem intuentes, et apertum exemplum ab eo accipientes, sui in hoc munere officii certissimam et clarissimam haberent regulam, quemadmodum oporteat administrare et regere Ecclesias. Nam propter urbis magnitudinem, et quod illic resideret Imperator, multi ex multis locis orbis terræ illuc tunc confluebant. Episcopi autem Ecclesiarum, quod Ecclesiæ a longo bello et tempestate respirantes, principium pacis et tranquillitatis acciperent, litteris imperatoris omnes illuc vocabantur. Tunc ergo hic quoque sanctus illuc acce-

[1] Act. v, 15.

dit. Ac sicut in tribus pueris accidit, quando erant præconio renuntiandi et coronandi, extincta vi ignis, fastu tyranni conculcato, confutato omni genere impietatis, ex universo orbe terræ erant eis congregati spectatores. Nam qui ubique terrarum erant satrapæ, principes, et toparchæ propter aliam causam vocati, illos spectaverunt athletas, etiam tunc accidit, ut præclarum fieret beato Meletio theatrum, cum propter aliam causam vocati Episcopi, qui ubique terrarum administrabant Ecclesias, accesserunt, et sanctum illum sunt contemplati. Postquam autem eum aspexissent, et accurate ejus didicissent pietatem, sapientiam, atque zelum fidei, ut qui perfectam et absolutam in se haberet omnem virtutem, quæ decet sacerdotem, tunc eum ad se vocavit Deus. Ideo autem sic accidit, ut levius ferret nostra civitas. Nam si hic emisisset animam, futurum erat intolerabile pondus calamitatis. Quis enim sustinuisset videre beatum illum, extremum emittentem spiritum? Quis sustinuisset videre illa supercilia oculorum deprimi, osque claudi et mandata edere novissima? Quis hoc aspiciens, non defecisset, magnitudine calamitatis? Ne hoc ergo accideret, providit Deus, ut in aliena regione animam exhalaret, ut tempore, quod intercessit, hanc maximam præmeditati calamitatem, cum videremus ingredi corpus, nec animo consternaremur: cum mens jam esset luctui assuefacta: ut etiam contigit. Cum enim venerandum illud corpus excepit civitas, luxit quidem et valde ejulavit: sed luctum cito repressit, tam propter causam, quam diximus, quam propter eam, quæ est dicenda. Benignus enim et clemens Deus misertus nostri doloris alium cito nobis dedit Pastorem, qui virtutes illius accurate referret. Qui cum sedem ascendisset, humili et lugubri veste nos statim exuit, et dolorem extinxit, beati autem Meletii magis memoriam

renovavit. Et dolor quidem flaccescebat, amor vero accendebatur vehementius, et omnino sublata fuit animi ægritudo: quanquam in amissione eorum, qui carissimi sunt, non ita solet evenire. Sed quando quis filium carissimum, vel etiam honorabilem maritum amiserit mulier, donec ejus ferventem conservat memoriam, vehementior luctus animum occupat: quando vero succedens tempus luctum sedaverit, simul cum vehementia doloris extincta est, etiam, quæ vigebat, memoria. In hoc autem beato viro contrarium accidit. Nam animi quidem ægritudo ejecta omnino fuit, recordatio vero non simul abiit cum dolore, sed aucta est vehementius. Testes autem estis vos, qui post tantum tempus, non secus ac apes favum, circumvolatis corpus beati Meletii. Causa vero erat, non a natura ortus in illum amor, sed recti judicii ratiocinatio. Ideo non fuit morte extincta sancti Meletii memoria, tempore non emarcuit: sed augetur et majus accipit incrementum, non in iis solum, qui viderunt, sed etiam in iis, qui non viderunt. Est enim hoc quoque admirabile, quod qui fuerunt illius vitæ tempore juniores, ii quoque accenduntur ad idem desiderium. Atque vos quidem senes in hoc superatis eos, qui non viderunt, quod cum eo versati estis, et fructum percepistis sanctæ ejus consuetudinis: qui autem non viderunt, in eo vos superant, quod cum virum non aspexerint, in ipsum non minus desiderium ostendant. Oremus itaque omnes simul tam magistratus quam privati, tam mulieres quam viri, tam senes quam juvenes, tam servi quam liberi, beatum ipsum Meletium harum precum socium accipientes. Est enim ei nunc major fiducia, et amor in nos ferventior, ut hæc nobis augeatur charitas, et nos omnes id consequamur, ut quomodo hic prope arcam istam astamus, ita illic quoque prope beatum et æternum ejus tabernaculum esse, et bona æterna nobis

reposita consequi possimus. Quæ detur nobis omnibus obtinere, gratia et clementia Domini nostri Jesu Christi: per quem et quî cum Patri gloria, et imperium simul cum sancto Spiritu, in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA

Panegyrica in S. martyrem Lucianum.

I. Quod hesterno die pertimescebam, evenit, et ad effectum jam perductum est; nempe ubi festum præteriit, simul etiam multitudo nobis abscessit, minorque nobis cœtus est factus. Hoc equidem prorsus eventurum sciebam, non tamen idcirco destiti a cohortatione: licet enim haud omnes morem gesserint, qui hesterna luce audierunt, non tamen omnes etiam non obtemperarunt: neque vero parum apud nos ad consolationem hoc valet; quamobrem neque hodierno die ab hac admonitione desistam: nam si minus ex nobis, ex vobis quidem certe audient, quæ dicuntur. Quis enim tantam illorum socordiam silentio ferre possit, aut venia illos, et excusatione dignos ducere, qui cum tanto tempore matrem vidissent, et bonorum, quæ in ea sunt, participes facti essent, recesserunt, neque rursus reverti dignati sunt, nec columbam Noë, sed corvum imitati sunt; idque dum æstus adhuc, et tempestas illa perseverat, graviorque quotidie procella excitatur, ac proposita in medio arca ista sancta cunctos advocat, ac se pellicit, et multam præbet ad se confugientibus securitatem? Non enim aquarum neque fluctuum irruptiones, sed continuas alienissimarum a ratione perturbationum seditiones coërcet, in-

vidiam tollit, et arrogantiam refrenat. Nam neque dives despicere pauperem poterit, cum ex Scripturis audiet, « Omnis caro fenum, et omnis gloria hominis quasi flos » fœni[1] : » neque pauper alterum ditescentem videns invidia capietur, cum et ipse audiet alterum Prophetam dicentem, « Ne timueris cum dives factus fuerit homo, et » cum multiplicata fuerit gloria domus ejus. Quoniam » cum interierit, non sumet omnia : neque descendet cum » eo gloria ejus[2]. » Talis namque est opum istarum natura : non transferuntur cum dominis : non cum possessoribus transmigrant ; non in judicium vocatis illic ac pœnas luentibus patrocinantur, sed per mortem penitus præciduntur ; imo multos etiam ante mortem deseruerunt ; infidus est usus, fructus instabilis, periculosa possessio. At non ejusmodi sunt virtutis et eleemosynæ bona, verum a prædatione tutus est hic thesaurus : unde hoc constat ? Qui de divitiis istis philosophando dixit, « Non descendet » cum eo gloria ejus post eum, » hic et de eleemosynæ thesauris, qui permanent semper, nec unquam compilantur, nos erudivit, cum ita dixit : « Dispersit, dedit paupe» ribus, justitia ejus manet in sæculum[3]. » Quid hoc mirabilius esse possit ? Quæ colliguntur pereunt, et manent quæ disperguntur, ac merito sane : nam ista quidem suscipit Deus ; cæterum ex Dei manu rapere nemo potest : illa vero in hominum thesauris reponuntur, ubi multis insidiis sunt obnoxia, ubi multa invidia et livor. Noli ergo, dilectissime, loci hujus frequentationem contemnere : sive enim mœror aliquis negotium facessat, hic relegatur : sive curæ sæculares, aufugiunt : sive alienæ a ratione perturbationes, sedantur : a foro autem et theatris ac cæteris profanis conventibus, multis accumulatis curis ac mœroribus animæque morbis, domum redimus. Si hic assidue verseris,

[1] Isaï. XL, 6. — [2] Psal. XLVIII, 17. — [3] Id. III, 9.

prorsus etiam ea, quæ foris contraxisti mala depones: sin autem resilias fugiasque, illa etiam, quæ sacrarum ope Scripturarum bona tibi comparasti, prorsus amittes, tuæque opes sensim a profanis illis concessibus et colloquiis subripientur. Atque ut hæc vera esse noscatis, cum hinc discesseritis, eos, qui hodie abfuerunt videre studete, tum quantum inter vestram animi tranquillitatem et illorum anxietatem intersit, animadvertetis. Non ita pulchra est ac venusta sponsa in thalamo sedens, ac mirabilis est anima gloriosaque, dum in Ecclesia spiritualia spirans unguenta comparet. Qui enim huc cum fide ac studio ventitat, innumeris thesauris ditatus abscedit: etsi tantum os aperuerit, omni odorum suavitate continuo ac spiritualibus opibus complebit illos, qui congressu ejus fruuntur: et si sexcentæ ingruerint calamitates, omnes æquo animo feret: utpote qui e Scripturis divinis patientiæ philosophiæque sufficientem occasionem hinc acceperit. Et sicut is qui perpetuo in rupe consistit, fluctus despicit: sic et is, qui assidue collecta perfruitur, ac divinis sermonibus irrigatur, tanquam in rupe, in recto rerum judicio se ipsum collocavit, nullis rebus humanis capietur: ut qui multo altius se provexerit, quam quo possent negotiorum sæcularium incursiones pertingere. Neque vero tantum ex admonitione, sed etiam ex precibus, ex paterna benedictione, ex communi conventu, fratrumque charitate, atque aliis sexcentis ex rebus multa utilitate atque animi oblectatione percepta solet discedere, atque innumera bona domum reportare. Perpende itaque hodie quanta vos benedictione cumulandi sitis, quanto illi damno mulctandi. Nam vos quidem martyrum mercede percepta discedetis: illi vero præterquam quod lucro isto privabuntur, alio quoque damno afficientur, quod ex futilibus occupationibus multas sollicitudinum sordes contrahent. Quemadmodum

enim is « Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, » mercedem Prophetæ accipiet : et qui justum recipit in » nomine justi, mercedem justi accipiet[1] : » sic et is qui martyrem recipit in nomine martyris, mercedem martyris accipiet. Tum vero quis martyrem recipit, cum ad ejus memoriam convenit, cum ejus certaminum narrationis fit particeps, cum facta collaudat, cum virtutes imitatur, cum apud cæteros præclara illius facinora prædicat. Hæc martyrum hospitalia sunt dona: sic istos sanctos quis suscipit : sicut et vos utique hodierno die fecistis.

II. Heri itaque Dominus quidem noster aqua baptizatus est, hodie vero servus sanguine baptizatur : hesterno die cœli portæ sunt reseratæ, hodie inferorum portæ sunt conculcatæ. Neque miremini, quod baptismum martyrium nuncuparim : nam et hic Spiritus cum multa advolat ubertate, ac peccatorum abolitio, et animæ fit purgatio quædam mirabilis ac stupenda : et quemadmodum ii, qui baptizantur aquis, ita qui martyrium patiuntur, proprio sanguine abluuntur; quod utique et in isto evenit. Verum ante quam de cæde, operæ pretium est ut de diaboli versutia verba faciamus. Nam cum omne suppliciorum ac pœnarum genus ab eo derisum animadverteret, ac se neque accensa fornace, neque barathro effosso, neque rota parata, neque cum in equuleum sustulisset, neque cum in præcipitia projecisset, neque cum dentibus ferarum objecisset, sancti philosophiam superare potuisse ; aliud acerbius genus excogitavit, quærensque circumibat, ut supplicium inveniret, quod simul et acerbissimum esset et longissimum. Quoniam enim eæ quidem pœnæ, quæ sunt intolerabiles, hoc afferunt, ut iis ocyssime liberemur ; quæ vero longiores sunt, aliquid subtrahunt de dolore, reperire pœnam studuit, in qua utrumque simul esset et

[1] Matth. x, 41.

diuturnitas, et intolerabilis doloris excessus, ut cum vehementia, tum diuturnitas temporis animum ejus constantem dejiceret. Quid ergo facit? fami sanctum hunc exponit. At tu cum de fame audis, ne quod dictum est oscitanter prætereas : est enim illa mors omnium acerbissima, quod illi, qui sunt experti, testantur : absit enim ut id nos experiamur : recte namque sumus edocti, ut oremus, ne in tentationem intremus[1]. Etenim tanquam visceribus intus insidens carnifex quispiam omnia membra dilaniat, quovis igne feraque sævius corpus omni ex parte corrodit, ac continuum et inexplicabilem dolorem inurit. Atque ut quanta res sit fames intelligas, etiam liberos sæpenumero devorarunt matres, cum istius mali violentiam ferre non possent. Et hanc deplorans calamitatem Propheta dicebat : «Manus mulierum misericordium coxerunt filios suos[2]: » quos pepererant comedebant, et natorum infantium venter, qui pepererat, sepulcrum efficiebatur, et naturam fames superavit : imo vero non naturam modo, sed etiam voluntatem : at hujus sancti generositatem minime superavit. Quis ergo, cum hæc audierit, non obstupescat? tametsi quid potentius est natura? quid contra voluntate mutabilius? verum ut nihil esse Dei timore validius scias, vehementius aliquid esse natura voluntatem apparuit, eaque matres vicit, ac partus oblivisci coëgit : hunc vero sanctum supplantare non potuit, neque philosophiam supplicium vicit, neque fortitudinem pœna superavit : sed quovis adamante firmior permanebat, seque bona spe oblectabat : materiam agonum se nactum gloriabatur, et ex certaminum oblata occasione consolabatur, præsertim quotidie Paulum dicentem audiens : «In fame et siti, in » frigore, et nuditate[3]: » et rursus : « usque in hanc horam » et esurimus, et sitimus, et nudi sumus, et colaphis cædi-

[1] Matth. XXVI, 41. — [2] Thren. IV, 10. — [3] 2 Cor. XXI, 27.

»mur[1].» Noverat quippe, noverat probe illud : «Non in »solo pane vivet homo, sed in omni verbo quod procedit »de ore Dei[2].» Ut autem illum improbus dæmon vidit tanta rei necessitate non frangi, graviorem cruciatum reddidit : etenim sumptis idolothytis, eisque mensa referta, ante conspectum ejus collocari eam curavit, ut facultas utendi, animi robur infringeret. Non enim adeo irretiri solemus cum res eæ, quibus allicimur, non apparent, ac cum oculis obversantur ; quandoquidem et mulierum cupiditatem facilius quis superaverit, dum mulierem formosam non videt, quam si sæpe oculos in eam intendat. Verumtamen has quoque insidias justus vicit, quodque fortitudinem ejus diabolus infracturum putabat, hoc eum magis ad certamina corroboravit et instruxit : non enim tantum nihil ab idolothytorum aspectu lædebatur, sed ea magis idcirco aversabatur et oderat. Et quemadmodum erga inimicos afficimur, quos quia videmus, tanto eos odio majori prosequimur et aversamur : sic et ille tunc erga impuram illam victimam afficiebatur : eo magis detestabatur, ac refugiebat, quod videbat, et appositorum ciborum aspectus majus odium in eo atque aversationem excitabat : dumque intus magna illum voce sollicitaret fames, et apposita degustare juberet, tum Dei timor ejus manus reprimebat, et ut ipsius naturæ oblivisceretur, efficiebat : dumque pollutam et execrandam mensam intueretur, alterius mensæ tremendæ, ac spiritu repletæ recordabatur, adeoque inflammabatur, ut quævis sustinere, ac pati statueret potius, quam impuros illos cibos degustare. Recordabatur et illius trium puerorum mensæ, qui juvenes capti omnique patrocinio destituti, in terra aliena ac barbara regione tantam philosophiam ostenderunt, ut ad hunc usque diem ipsorum fortitudo celebretur[3]. Ac Judæi

[1] I Cor. IV, 11. — [2] Matth. IV, 4. — [3] Dan. I, 8.

quidem dum suam etiam regionem oblinerent, impii in Deum fuerunt, et dum in templo versarentur, idola coluerunt : at illi juvenes in barbaricam terram translati, ubi idola omnisque impietatis occasiones erant, paternos ritus perpetuo retinuerunt. Si ergo captivi, servi, ac juvenes ante legem gratiæ tantam philosophiam præ se tulerunt, inquit, qua tandem nos venia digni erimus, si ne ad eamdem quidem atque illi virtutem pervenire valeamus?

III. Hæc itaque secum reputans diaboli malitiam irridebat : calliditatem contemnebat : neque ad quidquam eorum, quæ cerneret, flectebatur. Postquam autem se nihil proficere sceleratus ille vidit, ad tribunal eum rursus deducit, et tormentis admotis frequenter interrogabat. Ille vero ad unamquamque interrogationem tantum respondebat, Christianus sum, ac dicente tortore, Quanam ex patria ortus es? Christianus sum, ait : quam artem profiteris? Christianus sum : quibus parentibus natus es? ille vero ad omnia dicebat, Christianus sum : hoc uno ac simplici verbo diaboli caput percutiens, et illi continua sibique succedentia vulnera infligens. Quanquam ille quidem externis imbutus fuerat disciplinis : at probe noverat in ejusmodi certaminibus non esse opus eloquentia, sed fide : non dicendi facultate, sed anima Dei amore succensa. Unum, inquit, verbum ad omnem diaboli turmam in fugam vertendam sufficit. Ac videtur quidem iis, qui rem accurate non examinant, minus conveniens esse responsio : sed si quis attentius eam consideret, ex hac quoque sapientiam Martyris animadvertet. Qui enim, Christianus sum, dixit, et patriam et genus et artis professionem et omnia declaravit. Quo tandem pacto? ego dicam. Christianus urbem in terra non habet, sed Jerusalem quæ sursum est. «Illa enim, inquit, quæ sursum est Jerusalem,

»libera est : quæ est mater nostra[1].» Christiano terrena nulla est artis professio, sed ad supernam conversationem vitæ pertinet. «Nostra enim, inquit, conversatio in cœlis »est[2].» Christianus cognatos habet sanctos omnes ac cives : «Sumus enim, inquit, cives sanctorum, et domestici »Dei[3]:» itaque uno verbo et quis esset, et unde, et ex quibus, et quid agere soleret exactissime docuit, et vitam cum hac voce finivit, abiitque salvum referens Christo depositum, ac posteris ex iis, quæ passus est, cohortationem reliquit, ut insistant, nihilque nisi peccatum et negationem tantum reformident. Hæc itaque nos etiam cum noverimus, pacis tempore bellicis in rebus nos exerceamus : ut cum belli tempus advenerit, illustre nos quoque tropæum erigamus. Famem contempsit ille, delicias et nos contemnamus, ac ventris tyrannidem evertamus : ut si tempus adveniat, quod tantam fortitudinem a nobis reposcat, in minoribus antea rebus exercitati, præclari in scammate compareamus : coram principibus ille ac regibus libere locutus est ; hoc nos faciamus nunc quoque : ac si in opulentorum et illustrium Paganorum conventibus consideamus, fidem cum fiducia profiteamur : irrideamus illorum errores. Quod si res quidem suas magnifice efferre, nostras autem deprimere aggrediantur, ne taceamus, neve leniter feramus : sed ipsorum turpitudinem detegentes, multa cum sapientia fiduciaque res omnes Christianorum laudibus evehamus : et quemadmodum Imperator in capite diadema, sic et nos ubique confessionem fidei circumferamus. Non enim illum adeo corona, ut nos fides ejusque confessio solet exornare : non verbis tantum, sed etiam rebus ipsis id agamus, et vitam confessione dignam in omnibus exhibeamus : ne dogmata operum improbitate dedecoremus, sed in omnibus Dominum nostrum glorifican-

[1] Galat. IV, 26. — [2] Philip. III, 20. — [3] Ephes. II, 19.

tes cum hujus sæculi, tum illius honore potiamur : quem nos omnes utinam consequamur gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, per quem et cum quo Patri gloria, imperium et honor una cum sancto ac vivifico Spiritu nunc et semper et in sæcula sæculorum, Amen.

HOMILIA

De sancto Hieromartyre Babyla.

I. Volebam equidem hodierno die debitum reddere[1] quod nuper vobis, cum hic essem, promisi : sed quid faciam? beatus Babylas interveniens apparuit, et ad se ipsum nos vocavit; non quod vocem miserit, sed quod splendidi oris dignitate nos ad se converterit. Ne igitur ægre feratis, si reddere differamus : omnino enim quanto protrahitur tempus longius, tanto vobis et fœnus augetur : nam pecuniam cum fœnore persolvemus : quando ita Dominus jussit[2], qui nostræ illam fidei commisit. In tuto ergo rem creditam fore confidentes, ut pote cum sors vobis et lucrum immota et certa maneant, interrepentem hodie quæstum ne prætermittamus, sed præclaris beati Babylæ facinoribus oblectemur. Enim vero quo pacto præfectus huic Ecclesiæ nostræ fuerit, et in mediis procellis, tempestatibus, fluctibusque sacram hac navim servarit, quantamque fiduciam, cum Imperatorem alloqueretur, præ se tulerit, et quo pacto pro ovibus animam suam posuerit, ac beatam illam cædem subierit, hæc et alia ejusmodi senioribus commemoranda doctoribus et

[1] Vide D. Guillon, tom. XVI, p. 574-575. — [2] Luc. XIX, 23.

communi patri nostro relinquemus : res enim antiquiores præclare vobis a senibus possunt narrari : quæ vero non ita pridem ac nostra ætate sunt gesta, vobis juvenis ego narrabo, quæ nimirum post obitum, post exequias martyris, ac dum in suburbio moraretur, acciderunt. Ac scio equidem fore, ut promissum nostrum gentiles irrideant, quod post obitum et exequias ejus, qui sepultus sit, et in cinerem dissolutus, nos præclara facinora commemoraturos promittamus : non tamen idcirco tacebimus, sed ob hoc ipsum potissimum verba faciemus, ut cum rem istam mirabilem ostenderimus, risum et sannas in illorum caput convertamus. Nam hominis quidem cujusvis recte facta post mortem esse nequeunt, Martyris vero et multa et magna possunt : non ut ille fiat illustrior; neque enim ille commendatione indiget vulgi : sed ut tu discas, infidelis, mortem Martyrum non esse mortem, sed initium vitæ melioris, magisque spiritualis conversationis præludium, atque a deterioribus ad meliora transmigrationem. Noli enim hoc spectare, nudum Martyris corpus animæ operatione destitutum esse propositum ; sed illud considera majorem ipsa anima virtutem illi quamdam assidere Spiritus sancti virtutem, quæ editis a se miraculis omnibus spem certam resurrectionis ejus facit. Si enim mortuis corporibus et in pulverem resolutis majorem, quam vivis omnibus virtutem Deus largitus est, multo magis vitam illis priore potiorem ac feliciorem, quo tempore coronas dividet, largietur. Quæ tandem igitur ejus sunt recte facta? verumtamen nolite turbari, si paulo altius sermonem duxerimus : nam et qui recte volunt imagines spectandas proponere, cum spectatores paululum a tabula secedere jusserint, illas deinde retegunt, ut ipsius distantiæ beneficio clarius ab eis possint videri : patimini ergo vos quoque retrorsum orationem nos retrahere. Postquam

enim is qui cunctos impietate superavit, in Imperatorium thronum ascendit Julianus, et sceptrum accepit, confestim in eum, a quo creatus fuerat, Deum manus sustulit, bene meritum de se ignoravit, ac de terra inferius in cœlum respiciens, rabidorum more canum allatrabat, qui in homines a quibus non aluntur, et in eos pariter, a quibus aluntur, clamorem tollunt : imo vero sæviori quam illi furore percitus erat. Nam illi quidem et domesticos et alienos pariter aversantur et oderunt : hic vero dæmonibus ab ejus salute alienis blandiebatur, atque omni eos cultus genere colebat : bene autem de se meritum, ac servatorem suum, quique ne filio quidem suo unigenito ipsius causa pepercit; aversabatur et oderat, crucemque deridebat, rem quæ terrarum orbem pronum in faciem provolutum erexit, quæ tenebras undequaque discussit, et solaribus radiis splendidiorem lucem invexit. Neque vero huc usque tantum progressus est ejus furor, sed ex orbe terrarnm exterminaturum se Galilæorum nationem pollicebatur : sic enim nos appellare solitus erat : quanquam si Christianorum nomen abominandum esse arbitrabatur, rem multæ plenam ignominiæ, qua de causa non inde nos, sed peregrini nominis illius ignominia notare cupiebat? At enim probe noverat nomen illud quod necessitudinem aliquam cum Christo designat, non hominibus tantum, sed et Angelis, et superioribus virtutibus magno esse ornamento : ideo nullum non lapidem movebat, ut hoc nos ornamento spoliaret, ac prædicationem dissolveret. Verumtamen fieri non poterat illud, o miser et infortunate, ut neque fieri poterat, ut cœlum destrueres, solem extingueres, terræ fundamenta concuteres, atque everteres, idque prædixit olim Christus cum ita dixit : « Cœlum et terra transibunt; verba autem mea non transibunt[1]. »

[1] Matth. XXIV, 35, et Marc. XIII, 31.

Sed Christi verba ferre non potes, vocem igitur factorum ipsorum admitte : nam ego quidem, cui scire contingit quid sit denuntiatio divina, quam potens et invicta res illa sit, ipso naturæ ordine, factorumque omnium experientia certiorem ac fide digniorem illam esse credo. Tu vero qui humi serpis adhuc, et humanarum cogitationum disquisitionibus es addictus, testimonium factorum admitte : nihil contradico, non contendo.

II. Quid ergo res gestæ narrant? Dixit Christus facilius esse, ut cœlum et terra dispereant, quam ut unum aliquod verborum ejus intercidat : contradixit his Imperator, et Christiana se dogmata exterminaturum comminatus est : ubi nunc igitur est ille qui talia comminatus est? periit et e medio sublatus est, jamque apud inferos inevitabili supplicio torquetur : ubi vero Christus est, a quo illa sunt denuntiata? in cœlis, in dextera Patris altissimum gloriæ thronum obtinens : ubi verba Imperatoris blasphema, et insolens illa lingua? cinis et pulvis, et vermium cibus evasit : ubi Christi denuntiatio? ab ipsa veritate rerum gestarum elucet, ac tanquam ab aurea columna quadam ab eventu factorum coruscat. Tametsi nihil ab Imperatore tum prætermissum est, quo se ad bellum nobis inferendum compararet : sed et vates accersebat et præstigiatores convocabat, omniaque dæmonibus et malignis spiritibus redundabant. Quæ tandem igitur cultus istius fuere præmia? civitatum eversiones, et fames quovis genere famis acerbior. Scitis enim utique ac recordamini, quo pacto venalibus rebus destitutum fuerit forum, ac plenæ tumultuum officinæ, cum unusquisque quod primum occurrisset, præripere contenderet, ac discedere. Sed quid ego famem dico, cum vel ipsi aquis destituti fontes essent, fontes qui copia fluentorum flumina ipsa superabant? Quando autem in fontium mentionem

incidimus, age deinceps ad Daphnes suburbium ascendamus, et rationem ad Martyris præclara facinora traducamus. Enim vero probra et dedecora gentilium divulgare percupitis, attamen hoc pacto etiam illa in medium adducemus: siquidem ubi martyrum fit mentio, illic et gentilium dedecus innotescit. Hic igitur Imperator cum Daphnen ascendisset, illic Apollinem precibus fatigabat, sollicitabat, supplicabat, ut sibi de rebus futuris quidpiam vaticinaretur. Quid igitur magnus ille gentilium vates Deus? Mortui me impediunt, inquit, ne loquar. At tu capsulas effringe, ossa effodi, mortuos transfer: quid scelestius his mandatis fieri possit? insolitas dæmon sepulcrorum spoliationis leges invehit, et novos abigendi hospites modos excogitat: quis unquam mortuos ejectos audivit? quis anima destituta corpora sedibus pelli jussa vidit, quemadmodum hic imperavit, et communes naturæ leges funditus evertit? Sunt enim apud mortales omnes hæ leges communes, ut qui vita functus est, terra condatur, sepulturæ tradatur, ac sinu magnæ omnium matris obvolvatur. Atque has non Græcus, non barbarus, non Scytha, nec si quis illis immanior reperiatur, unquam leges convulsit, sed reverentur et observant omnes, adeoque sacræ, et apud omnes veneratione sunt dignæ: dæmon autem sublata larva communia naturæ dogmata palam oppugnat. Piaculum enim, inquit, sunt mortui. Non mortui sunt piaculum, scelestissime dæmon, sed voluntas prava res abominanda est. Quod si dicendum sit admiratione dignum aliquid, vivorum potius nequitiæ plena, quam mortuorum detestanda sunt corpora: nam illa quidem animæ famulantur imperiis; hæc vero immobilia jacent: quod autem immobile est, omnique sensu destitutum, ab omni criminatione liberum esse solet. Quanquam alioqui ne vivorum quidem corpora dixerim ego natura esse abominanda, sed ubique

pravam et perversam voluntatem omnium criminationibus esse obnoxiam. Non corpus mortuum est piaculum, o Apollo, sed puellam caste vivere volentem persequi, virginisque pudicitiæ stuprum afferre, et ab impudenti actione depulsum lugere, hoc accusatione dignum et pœna. Ac multi quidem apud nos mirabiles magnique Prophetæ extiterunt, qui de rebus futuris vaticinati sunt, nec uspiam iis a quibus interrogabantur imperabant, ut defunctorum ossa refoderent : quin ipse etiam Ezechiel prope ipsa stans ossa, non modo nihil ab illis impediebatur, sed et carnem illis, nervos pellesque circumdedit, ac rursus ad vitam illa revocavit[1]. Magnus autem Moyses non juxta mortua stetit ossa, sed ipsum integrum mortuum proferens Joseph, ita futura prædicebat[2] : ac merito sane. Nam illorum quidem verba spiritus donum erant : horum autem verba fraus et mendacium, quod nulla potest ratione celari. Nihil enim aliud hæc fuisse, quam obtentum et prætextum, ac beatum Babylam eum reformidasse, satis liquet ex iis, quæ ab Imperatore sunt acta : siquidem reliquis omnibus omissis mortuis solum illum martyrem loco movebat. Quanquam si quod illum abominaretur, ac non potius timeret, hæc ab illo gerebantur, confringi loculum, in mare demergi, in solitudinem amandari, vel alio quopiam perditionis genere deleri jubendum fuit; hoc enim abominantis fuisset. Ita fecit Deus cum de gentium abominationibus Hebræos allocutus est, confringi statuas ipsarum jussit, non a suburbiis in urbes piacula transferri.

III. Ac movebatur quidem loco Martyr : dæmon autem ne sic quidem securitate fruebatur, sed confestim didicit ossa quidem Martyris loco moveri posse, manus autem martyris evitari non posse. Nam simul ac loculus ad urbem pro-

[1] Ezech. XXXVII. — [2] Exod. XIII, 19.

tractus est, de cœlo fulmen in statuæ caput immissum cuncta combussit. Enim vero si minus antea, tum saltem impium Imperatorem irasci par fuit, et in Martyrium martyris iram effundere, sed ne tum quidem ausus fuit: tantus illum timor occupaverat : quin potius licet incendium videret intolerabile, causamque probe illius nosset, quietus fuit. Neque vero tantum hoc mirum est, quod Martyrium non subvertit, sed quod ne tectum quidem templo rursus imponere ausus est. Noverat quippe, noverat immissam esse cladem a numine, ac pertimescebat, ne si quid ulterius excogitasset, ignem illum in suum caput accerseret. Propterea cernere templum Apollinis ita desolatum sustinuit : neque ulla fuit alia causa, ob quam id quod evenerat, minime reparavit, nisi solus timor qui eum invitum quietem agere coëgit : idque cum sciret quantam ignominiam dæmoni relinqueret, quantum Martyri decus. Stant enim jam pro tropæis parietes, et tuba clariorem vocem mittunt; ac Daphnes incolis, urbis incolis, his qui e longinquis regionibus illuc ventitant, hujus ætatis, ac temporum futurorum hominibus ipso aspectu cuncta narrant, luctam, congressum, victoriam Martyris. Nam qui longe dissitus est a suburbio, cum Martyrium quidem loculo destitutum, templum autem Apollinis tecto privatum intuitus fuerit, horum utriusque causam verisimile est quæsiturum; cumque deinde totam historiam didicerit, sic inde discessurum : ejusmodi sunt præclara Martyris post obitum ejus facinora. Quamobrem vestram quoque laudo civitatem, quod multum erga sanctum istum studium exhibueritis. Nam quo tempore Daphne revertebatur, tota nobis civitas in viam effusa est, vacua fuerunt viris fora, vacuæ feminis ædes; deserti a virginibus thalami : sic et omnis ætas, et uterque sexus exilierunt ex urbe, tanquam patrem ex longa peregrinatione post multum

tempus revertentem recepturi. Ac vos quidem illum eodem zelo succensorum cœtui reddidistis, Dei vero gratia perpetuo manere illic non permisit, sed rursus illum ultra flumen transtulit, ut multa loca suavi Martyris odore complerentur. Neque vero, cum huc venisset, solus mansurus fuit, sed vicinum confestim et contubernalem, iisdemque moribus præditum accepit. Nam et ejusdem præfecturæ particeps factus est, et æqualem loquendi libertatem in causa religionis exhibuit : quapropter et idem ac ipse domicilium obtinuit, non frustra, ut videtur, hic mirabilis Martyris imitator. Tanto enim tempore illic laboravit ad Imperatorem litteras mittens, magistratus interpellans, et corporis ministerium Martyri deferens. Scitis enim utique ac recordamini, quo pacto æstivo tempore, dum meridiani solis radiis cœlum arderet, cum suis assessoribus singulis diebus illuc pergeret, non ut spectaret solum, sed etiam ut in eorum, quæ gerebantur, consortium veniret. Nam et lapides sæpius attigit, et funem traxit, et ei qui structura aliqua indigebat, ante ipsos ministros obtemperavit. Noverat quippe, noverat quanta ipsi horum causa præmia reservanda essent : atque idcirco in obsequio cultuque Martyrum perseverabat, non splendidis tantum ædificiis struendis, aut continuis festis celebrandis, sed potiori quadam his omnibus ratione : quanam illa tandem? vitam imitatur illorum, fortitudinem æmulatur, ac per omnia imaginem Martyrum pro viribus in se ipso conservat. Vide enim : exposuerunt illi corpora mactationi : at hic membra carnis mortificavit, quæ sunt super terram : restiterunt illi flammæ ignis, hic cupiditatis flammam restinxit : pugnarunt illi cum dentibus bestiarum, sed et hic sævissimam in nobis perturbationum iram sedavit. Horum igitur omnium causa Deo gratias agamus, quod et Martyres nobis ita generosos largitus sit, et Mar-

tyribus dignos pastores ad consummationem sanctorum, in ædificationem corporis Christi[1], cum quo Patri gloria, honor, imperium cum sancto et vivifico Spiritu nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

LIBER

In sanctum Babylam, contra Julianum, et contra Gentiles.

I. Dominus noster Jesus Christus supplicium jamjam subiturus, et morte vivifica moriturus, nocte illa postrema, discipulos seorsim vocavit, ipsisque tum alia multa monita dedit, tum hæc etiam verba fecit : « Amen, amen » dico vobis, qui credit in me, opera, quæ ego facio, et » ipse faciet, et majora his faciet[2]. » Atqui multi alii magistri exstitere, qui discipulos habuerunt et miracula perpetrarunt, ut Græci jactitant : attamen nullus eorum unquam simile quidpiam vel cogitare vel dicere ausus est. Neque possunt quiquam eorum, etsi admodum impudentes sint, prædictionem sermonemve similem penes se exhibere; sed spectra defunctorum, mortuorumque simulacra multi eorum dicunt a plurimis apud se mirabilium patratoribus ostendi : voces item e sepulchris ad quosdam emissas jactitant; quod autem quis ex viris, qui apud se vixerunt et admirationi habiti sunt, aut ex iis quos post decessum deos reputaverunt, tale quidpiam discipulis dixerit, nullus eorum affirmare audeat. Causam autem, si placet, aperiam; cur scilicet cum cætera omnia impu-

[1] Ephes. IV, 12. — [2] Joan. IV, 12.

denter effutierint, et perfricta fronte mentiti sint, nihil hujusmodi comminisci ausi sint. Non enim abs re, neque sine quadam ratione a tali commento abstinuere : sed astute conspicati sunt pestiferi illi homines eum, qui fucum facere velit, oportere probabilia quædam, et fallaciæ plena, quæ facile non possint falsi argui, proferre. Nam in more est ut piscibus avibusque callidioribus non nudi hami proponantur, sed esca obtegente illi capiantur, atque ita venatio utraque prospere cedat: si vero conspicua retia essent, neque pisces neque aves irretirentur unquam, imò vero ne vel tantillum accederent; sed tum piscator tum venator vacuis manibus redirent. Quia igitur illis in proposito erat homines ceu sagena capere, non nudam fallaciam in hujus vitæ pelagus immisere, sed iis confictis ac compositis, quibus possent imprudentiores capere, ulterius mendacio progredi supersederunt; veriti ne ultra modum procederent, metuentesque, ne posteriorum fraudum immoderato usu, priores subverterent. Nam si dixissent suorum quempiam rem talem pollicitum esse, qualem discipulis Servator noster promisit, etiam iis quos deceperant sese ridiculos præbuissent, utpote qui ne verisimilia quidem mentiri possent: talia enim prædicere atque præstare, ad beatam illam virtutem solam pertinet. Quod si potuere olim dæmones iis, quos deceperant, nonnihil phantasmatis exhibere; id tunc evenit, cum luminis fons vulgo nondum cognitus esset. Illo quippe tempore tum ex aliis fallaciis, tum ex ipsis sacrificiis ostensum est ea, quæ gerebantur, dæmonum opera esse. Nam quod humano sanguine aras suas cruentari juberent, et a generantibus tales sibi parari victimas præciperent, id quam insaniæ speciem non obruat? Qui enim calamitatibus nostris nunquam satiantur, neque ullum finem terminumve ponunt bello contra nos indicto, sed immortali semper rabie

ducti, ac si non satis sit ad eorum explendum animum, quod mulieres et parvuli, ovium boumque loco ad aras suas immolentur, novam homicidii iniquitatem excogitarunt, inauditumque calamitatis induxere modum. Quos enim par erat peremptorum cædes lugere, iis persuasere ut ad miseram illam subeundam cædem sese offerrent: utque non leges modo ab hominibus positæ violarentur, ipsas quoque naturæ leges funditus destruxerunt, ipsam adversum se naturam grassari curantes, omniumque scelestissimam cædem in hominum vitam inducentes. Nullos enim inimicos perinde atque parentes tunc formidabant omnes: ac quibus maxime fidendum erat, eos in primis suspectos habebant et aversabantur. Siquidem nefarii dæmones, per quæ Deus illos ad hujus mundi contemplationem induxerat, per eadem ab ejusmodi dono dejicere satagebant, dum eos qui vitam ministraverant, mortis auctores constituerent; declarare volentes, nihil eos amplius ex Dei bonitate consecutos esse: ut qui non aliis opus haberent interfectoribus, quam parentibus. Hæc etiamsi magnum aliquod miraculum subsecutum fuisset; (ne dicam ostensum fuisse, rem exiguam ac nihili faciendam, multaque plenam fallacia esse;) sed etiamsi vere magna patrata fuissent, ea sane quæ dixi, iis saltem qui non mente capti sunt, demonstrare possunt, quinam essent qui talia agerent, quam flagitiosi, quam scelesti, qui nihil non molirentur ad nostram statusque nostri subversionem.

II. At Dominus noster Jesus nihil tale imperavit nobis; sed mirabilis cum sit ob prodigia, nec minus præceptis, quam signis admirandus, jure ab omnibus adoretur, ac Deus esse credatur. Hanc enim impietatem adventu ipse suo solvit: quodque mirabilius est, a fera illa et immani tyrannide, non nos tantum, qui adoramus eum, sed etiam eos, qui ipsum blasphemis dictis impetunt, liberavit: neque

enim Gentilium quisquam tales hostias dæmonibus suis posthac immolare coactus est: tanta nempe usus est erga genus nostrum benignitate; majoraque bona Deus inimicis suis contulit, quam mala dæmones amicis. Dæmones quippe eos, qui se colerent et honorarent, ad proprios mactandos filios coëgerunt: Christus vero adversarios suos his præceptis liberos esse curavit, et ferini ministerii immunitatem, et pacem hanc mirabilem, non suis modo contulit, sed et alienis præstitit: ostendens illos, tyrannos, generis nostri hostes et corruptores esse; quapropter etiam iis, qui sibi hærebant, quasi alienis utebantur, alieni quippe revera erant. Ille vero rex, creator et servator totius generis humani erat; ideoque ab se alienis quasi propriis pepercit. Etenim proprium ejus opificium erat humana natura, quemadmodum Discipulus ejus ait: «In propria venit, et sui eum non receperunt[1].» Ejus vero totam in nos clementiam enarrare, non est præsentis temporis; sed etiamsi per cuncta sæcula de illa quis loqueretur, etiamsi tantam haberet virtutem, quantam par est incorporeas illas habere Virtutes, ne sic quidem illam pro dignitate posset attingere. Quam bonus enim sit, ipse solus novit, quandoquidem ipse solus ita bonus est. Vide igitur quæ verba discipulis proferat: «Amen, amen dico »vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, et ipse »faciet, et his majora faciet[2].» Neque enim tantum illis honoris contulisset, nisi immensa bonitate præditus esset. Quod si quis dubitando quærat a nobis, ubinam finem habuerit hoc oraculum, accepto libro, cui nomen acta Apostolorum[3], qui non omnium sed unius vel duorum acta, eaque non ita multa continet; videbit ægrotos in lectulis decumbentes, umbrasque beatorum illorum vel solo tactu sanitatem restituisse: multosque furiosos Pauli

[1] Joan. I, 11. — [2] Id. XIV, 12. — [3] Act. V.

tantum vestimentis ab agitante se dæmone liberatos. Quod si quis hæc fucum esse dicat, et portentorum figmenta non credibilia; vel ea quæ nunc videntur satis sunt ad blasphemum ejus os obturandum et confundendum, et ad effrenem ejus linguam cohibendam. Nulla enim in orbe nostro est regio, nulla gens, nulla urbs, ubi hæc miracula non celebrentur, quæ utique si figmenta essent, non admirationi haberentur: cujus rei testimonium vos ipsi exhibere potestis. Non enim fidem aliunde mutuari opus habebimus, cum vos inimici nostri eam exhibueritis. Cur, quæso, Zoroastrem illum (6) et Zamolxim multi ne nomine quidem norunt; imo nonnisi admodum pauci norunt? Nonne quia figmenta erant omnia, quæ de illis dicebantur? quanquam tum illi, tum ii, qui illa confinxerunt, viri graves fuisse ferantur; illi quidem ad præstigias inveniendas exercendasque, hi vero ad mendacium verborum fuco adumbrandum. Sed hæc frustra et incassum proferuntur, quando ipsum argumentum pravum et fallax esse comperitur; ut contra quando certum verumque est, frustra omnia cedunt, quæ ad illud evertendum ab inimicis excogitantur: veritatis quippe robur nullo eget auxilio: sed etiamsi innumeri sint qui illam extinguere conentur, non solum non destruitur; sed etiam impugnantium opera splendidior sublimiorque evadit, illosque irridet, qui frustra sese excruciant et insaniunt. Nostra quippe illa, quæ vos figmenta esse dicitis, et tyranni et reges, et dicendo invicti sophistæ; itemque philosophi et præstigiatores et magi et dæmones destruere curarunt; « Et infirmata » est contra illos lingua eorum[1], » secundum propheticum sermonem, « et sagittæ parvulorum factæ sunt plagæ eo» rum. » Reges quippe ex insidiis contra nos structis tantum lucrati sunt, quantum satis erat ad ferini animi famam

[1] Psal. LXIII, 8.

apud omnes sibi parandam : ob iram enim contra Martyres susceptam, in communem naturam ferocientes, sese imprudentes sexcentis opprobriis obnoxios reddiderunt. Philosophi autem et acuti Rhetores, opinionem magnam, alii probitatis, alii eloquentiæ apud multos habentes, post commissam adversum nos pugnam ridiculi effecti, a pueris nugacibus nihil differre visi sunt. A tot enim populis gentibusque non sapientem quempiam, non insipientem, non virum, non mulierem, non parvulum ad suam pertrahere sententiam potuerunt; sed eorum scripta usque adeo risu digna sunt, ut ex eorum libris alii jamdiu perierint, alii statim atque visi sunt exoleverint. Quod si quid ex iis supersit, apud Christianos servari comperitur: tantum abest ut ex eorum insidiis damni quidpiam nobis timendum suspicemur; ita ridemus versutos illorum adversum nos conatus. Neque enim si corpora nobis adamantina essent et incorruptibilia, scorpiones, serpentes et ignem manu stringere formidaremus; verum ostentandi causa faceremus; sic neque quando nobis Christus ejusmodi animos atque fidem paravit, venena hostium penes nos habentes pertimescimus. Nam si nobis jussum est supra serpentes, scorpiones et omnem diaboli tyrannidem ambulare, multo magis supra vermes et lumbricos, tantum enim est intervallum inter illorum nocumentum, et maligni diaboli insidias.

III. Et nostrarum quidem rerum illa est ratio, vestras autem res oppugnavit nemo unquam. Neque enim fas est Christianis necessitate ac violentia errorem subvertere, sed suadela, sermone et mansuetudine hominum salus curanda est. Quamobrem nemo ex Christianis Imperatoribus talia contra vos posuit decreta, qualia contra nos ii qui dæmones colebant. Attamen error ille Gentilium, tantam consecutus quietem et a nemine turbatus unquam, per

se tamen extinctus est, et in se ipse corruit, more corporum, quæ diuturna tabe infecta, nemine lædente per sese corrumpuntur, et paulatim dissoluta pereunt. Itaque etsi Satanicus iste risus non prorsus in terra deletus est; at quæ jam contigerunt satis sunt ad futurorum confirmandam fidem. Cum enim ita brevi tempore maxima pars eversa jam fuerit, de reliquo nemo postea controversiam movebit. Et enim urbe capta, muris dirutis, prætoriis, theatris, ambulacris exustis, cæsisque omnibus, qui florida erant ætate; si quis semiustas porticus videat, paucarum ædium stantes adhuc partes cum aniculis et puerulis, nequaquam victori, qui summam rei confecit, timuerit, ne quod residuum est perficere non valeat. Piscatorum autem res non ita se habent, sed quotidie magis magisque florent; non per apertam planitiem, ac per quietem ad nostram usque ætatem deductæ; sed per ærumnas, bella et prælia. Gentilitas quippe cum ubique terrarum prolata, omnium animos occupasset, ita demum post tantum robur atque incrementum, a Christi virtute soluta est: prædicatio autem nostra, non tunc hostes habere cœpit, cum ubique propagata firmiter staret; sed priusquam in auditorum animis defigeretur et fundaretur, ab ipso rei primordio, contra universum terrarum orbem aciem instruere cogebatur, « Contra principatus et potestates, et » rectores tenebrarum sæculi hujus, adversus spiritualia » nequitiæ[1] : » cum enim scintilla fidei nondum bene accensa esset, tum flumina et abyssi undique influebant. Scitis porro non perinde esse plantam ab innumerabilibus jam annis radices agentem evellere, atque eam, quæ nuper insita fuerit. Sed in eo rei statu, pietatis scintillam adhuc modicam, ut dixi, inundavit adversariorum pelagus, quæ tamen nedum extingueretur, major etiam ac splendi-

[1] Ephes. VI, 12.

dior effecta, omnia cito pervadebat, res adversariorum facile devastans ac consumens, suam vero rem erigens, atque in immensam tollens altitudinem, etiamsi viri tenues atque obscuri eam administrarent. Nec in causa erant piscatorum hujus modi verba vel miracula, sed Christi virtus in ipsis operans. Ex illis enim, qui talia patrabant, alter Paulus erat, tentoriorum artifex; alter Petrus piscator: neque tam tenuibus hominibus in mentem venisset unquam rem talem confingere, nisi quis eos insaniisse et mente captos fuisse dicat. Quod autem non insanirent palam est tum ex iis, quæ sermone perfecere, tum ex iis, qui etiamnum illis obtemperant. Nunquam igitur talia illi ementiti fuissent, vel gloriabundi jactitassent: Etenim, ut principio dicebam, qui decipere vult, mentitur quidem, sed non ita mentitur, ut ab omnibus de prehendi possit. Nam si postquam res contigerunt, et tam multi earum eventum testificati sunt, tum ex iis, qui illis temporibus crediderunt, tum ex iis qui postea hæc ubique celebrarunt, nec apud nos tantum, sed apud barbaros, et apud eos qui ipsis barbaris efferatiores sunt, supersunt tamen quidam, qui post tot signa, et totius, ut ita dicam, orbis testimonium, rebus gestis non credunt, ac multi nullo examine, nulla perquisitione præmissa; quis ab initio, nullis perspectis rebus, nullo fide digno testimonio munitus, hanc fidem animo exceperit? Quid tandem illos induxerit ad tale quidpiam fingendum, et comminiscendum? Neque enim dicendi vi fidebant: qui enim id fieri possit, cum alter ne litteras quidem nosset: neque divitiarum copiæ, quibus alimenta necessaria vix suppeterent, et qui diurno opificio victitarent: neque de generis splendore gloriari poterant; alterius enim ne patrem quidem novimus, ita erat obscurus atque ignotus; Petri vero pater quidem notus est; sed id tantum amplius habet, quam al-

ter, quod solam patris appellationem, idque propter filium, Scriptura commemoret. Si regionem quis et gentem explorare velit; alium Cilicem deprehendet; alium ignobilis urbis civem; imo vero non urbis, sed vici infimi incolam, Bethsaïdæ enim, vici nempe in Galilæa sic vocati, beatus ille vir incola erat. Artes vero eorum si quis audiat, nihil magnum vel honorabile comperiet; nam piscatore quidem honestior est tentoriorum artifex, cæteris autem artificibus vilior. Undenam, quæso, unde rem tantam simulare ausi fuissent? qua spe elati? cui fidentes? An calamo et hamo? an cultro et terebræ? Homines insani, annon abscedentes vos strangulabitis, aut præcipites dabitis?

IV. Fingamus autem, si placet, rem quæ fieri nequeat, fieri revera posse : et eum qui e stagno prodiit dicere : Umbra corporis mei mortuos suscitavit; eum vero qui ex pelliceorum tentoriorum officina exiit, paria de vestimentis suis jactitare; quis auditorum usque adeo mente captus erat, ut circa res tantas nudis verbis fidem haberet? Cur nullus illo tempore artifex quidpiam simile de se ipso, aut alius de illo dixit? Atqui si res nostræ figmenta essent, eos qui postea fuerunt, facilius similia mentituros fuisse verisimile erat. Illi enim priores non poterant exemplo aliorum, qui præcessissent, spem habere circa figmenti successum, hi vero posteriores, illos intuiti, commentum facilius ausi fuissent, cum priorum exemplum posterioribus fiduciam præberet, quasi nullus in terra mente præditus esset, sed omnes mente capti et insani essent; ita ut cuivis liceret quæcumque vellet de se ipso dicere aliisque persuadere. Nugæ planæ, et risu digna sunt Gentilitiæ stultitiæ verba. Quemadmodum enim si quis cœlum sagittis impetere velit, quasi telis ipsum dirupturus; aut Oceanum haurire, quasi manibus evacuaturus illum, ex urbanioribus nemo erit, quin rideat; ex gravioribus nemo

non id effusis lacrymis deplorabit; sic cum nobis Gentiles contradixerint, par est eos irridere ac deplorare: rem enim magis arduam suscipiunt, quam qui vel cœlum confodere vel abyssum evacuare se posse speraverit. Neque enim lux unquam obscura erit, donec lux erit, neque nostrarum rerum veritas confutabitur: veritas quippe est, qua nihil validius. Quod igitur vetera illa, quæ aure percipimus, non minus credibilia sint, quam ea quæ nunc præsentia cernimus, quivis non mente captus et insanus confiteatur: ut autem victoriam cumulatius referamus, rem admirandam, ætate nostra gestam, referam. At ne turbemini, si miraculum nostra ætate editum narraturum me pollicitus, ex veteri historia narrationem ordiar: neque enim in his solum consistam, neque novo argumento aliena vetera referam: nam utraque mutuo hærent, nec licet eorum seriem disjungere, ut auditis rebus comperietis.

V. Erat quis Imperator majorum nostrorum ævo, qui qualis in cæteris fuerit, dicere nequeo: at audito scelere, quod aggredi est ausus, reliquam morum immanitatem cognoscetis. Quodnam igitur scelus illud? Genti cum illo bellum gerenti visum fuerat bellum solvere, mutuarumque cædium finem facere, res componere, pericula et formidines sedare, suis se rebus continere, neque his ampliores expetere: præstare enim mediocribus sine formidine frui, quam majoribus inhiantes in metu ac timore degere semper: malaque cæteris inferentes, ab illis vicissim accipere. Cum autem constitutum illis esset, bello prorsus deposito, quietam transigere vitam: visum est firma pactione, validisque conditionibus pacem stabilire. Tum fœdere facto, dato acceptoque juramento: regi præterea suo suadere conantur, filium suum admodum puerum, in solidum pacis pignus traditum iis, qui prius hostes erant, fiduciam

præstare posse simulque propositi sui testimonium exhibere, quod nempe sine dolo pacem cum ipsis fecerit. Qua oratione rex adductus filium dedit, ut quidem existimabat ille, amicis et sociis; ut vero rei exitus probavit, feræ omnium immanissimæ. Nam cum amicitiæ et fœderis lege puerum regium accepisset, omnia simul concúlcavit et evertit; juramenta, fœdera, hominum reverentiam, pietatem erga Deum, ætatis commiserationem: non belluam illam juventus flexit, non ea quæ hujusmodi scelera sequi solet ultio trucem hominem deterruit; non patris filium deponenits verba animum subiere, quæ dum in manibus traderet fecerat; rogans eum, ut in magna cura haberet, se filio ipsum constituere patrem, quasi ab se genitum, obsecrans ut eum ita enutriret educaretque, et majorum suorum nobilitate dignum redderet. Inter hæc verba dextram pueri homicidæ dextræ junxit, et perfusus lacrymis abscessit. Horum ille scelestissimus nihil in animo recepit, sed iis omnibus simul excussis, cædem omnium cædium immanissimam perpetrat. Hoc enim flagitium proprii filii cæde atrocius est. Vos testes appello, qui non ita doluisse tis, si quidem ex meo affectu vestrum metiri liceat, si audissetis ipsum filium occidisse suum: tunc enim cum communi lege naturalis quoque lex subverti videretur: hic autem plurima simul concurrerunt, quæ præ multitudine naturali necessitate fortiora sint. Quoties enim mecum reputo puerulum, qui nihil injuriæ fecerat, a patre traditum, a majorum suorum regia abductum, qui domesticas delicias, gloriam, honorem, cum extranea educatione commutaverat, ut pactionibus initis scelestus ille fidere posset; ab ipso postea male affectum, splendore paternæ domus ejus gratia privatum, ab eodemque demum interfectum, contraria patior, simul animo contabescens et exæstuans, quorum aliud ira, aliud mœstitia

parit. Cum enim cogito sceleratum illum armatum, gladiumque vibrantem, pueri collum apprehendentem, et qua dextera depositum receperat, eadem gladium in illud intendentem, disrumpor atque ira præfocor; rursus cum juvenem conspicio formidantem, trementem, extremisque gemitibus ejulantem, patrem inclamantem, horumque causam esse dicentem, ac cædem non ei, qui gladium in guttur infigeret, sed parenti imputantem, neque fugere neque se ulcisci posse; sed frustra parentem incusare, plagam excipere, palpitare, calcibus pavimentum ferire, terram sanguineis rivis inquinare, ipsa mihi viscera discerpuntur, cogitatio obtenebratur, ac mœstitiæ caligo quædam oculis offunditur. At fera illa nihil simile passa est; sed ac si agnus vel vitulus sibi mactandus esset, sic ad nefariam illam cædem affectus erat. Et puer quidem plaga recepta jacebat mortuus: homicida vero sceleri patrocinabatur, posterioribus priora obtegere curans. Putat fortasse quispiam me de sepultura locuturum esse, dicturumque, defuncto ne tantillum quidem terræ interfectorem dedisse. Ego vero atrocius aliud dicam: nam cum iniquas manus tali sanguine fœdasset, novamque tragœdiam exhibuisset, ac si nihil perpetrasset impudens ille, ipsis petris durior, ad Ecclesiam Dei concessit. Forte mirantur quidam, cur non immissa de cœlo plaga percussus fuerit qui talia ausus esset, aut cur non Deus eum fulmine ferierit, ut ante ingressum os illud impudens in igneo ictu conflagraret. Ego vero si quibus hæc cogitatio animum subiit, laudo eos, et æstum eorum admiror; attamen eorum laudibus et admirationi non minimum quidpiam deesse puto. Justa quippe indignatione commoti sunt, tum super injuste cæso puero, tum super Dei legibus ita temere violatis; sed ira ferventes, non quantum opus erat perspexerunt: justitiæ enim hujus lex alia longe

superior in cœlis est. Quænam igitur hæc lex? Ne peccatoribus protinus ultio inferatur, sed delinquenti tempus detur et induciæ, ut delictum possit excutere, et per pœnitentiam iis qui nihil mali admiserunt æquari : quod tunc in nefario illo demonstratum est; nihil enim profecit, sed sine emendatione mansit. Deus certe benignus cum sit, hoc prospiciens, ne ita quidem contempsit illum, nec quæ a se erant facere desiit; sed illum et ægrum visitavit, et ejus restaurandæ sanitati studuit. Ille vero remedium accipere noluit; imo ad hoc missum medicum concidit. Medicina porro et medicinæ modus hujusmodi erat.

VI. Eo tempore quo drama illud et facinus immane miserandumque agebatur, fuit vir magnus et mirabilis, si tamen fas sit illum appellare virum, qui hujus gregis curam gerebat, nomine Babylas. Hic itaque, cui hæc Christi Ecclesia a Spiritus gratia concredita fuerat, quod Heliam ejusque æmulum Joannem antecelleret non dixerim, ne quid molestius proferam; sed ita attigit, ut ne tantillum quidem generosis ejusmodi viris inferior esset. Neque enim paucarum urbium tetrarcham, neque gentis unius regem, sed eum, qui maximam orbis partem teneret, hunc ipsum scilicet sanguinarium, qui plurimas gentes, multas urbes, immensum exercitum moderabatur, atque omni ex parte formidabilis erat, ab imperii magnitudine, a morum ferocitate, quasi vile ac nullius pretii mancipium, ab Ecclesia expulit cum tanta firmitate animique constantia, quanta pastor scabiosam et morbidam ovem a grege arceat, cohibens ne morbus ejus cæteras oves afficiat. Id vero fecit Servatoris verbum confirmans, nempe servum esse solum eum, qui peccatum faciat, quamvis sexcentas capite coronas gestet, quamvis universis totius orbis hominibus imperare videatur : illum vero qui nullius peccati sibi conscius sit, etsi inter subditos locum habeat, plusquam reges om-

nes regnare existimandum esse. Statim ergo imperanti præcepit subditus, et de omnium moderatore judicium tulit, atque damnationis sententiam emisit. Tu vero dum hæc audis, ne dictum obiter prætereas. Nam vel hoc solum, quod Imperatorem subditus quispiam ab Ecclesiæ vestibulo ejecerit; sufficit ad auditorum animos excitandos percellendosque. Si vis autem totum miraculum diligenter ediscere, ne simplici dictioni attendas, sed tecum reputa satellites, scutatos, tribunos, duces, qui in regia aluntur, eos qui civitatibus præficiuntur : præeuntium fastum, sequentium et abigentium multitudinem, aliumque famulatum totum. Deinde ipsum Imperatorem in medio, ingenti cum fastu ingredientem, qui honorabilior videatur ex vestibus, ex purpura, ex gemmis tum undique sparsis in dextra ad commissuram paludamenti; tum ex diademate in ejus capite fulgentibus. Neque huc usque imaginem sistas, sed eam usque ad servum Dei beatum Babylam extendas, ejusque humilem habitum, amictum vulgarem, animum contritum, sensum ab omni audacia alienum, et cum ambos descripseris, mutuoque contuleris, tunc rem illam mirabilem probe cognosces; imo ne sic quidem accurate comprehendes : illam quippe loquendi libertatem nec sermo nec oris species repræsentare potest; sed sola experientia et usus. Porro imperturbatum ejus animum ille solus probe nosse possit, qui id ipsum cum illo fiduciæ culmen attingere valeat. Quomodo enim senex ille accessit ? quomodo satellites trajecit ? quomodo os aperuit ? quomodo locutus est, quomodo corripuit , quomodo dextram imposuit pectori illi adhuc intumescenti atque cæde ferventi? quomodo homicidam repulit? Nihil rerum gestarum exterruit et a proposito deduxit. O animum imperterritum, mentemque sublimem! o cæleste pectus et constantiam angelicam! Ac si enim pompam illam in muro

depictam conspiceret, sic intrepide omnia generosus vir perfecit. Erat enim divinis his dogmatibus institutus, quod scilicet, umbra et somnium hisque inaniora sint hujus mundi negotia. Ideo nihil eorum ipsum exterruit, imo fiduciam omnia indidere : illarum quippe rerum aspectus ejus mentem transmittebat ad supernum regem, qui sedet super Cherubim et intuetur abyssos, ad thronum gloriosum et excelsum, ad cœlestem exercitum, ad myriadas Angelorum, ad millia Archangelorum, ad terribile illud tribunal, ad judicium illud sine acceptione personarum, ad fluvium ignis, ad judicem ipsum. Quapropter se totum a terra in cœlum transferens, quasi illi judici astaret, ipsumque imperantem audiret, ut nefarium illum ac scelestum ex ovili expelleret, sic ejecit, et a reliquis ovibus sequestravit; ad nihil eorum respiciens, quæ videbantur terribilia esse, sed viriliter illum ac generose admodum repellens, violatis Dei legibus opem tulit. Atqui quanta erga cæteros fiducia usum illum esse par est? Qui enim imperantem tanta cum potestate aggressus est, quem reliquorum formidaverit? Equidem opinor, imo non opinor, sed credo, virum illum nec ad gratiam nec ad odium quidpiam fecisse vel dixisse unquam; sed adversus timorem, et adversus timore potentiorem adulationem, et alia similia, quæ apud homines multa adsunt, utiliter fortiterque stetisse, ac ne tantillum quidem recti judicii adulterasse. Si enim amictus viri, dentium risus, pedum incessus ejus mores arguunt[1], multo magis cætera ab eo præclare gesta ostendere possunt quantæ in reliqua vita virtutis fuerit. Neque enim ob fiduciam solum admirandus ille est, sed quod fiduciam illam eo usque produxerit, tum etiam quod ei nihil ulterius addiderit.

VII. Talis quippe est Christi sapientia, quæ nec minus

[1] Eccli. XIX. 26.

nec plus justo decertare permittat, sed ubique moderationem servet. Atqui ipsi licebat, si voluisset, ultra progredi. Ei enim qui vitæ curam abjecisset; non enim prorsus accessisset, nisi se hujusmodi cogitationibus armavisset; cum potestate omnia facere licebat, et Imperatorem contumeliis aspergere, et diadema de capite detrahere, et pugnis os contundere, quando dextram in pectus impegit. Sed nihil horum fecit : spirituali namque sale conditam habebat animam : quamobrem nihil temere vel frustra egit, sed omnia recto rationis judicio et saniori modo : non quemadmodum Gentilium sapientes, qui moderate nunquam, sed ubique, ut ita dicam, aut plus aut minus, quam par est, confidentiam exhibent suam; ita ut nusquam fortitudinis, sed irrationabilium affectuum opinionem ubique sibi concilient; ubi minus præstitere, formidinis; ubi excessere, arrogantiæ et vanæ gloriæ apud omnes convicti. At non item beatus ille : non enim temere quod in mentem subiret agebat, sed cunctis accurate examinatis, concinnatisque secundum divinas leges cogitationibus, sic ad opus eas eduxit. Ideoque sectionem non in superficie tantum fecit, ne major pars affecti membri remaneret; neque profundiorem, quam par erat, ne plagæ excessu sanitatem corrumperet : sed plaga ad morbum attemperata, sic optimam adhibuit medicinam. Hinc illum ira, ignavia, arrogantia, vanæ gloriæ cupidine, odio, metu, adulatione purum esse fidenter pronunciarim. Quod si quid inexspectatum dicere opus sit; non tam miror beatum illum quod Imperatoris furorem reprimere ausus sit, quam quod intellexerit quatenus hoc ipsum facere oporteret, nec quidquam ulterius vel fecerit, vel dixerit. Quod autem hoc sit illo mirabilius : multos invenire est, qui cum illud fecerint, hoc præstare non potuerunt. Nam cum libertate loqui quilibet sæpe possunt; idipsum autem tem-

pore, modo, moderatione ac prudentia congruenti præstare, magni admirandique animi est. Quandoquidem beatum David magna cum confidentia contumeliis incessit Semeï, virumque sanguinum vocavit[1] : at non id ego fiduciam vel libertatem dixerim, sed linguæ potius intemperantiam animique audaciam, contumaciam, arrogantiam, et quidvis potius, quam libertatem. Par est enim, ut puto, eum, qui redarguturus est, ab audacia maxime atque arrogantia abstinere, vimque suam in natura tantum verborum gestorumque demonstrare. Medici namque cum putrida membra resecare, et æstuantia comprimere opus est, non iræ pleni medicinam aggrediuntur; sed tunc maxime in convenienti statu cogitationem continere student, ne perturbatio animi noceat arti. Quod si is, qui corpus sanare cupit, tanta opus habet animi tranquillitate, animarum medico quid, quæso, faciendum statuemus, et quantam in eo philosophiam requiremus? longe majorem scilicet, et tantam quantam ille Martyr exhibuit. Nobis enim quosdam ceu terminos et regulas ponens, ut inde modum agendi in cæteris proportione quadam mutuemur, sic miserum illum a sacro limine repulit. Videturque unum tantum tunc probe gestum opus fuisse; sed si quis illud examinet et undique accurate perpendat, et secundum et tertium huic insitum, magnumque utilitatis thesaurum reperiet. Nam qui tunc rejiciebatur, unus tantum erat; qui lucrum inde reportarunt, plurimi : siquidem in Imperio ejus, quod maximam orbis partem complectebatur, quotquot increduli erant obstupefacti miratique sunt, ubi didicerunt quantam servis suis Christus loquendi fiduciam indidisset, suam ipsorum illiberalem et abjectam servitutem deriserunt, viderunt quantum inter Christianorum nobilitatem, et Gentilium turpitudinem discriminis esset.

[1] 2 Reg. xvi, 5.

Etenim ii apud illos, quibus sacrorum cura concredita est, plus quam dominos, plus quam idola sua Imperatores colunt, illorumque metu simulacris suis assident; ita ut maligni dæmones Imperatoribus sibi collati honoris gratiam habeant. Itaque ubi contingit quempiam Imperatorem creari, qui cum illis religione non consentiat, si quis idolorum templa ingrediatur, in muris passim videbit extensas aranearum telas, tantoque pulvere conspersam statuam, ut neque nasus, neque oculus, neque alia quævis pars vultus appareat, altarium vero reliquiæ solum, majori abrupta parte, supersunt, et alioqui tam densa undique herba circumdata sunt, ut qui altaria esse ignoret, acervum sterquilinii esse putet. Hujus rei causa est, quod olim illis liceret quæcumque vellent suffurari et per statuarum cultum ventri indulgere : nunc autem quam ob causam sese cruciaverint? Assidentes enim ac sese conficientes, ab illis ne minimum quidem præmii expectant, sunt enim ligna et lapides : quod autem illos ad simulandum cultum inducit, est honor quem illis exhibent Imperatores : verum et ille sublatus est, quando Imperatores sapiunt, et Dei filium adorant.

VIII. At nostra non hoc se habent modo, sed plane contrario. Cum enim quis religione nobiscum consentiens imperatorium adit thronum, Christianorum res segniores evadunt, tantum abest ut humanis honoribus erigantur : cum autem quis impius nobis plane infestus innumerisque nos malis afficiens, imperium tenet, tunc florent nostra ac splendidiora efficiuntur, tunc præmiorum et tropæorum tempus, tunc coronarum, præconiorum, ac fortitudinis exhibenda occasio. Quod si quis dicat etiam nunc superesse urbes quæ circa idolorum insaniam parem exhibent cultum : primo quidem paucas numerabit, verumtamen ne hac quidem ratione verbis meis officiet : manet enim ea-

dem hypothesis, ac pro Imperatore cives habent, qui parem præstent honorem. Atque hujus cultus causæ sunt crapulæ et comessationes tum diurnæ, tum nocturnæ, tibiæ, tympana, libertas impudentissime loquendi turpia, agendi turpiora, sese cibis ingurgitandi donec dirumpantur præ ebrietate, debacchandi, et in fœdissimam insaniam delabendi. Hi turpissimi sumptus jam labentem errorem detinent et fovent. Opulentiores enim, eos qui ob ignaviam fame pereunt, in ordinem parasitorum ascitos, tanquam canes circa mensas victitantes enutriunt, impudentes ventres iniquarum epularum reliquiis distendunt, et pro lubito iis utuntur. Nos vero qui insipientiam, iniquitatemque vestram aversamur, eos qui præ ignavia fame laborant, non alimus, sed ipsis suademus, ut laborantes et sibi et aliis victum parent. Eos autem, qui mutilo sunt corpore, ab iis qui subministrare possunt necessariam solum escam accipere concedimus. Comessationes, ebrietates, ac reliqua omnis insania et turpitudo a nobis eliminata est : eorumque loco inducta sunt quæcumque gravia, quæcumque casta, quæcumque justa, quæcumque laudabilia, si qua virtus, si qua laus. Cætera porro, quæ de philosophis suis jactabundi dictitant, vanam gloriam, audaciam et puerilis animi opera demonstrant. Non illic (apud Christianos) dolio quis accepto sese inclusit, non laceris pannis vestitus forum circuivit. Hæc quippe licet mirabilia esse videantur, multumque laboris et ærumnæ habeant, indigna laude sunt. Est autem diaboli astutiæ eos, qui sibi serviunt, laboribus hujusmodi addicere, qui et a se deceptos discrucient, et maxime omnium ridiculos exhibeant. Labor enim is, ex quo nullum lucrum manat, omni prorsus laude caret. Siquidem etiam nunc sunt homines perditi, innumeris pleni flagitiis, qui plura, quam philosophus ille, exhibuere; alii enim clavos acutissimos deglutiunt,

alii calceos mandunt et devorant, alii ad alia sceleratiora male consulti se conferunt : atqui hæc longe sunt mirabiliora, quam dolium et panni : verum neque hæc neque illa probamus, sed perinde philosophum, atque hos et omnes quotquot portentosa hujusmodi exhibent, miseros prædicamus et deploramus. Sed multa, dices, usus est apud Regem loquendi libertate. Videamus itaque egregiam loquendi libertatem, num et ipsa sit vel portentoso dolio ineptior. Quænam illa libertas. Cum ad Persas moveret Macedo, dum ipsi astaret, rogaretque an quapiam re opus haberet. Nulla, inquit, solum ne mihi rex umbram faciat, tunc enim philosophus apricabatur. Annon pudore suffundemini? annon vos obtegetis? annon hinc facessentes, terra vos obruetis, de iis altum sapientes, de quibus pudore affici oporteret? Quanto enim satius fuisset veste indutum crassiuscula, operi vacantem, aliquid, quod usui foret, a rege petiisse, quam lacero pallio vestitum sedisse apricantem, instar lactentium puerorum, quos lotos et unctos nutrices inibi ad eam rem collocant, ob quam tunc philosophus sedebat, infelicis aniculæ gratiam flagitans? Sed admiranda est illa loquendi libertas? Imo vero nihil illa prodigiosius. Bonum enim virum oportet facta sua omnia publica auctoritate metiri, aliorumque vitam emendare : postulare autem ne sibi umbram faceret, quam urbem, quam domum, quem virum, quam mulierem conservavit? Indica quod ex loquendi libertate lucrum : nam lucrum a libera Martyris voce natum nos ostendimus, et ulterius progressi clarius aperiemus.

IX. Interim ille injurium illum punivit, quatenus sacerdoti fas erat, principum altos spiritus coërcuit, violatis Dei legibus opem tulit, supplicium pro cæso juvene exegit, omnium suppliciorum gravissimum, iis certe qui mente valent. Meministis plane, cum de cæde verba face-

remus, quomodo singuli auditorum inflammarentur, et principem manibus tenere cuperent, atque sese ultores cædis exhibere. Hoc itaque beatus ille vir fecit, pœnamque ipsi congruentem imposuit, quæ posset illum convertere, si modo stupidus admodum non fuisset, non ab Imperatore postulans ut a sole calefaciente deflecteret; sed impudenter in sacra septa insilientem, omniaque confundentem, ceu canem aut improbum famulum a dominicis atriis depellens. Vides me non jactabunde dixisse, puerilis animæ gesta esse vestrorum philosophorum miracula a Babyla demonstrari? At temperans fuit, continentemque vitam egit Sinopensis ille, qui ne legitimas quidem nuptias contraxerit. Sed adde quomodo et qua ratione. Tu vero non addes, quin libentius eum continentiæ laudibus privabis, quam temperantiæ modum efferas, ita nempe turpis ac dedecore plenus est. Ad aliorum quoque nugas, vanum studium et turpitudinem libenter transirem. Ubi, quæso, utile est humanum semen degustare, ut faciebat Stagirites? quæ utilitas cum matribus et sororibus misceri, ut Stoæ, sive porticus, præfectus philosophus lege sanxit: Academiæ quoque principem, ejusque Magistrum, itemque alios, qui majori admirationi habentur, his obscœniores fuisse ostenderem, infamemque puerorum amorem, quem honestum et partem philosophiæ esse statuunt, omni retecta allegoria denudarem, nisi nobis ad alia properantibus oratio longius protraheretur, ac nisi ex uno quam ridiculi cæteri sint satis argueretur. Quando enim præcipuus qui severiorem philosophiæ partem sequi videbatur, tum ex loquendi fiducia, tum ex temperatia, adeo turpis, adeo absurdus et ineptus esse deprehensus est, quippe qui humanis vesci carnibus indifferens esse dixerit, quorsum attinet contra cæteros verba facere, cum ille qui ad fastigium instituti positus præ aliis fulgebat, tam

ridiculus, puerilis et stultus apparuerit omnibus. Quamobrem eo redeamus, unde ad hæc dicenda digressi sumus. Incredulos itaque Beatus ille ita compescuit, fideles autem religiosiores reddidit; non privatos modo, sed etiam milites, tribunos, præfectos, ostendens Imperatorem et omnium novissimum apud Christum mera nomina esse, et diademate redimitum, non potiori esse loco, quando punitione et correctione utendum est. Ad hæc vero impudentes illos, qui dicerent nostra non aliud esse quam fucum et figmentum, refrenavit, Apostolorum fiduciam operibus comprobans, docensque talibus olim viris opus fuisse, quando signorum ostensio majorem ipsis præbebat potestatem. Tertium quoque præclarum facinus non leve deprehenditur, futurorum quippe sacerdotum et regum animos, horum quidem depressit, illorum vero extulit, declarans sacerdotem cum terræ tum eorum quæ in terra geruntur, verius præfectum esse, quam is, qui purpura induitur, oportereque potestatem illam non minuere; sed animam potius exuere, quam potestatem, quam Deus superne ipsi attribuit. Nam is, qui sic moriatur, etiam post mortem possit omnes juvare : qui vero hunc ordinem dereliquit, non modo post mortem nemini profuit; sed etiam vivens multos ex subditis molliores effecit, et apud exteros vituperabilis ridiculusque est : insuperque hinc abscedens, multo cum dedecore ac mœrore ad Christi tribunal sistetur : unde ipsum in fornacem abducent potestates ad id deputatæ. Quamobrem sapiens quidam monet, « Ne accipias faciem contra tuam animam[1]. » Quod si viro injuria affecto non tutum est dissimulare, qui, violatis Dei legibus, tacet ac negligit, quo supplicio dignus nos erit? Cum his etiam aliud, his non minus bonum, nos docuit, oportere scilicet quemque suo fungi officio,

[1] Eccli. IV, 26.

etiamsi nullum inde lucrum ad alios emanet : neque enim ille quidpiam ex loquendi libertate ad Imperatoris utilitatem lucratus est : attamen quod penes se erat totum implevit, ac nihil reliquum fecit. Qui autem morbo laborabat arrogantia sua artificis peritiam inutilem reddidit, ingenti cum furore medicamentum e vulnere removens. Ac si enim non satis esset necem patrasse, et in templum Dei impudenter insiliisse, cædi cædem alteram adjecit, et ac si contenderet posterioribus priora superare ac præcedentes morbos subsequentium magnitudine obscurare; talis quippe est diaboli insania, ut contraria simul paret; sic utrique cædi id eximium dedit, ut congruentiam quamdam mutuo haberent. Et erat quidem prior pueri cædes miserabilior secunda, secunda vero sceleratior priore, nempe sancti Babylæ. Anima quippe quæ semel peccatum degustavit, ac sensu caret, multum adjicit morbo incrementum. Et quemadmodum scintilla in immensam materiam incidens quod occurrit statim incendit, neque hic tamen consistit, sed quod reliquum est statim consumit, et quanto plura flamma apprehenderit, tanto majorem vim accipit ad reliquorum perniciem, deprehensorumque lignorum copia iis quæ mox inflammanda sunt insidiosa evadit, flamma iis quæ jam incensa sunt sese armante contra ea quæ intacta remanent ; sic se habet et peccati natura, ubi quamdam animæ cogitationem occupaverit, nec quisquam est qui malum extinguat, ulterius progressa gravior et magis indomita efficitur : ideoque posteriora plerumque peccata validiora fuere prioribus, anima semper posteriorum accessione ad majorem arrogantiam et contemptum elata, ac per hæc vim suam dissolvente, peccati vero robur alente. Sic itaque multi in omne peccatorum genus non advertentes prolapsi sunt, quia flammam initio non restinxerunt. Ita miser ille graviora prioribus

posteriora adjunxit. Postquam enim juvenem illum peremerat, a cæde ad inferendam templo injuriam progressus est, ac rursus ulteriori via procedens, ad arrogantiam contra sacerdotium exhibendam se accinxit, Sanctumque ferro vinctum, et in carcerem conjectum, sic ultus est beneficii pœnas repetens, cumque eum ideo admirari, coronare et plus, quam parentes, honorare oporteret, maleficorum eum subire vincula, vinculorumque miserias coëgit.

X. Sic quemadmodum dicebam, subortum peccatum, nemine prohibente ne ad ulteriora progrederetur, cohiberi postea contineriqne non potest : perinde atque equi furentes, rejectis e corpore frenis, excussisque sessoribus ac supinis humi relictis, occurrentibus admodum molesti sunt, nemineque cohibente, impetu sese in præcipitia conjiciunt. Ideo animas hujusmodi salutis nostræ inimicus in insaniam conjicit, ut eas desertas, nemine curante, corripiens disperdat, et innumeris circumdet malis. Etenim qui corpore laborant, donec medicos se adire patiuntur, magnam salutis spem habent; cum vero in phrenesin lapsi calcibus impetunt mordentque eos, qui se a morbo eruere volunt, tum sane incurabiliter ægrotant; non tam ob morbi naturam, quam quia deserti fuerunt ab iis, qui ipsos a furore liberare potuissent. In quem furorem hic, de quo loquimur, se conjecit. Comprehenso namque medico, dum vulnus adhuc secaret, eum statim expulit, et a domo quam potuit longissime exegit. Licebatque hic Herodis drama non tantum auribus percipere, sed coram majori cum petulantia gestum spectare: quia illud majori cum ostentatione et apparatu diabolus in mundi theatrum iterum induxit, pro Tetrarcha personam Imperatoris constituens, et pro una causa duplex rei argumentum, illo longe turpius præbens; ita ut non numero tantum, sed ipsa quoque rerum natura tragœdia multo

insignior esset. Non enim hic sicut illic nuptiæ violabantur, neque ex illegitimo coïtu, sed ex scelestiori puerilis cædis inquinamento, ex tyrannide crudelissima, et ex iniquitate, non in uxorem, sed in ipsam sanctimoniam exhibita, hanc historiam malignus ille texuit. Conjectus ergo in carcerem Beatus ille, gaudebat quidem de vinculis, sed dolebat de vinculorum auctoris pernicie : neque enim pater, neque pædotriba, cum ille de filii, hic de discipuli flagitio vel calamitate clariores evadunt; mœrore vacuam voluptatem ex illa claritate capiunt. Quamobrem beatus Paulus Corinthiis dicebat : « Oramus autem ut nihil mali » faciatis, non ut nos probati appareamus, sed ut vos quod » bonum est faciatis : nos autem ut reprobi simus[1]. » Sic itaque admirando illi viro optatior erat discipuli salus, quam carceris merces; optatius item, ut discipulus resipiscens his eum laudibus privasset; imo potius, ut prorsus in hanc perversitatem lapsus non esset. Nolunt enim Sancti coronas sibi necti ex alienis calamitatibus : quod si ab alienis nolint, multo sane minus a domesticorum ærumnis. Qua de causa beatus David post tropæa et victoriam lugebat et lacrymabatur, quod ea cum filii calamitate conjuncta esset. Quin et exeuntibus ducibus multa pro tyranni salute præcipiebat, et eos, qui ipsum occidere cupiebant, his verbis cohibebat; « Parcite puero Abesa» lom[2] : » et postratum lugebat inimicumque cum gemitibus et amaris lacrymis compellabat. Quod si naturalis pater ita prolis amans est, multo magis spiritualis : quod enim secundum spiritum parentes prolem magis curent, quam ii qui secundum carnem, audi Paulum dicentem, « Quis infirmatur, et ego non infirmor? Quis scandaliza» tur, et ego non uror[3]? » Sed hoc quidem æqualitatem nobis repræsentat : atqui vix patres hanc vocem emittant,

[1] 2 Cor. XIII, 7. — [2] 2 Reg. XVIII, 5. — [3] 2 Cor. XI, 29.

sed concedatur tamen eousque illos accedere : jam quod majus est exhibere est opus. Undenam exhibebimus? Ex ipsis iterum visceribus, atque ex legislatoris verbis. Ille vero quid dicit? « Si remittas eis peccatum, remitte : sin » minus, dele me de libro, quem scripsisti[1]. » Nullus vero pater, cui innumeris frui bonis liberum sit, cum liberis supplicium subire voluerit. Apostolus vero, ut pote in gratia versatus, paternum hujusmodi affectum propter Christum, majorem exhibet. Non enim cum ipsis pœnas dare volebat ut ille; sed ut alii salutem consequi possent, ipse sibi perniciem precabatur his verbis : « Optabam ana» thema esse a Christo pro fratribus meis cognatis meis » secundum carnem[2]. » Tanta misericordia, tantus affectus penes sanctos est. Quare et Babylæ viscera magis excruciabantur, quod Imperatoris exitium ultra semper intendi cerneret. Neque enim templi solum causa dolens hæc agebat; sed etiam affectu erga Imperatorem inductus. Nam qui divinum ministerium contumelia afficit, ipsum quidem nihil lædit, se ipsum vero innumeris complicat malis.

II. Quapropter pater ille prolis amans, contumeliosum illum iratum per præcipitia ferri cernens, brutum impetum coërcere curabat, ceu quemdam effrenem equum a tergo deterrere satagens. At non sustinuit infelix ille, sed frenum mordens, et obsistens, seseque furori et insaniæ, misso rectæ rationis judicio, dedens, in barathra extremæ perniciei sese conjecit, Sanctumque e carcere eductum, ad cædem vinctum jussit abduci. Atque hic ea, quæ cernebantur, iis quæ fiebant contraria erant. Ille quidem vinctus omnibus simul vinculis solutus erat, tam ferreis, quam aliis gravioribus; sollicitudinibus scilicet atque laboribus, aliisque omnibus, quæ nos in hac mortali vita circumsistunt : contra qui solutus ferro et adamante vi-

[1] Exod. XXXII, 32. — [2] Rom. IX, 3.

debatur, aliis longe gravioribus vinculis constrictus erat, catenis peccatorum vinctus. Cædi proximus vir beatus cum ferro corpus suum sepeliri mandavit, docens ea, quæ ignominiosa videntur, cum propter Christum fiunt, honorifica et splendida esse, patientemque nedum pudorem, hinc gloriam reportare. Hac item in parte beatum Paulum imitatus, qui ultro citroque stigmata, vincula, catenam versabat, gloriabundus altumque sapiens in iis, quorum alios puderet. Quod autem alios puderet, palam nobis fecit ea defensione, qua apud Agrippam usus est. Illo namque dicente, « In modico suades me Christianum » fieri[1], » Paulus dixit, « Opto apud Deum et in modico et » in magno, non tantum te, sed etiam eos qui adsunt om- » nes fieri Christianos, exceptis vinculis his : » quod non adjecisset, nisi id ignominiosum multis visum fuisset. Sancti enim Dominum amantes, ærumnas pro illo magna cum alacritate suscipiebant, per quas etiam lætiores evadebant. Unde hic quidem ait, « Gaudeo in afflictionibus » meis[2] ; » Lucas vero de reliquo Apostolorum cœtu eadem ipsa loquitur : nam post multa flagella, « recedebant, inquit, gaudentes, quoniam digni habiti essent pro nomine Christi contumeliam pati. » Ne quis ergo Gentilium putaret, certamina per vim ac necessitatem committi, ipsa certaminum symbola cum corpore suo sepeliri jussit, ostendens ea sibi admodum grata et amabilia esse, quod totus penderet a charitate Christi. Et jacent etiam nunc cum cineribus compedes, ut moneant omnes Ecclesiarum præfectos, etsi vincula, cædem et quælibet alia pati oporteat, omnia alacriter ac cum voluptate multa sustinenda esse ; ita ut concreditam nobis libertatem, ne minimum quidem prodamus aut dedecoremus. Et quidem ille vir beatus ita splendide vitam clausit. Putat forte quispiam nos hic

[1] Act. xxvi, 28. — [2] Coloss. i, 24. — [3] Act. v, 41.

orandi finem facturos esse, cum post vitæ finem nulla sit reliqua virtutis operumque occasio, quemadmodum nec athletis exacto certaminum tempore coronas nectere licet. Verum id Gentiles quidem non abs re arbitrantur, quia spem suam illi intra hujus vitæ terminos incluserunt. Nos vero, quibus obitus alterius illustriorisque vitæ initium est, ab hac opinione atque sententia longe absumus : quod autem id jure ac merito in alia oratione probabitur. Interim vero ea, quæ post mortem, a generoso illo Babyla præclare gesta sunt, magnam verbi fidem præstare possunt. Quia enim usque ad mortem pro veritate certavit, et usque ad sanguinem restitit contra peccatum depugnans, et ut ordinem, quem ipsi constituerat Rex ille magnus, non desereret, animam ipsam deposuit, omnique athleta splendidius occubuit, illum quidem deinceps cœlum habuit, corpus autem, quod ad certamen ministraverat, terra occupat, ita ut creatura athletam diviserit : atqui poterat ille et transferri ut Enoch, et rapi ut Helias, qui utriusque æmulator fuerat. At Deus ille clemens, qui infinitas nobis salutis occasiones contulit, hanc quoque nobis cum aliis aperuit viam, quæ nos possit ad virtutem evocare, sanctorum reliquias apud nos interim relinquens. Nam post sermonis virtutem, secundum tenent ordinem sanctorum sepulchra, ad animos intuentium hominum ad imitationem concitandos. Ac sicubi quis ejusmodi capsæ astet, statim ejus efficaciam sensu percipit. Etenim capsæ aspectus animum occupans, ipsum percellit et excitat, atque illum sic afficit, ac si ille qui jacet simul precaretur, adesset, videretur. Hinc alacritate plenus ille, qui sic affectus est, in alterumque virum mutatus, ita discedit. Probe autem animadvertet defunctorum phantasiam ex ipsis locis in viventium animis excitari, si quis cogitet, quomodo ii qui lugendi causa veniunt, statim atque ad sepulchra acces-

serunt, ac si vice urnæ eos, qui in urna jacent stantes viderent, sic illos e limine statim compellent. Multi vero, intolerabili affecti dolore, prope sepulchra mortuorum domicilium sibi perenne constituerunt; id nequaquam facturi, nisi ex loci conspectu quidpiam consolationis percepissent. Ecquid de loco et sepulchro loquor? cum vestis sæpe sola mortuorum visa, aut verbum unum mente repetitum, animum excitarit, et labentem memoriam reduxerit. Ideo reliquias sanctorum nobis Deus dimisit.

XII. Me autem non hæc frustra jactitare, sed ad utilitatem nostram ita provisum esse, fidem facere possunt miracula, quæ a sanctis quotidie Martyribus eduntur, necnon multitudo ita concurrentium vivorum, nec minus, quam illa, beati hujus viri etiam post obitum præclara gesta. Postquam enim ita ut mandaverat sepultus est, longumque tempus post sepulturam effluxit, ita ut ossa tantum et pulvis in tumulo remaneant, visum est cuidam ex iis, qui postea imperaverunt, in hoc suburbium Daphnen capsam adduci: idque, visum est, Deo Imperatoris animum ad eam rem movente. Cum enim videret locum adolescentium lascivia, ceu quadam tyrannide obsessum, ita ut periculum esset, ne ab honestioribus, iisque qui probe vivere vellent, prorsus desereretur, misericordia motus super hujusmodi damno, misit qui contumeliam vindicaret. Deus enim locum illum amœnum et amabilem reddidit, et aquarum copia ac specie, et natura soli atque tempestatum temperie; non solum ut inde recrearemur, sed ut etiam ea de re optimum opificem celebraremus. Salutis porro nostræ inimicus, qui Dei donis semper in contrarium abutitur, corruptorum juvenum turbæ, dæmonumque domiciliis occupatum ab se locum, addicens, turpi fabula famam ejus dehonestavit, qua fabula suburbii gratia dæmoni consecrabatur. Fabula autem

23.

hujusmodi est. Daphne puella erat, filia Ladonis fluvii: nam erroribus illis mos semper fuit fluvios gignentes inducere, prolem eorum in res sensu carentes mutare, et multa hujusmodi portentosa fingere. Hanc porro puellam admodum formosam Apollinem quondam vidisse narrant, ejusque amore captum fuisse; insequentem ut caperet, fugisse puellam, et in hoc suburbio substitisse. Tum matrem ejus opem tulisse filiæ, ne injuriam pateretur, atque aperto statim gremio virginem excepisse, ac pro puella plantam ejusdem nominis edidisse: Lascivumque amatorem amoribus suis fraudatum, arborem complexum esse, ac tum plantam tum locum ipsum sibi proprium effecisse: hinc considere in loco semper, eumque cæteris, quæ per orbem sunt, anteferre, ac præ omnibus diligere. Aiunt item regem qui tunc imperabat, templum et aram construxisse, quo posset dæmon insaniam suam per eum locum consolari. Hæc est fabula, damnum vero ex fabula exortum non jam fabula fuit. Postquam enim juvenes lascivi suburbii pulchritudinem contaminarunt, ut dictum est, ibidem in comessationibus et ebrietate victitantes, ut hoc malum in dies propagaretur, diabolus fabulam effinxit, dæmonemque ibi constituit, ut hæc historia majus illis lasciviæ et impietatis incendium pararet. Ad tanta igitur tollenda mala, hunc sapientissimum modum excogitavit Imperator, ut Sanctum illum transferret, et medicum ægris mitteret. Nam si jussione et auctoritate imperatoria civibus iter ad suburbium interdixisset, id tyrannicum, imo crudelitatis feritatisque plenum visum esset: sin probos modestosque solum adire permisisset, lascivis autem intemperantibusque aditum interclusisset, difficultatis plenum fuisset decretum, unde quotidie lites oboriri necesse erat, dum singulorum vita disquireretur. Itaque sancti viri præsentiam hisce malis optimum exitum alla-

turam esse putavit : Martyrem quippe solvendæ dæmonis potentiæ, juvenumque luxui emendando parem esse intelligebat, neque spe lapsus est. Statim enim atque Daphnen quis advenit, et a suburbii limine Martyrium conspicit, sic reprimitur, ac si quis juvenis in convivio pædagogum astantem intuens, atque oculo præcipientem, ut decore servato bibat, comedat, loquatur, rideat, caveatque ne modum excedens, existimationem suam dehonestet : aspectuque tali religiosior factus, beatumque illum animo sibi repræsentans, ad capsam statim properat, quo cum pervenerit, majore afficitur metu : mox ignavia procul abacta, ceu volatilis effectus, ita discedit. Atque eos, quos ex urbe ascendentes in via offendit, pari cum temperantia Daphnen recreatum remittit ; tantum non vocem illam inclamans, « Exultate Domino in tremore[1], » illudque Apostolicum adjiciens, « Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud » quid facitis, omnia ad gloriam Dei facite[2]. » Eos autem qui sumpto cibo in urbem descendunt, si contingat excusso freno segnius egisse, atque in crapulam absurdasque delicias delapsos esse, eos, inquam, ebrios in diversorio suo exceptos, non sinit ebrietatis damno affectos domum abire, sed incusso timore ad eamdem temperantiam adducit, quam servabant ante, quam in ebrietatem demergerentur. Etenim quasi tenuis quædam aura eos, qui in Martyrio fuerunt, undique perflat ; aura, inquam, non sensibilis, nec augendo corpori apta, sed quæ in ipsam animam penetret, eamque undique decenter componat, omnem terrenam molem præscindat, eamque aggravatam et labentem recreet, ac leviorem reddat.

XIII. Et quidem Daphnes pulchritudo vel segniores ad se illicit. Martyr vero ceu in piscatu quodam sedens, ac ingredientibus insidias parans, eos interim detinet, illos

[1] Psal. II, 11. — [2] I Cor. X, 31.

prius decenter affectos, sic remittit, ut amata non contumeliose, sed temperanter in posterum utantur. Quia enim ex hominibus alii segnitie, alii sæcularibus curis abducti, nolunt Martyrum thecas adire; ideo providit Deus ut hoc irretirentur modo, et animæ curatione medelaque fruerentur. Et perinde accidit ac si quis ægrum congruentia remedia admittere nolentem, pharmacum dulci condimento obductum offerens deciperet. Sic igitur paulatim ad sanitatem reducti, eo perveniunt, ut non jam deliciæ solum, sed etiam Sancti desiderium, suburbium adeundi occasio sit multis; imo vero qui modestiores sunt, hac una de causa illo accedunt: qui in minori gardu, utriusque rei causa; qui vero his etiam imperfectiores sunt, ob delicias tantum eo ascendunt. Cum autem eo advenerint, accitos Martyr cum suis epulis exceperit, optima munitos armatura, non sinit quidpiam mali pati. Perindeque mirum est, mollem et socordem aliquem temperantem reddere, et quasi ex media insania reducere, ut illic efficitur, ac si quis in fornacem illapsus nihil ex igne damni pateretur. Nam dum juventus, petulans audacia, vinum, satietas qualibet flamma vehementius cogitationem invadunt, ros a Beato viro immissus per oculos in ipsam descendens animam, flammam sopit, incendium extinguit, magnamque pietatem in animum instillat. Sic igitur sanctus ille lasciviæ tyrannidem solvit. Quo autem pacto dæmonis potestatem extinxit? Primo quidem tum sedem eorum illam, tum fabulæ noxam inutilem reddidit, deindeque dæmonem prorsus exegit. Verum antequam ejectionis modum dicam, illud vos animadvertere rogo eum scilicet, non statim atque advenit dæmonem expulisse, sed manentem illum agendis rebus ineptum reddidisse, osque illi obturasse, ita ut plusquam lapides mutum ipsum redderet: nec minus erat manentem superare, quam expellere. Ac

qui prius omnes ubique homines decipiebat, ne cinerem quidem beati Babylæ respicere audebat: tanta est sanctorum potestas, quorum viventium ne umbras quidem, neque vestimenta ferunt; mortuorum vero capsas tremunt. Itaque si quis Apostolorum gestis fidem non habet, his saltem conspectis impudentiam tandem ponat. Nam qui omnia, quæ gentilium erant, olim vicerat, a Martyre tanquam ab hero increpatus latrandi finem fecit, nec ultra locutus est. Ac primo quidem videbatur, quod sacrificiorum cæterique cultus particeps non esset, id facere. Hic enim dæmonum mos est: cum homines nidore, fumo sanguineque ipsos colunt, tanquam canes sanguinarii et voraces lambendi causa adsunt; cum autem rursus nemo quidquam præbet hujusmodi, quasi fame pereunt. Dum sacificia offeruntur, dum turpia celebrantur mysteria; nihil enim aliud sunt Gentilium mysteria, quam obscœni amores, puerorum contumelia, adulteria, domorum subversiones; mitto nunc cædium sinistros mores, ac ipsis cædibus iniquiores cœnas, dum hæc, inquam, celebrantur adsunt et lætantur: etiamsi malefici, etiamsi præstigiatores, etiamsi pestes sint, qui talia peragunt mysteria; imo vero non alii sunt qui hæc administrant. Sapiens enim vir, probus atque modestus nec commessationem nec ebrietatem admittit, nec obscœnum verbum emittit, neque alium talia proferentem audire vult. Atqui oportebat, si de hominum virtute sollicitus esset, et si sequacium suorum felicitatem vel tantillum curaret, nihil potius requirere, quam vitam optimam, morumque probitatem, atque illas omnes turpissimas dapes relinquere. Sed quia hominum pernicie nihil ipsis optatius est, iis lætantur seseque honorari dicunt, quæ vitam nostram subvertere, omniaque bona funditus evellere solent.

XIV. Primo quidem videbantur hic quoque dæmon ideo

tacere; sed ut postea palam factum est, violenta necessitate præpeditus erat: metus enim imminens instar freni, ne solita contra homines fraude uterereter, impediebat. Unde hoc liquet? Sed ne turbemini; nam ad id demonstrandum propero, postea vero ne iis quidem, qui impudenter agere meditantur, id licebit, non circa vetera illa id præstare poterunt, non circa Martyris potestatem, non circa dæmonum infirmitatem. Non conjecturis, non verisimilitudine ad id demonstrandum opus habeo, sed ipsum dæmonis super his testimonium exhibebo. Ipse enim lethalem vobis plagam inflixit, vestramque omnem fiduciam præcidit. At vos ne illi succenseatis, non enim sponte res suas prostravit, sed majori coactus virtute id effecit. Id vero quo modo, et qua ratione factum est? Mortuo eo Imperatore, qui Martyrem transtulerat, fratrem ejus imperium suscepturum, in medium produxit is, qui illi hunc honorem contulerat: atqui hic sine diademate Imperium accipit: par enim erat etiam defuncto fratri dignitatis mensura. Cum autem hic præstigiator ac scelestus esset, primo quidem ejus gratia qui sibi principatum dederat Christianum se esse simulavit. Illo autem vita functo, abjecta larva, perfricta fronte, quam antea intus celaverat superstitionem in medium productam nemini non manifestam fecit: tum mandata ubique terrarum mittebantur, ut idolorum templa instaurarentur, aræ excitarentur, pristini dæmonibus honores redderentur[1], multi ad illos concursus variis ex locis fierent. Hinc magi, præstigiatores, vates, haruspices, menagyrtæ (7), omnesque præstigiarum officinæ undique ex toto orbe concurrebant: videreque erat regiam ipsam infamibus fugitivisque viris refertam. Nam qui fame olim peribant, qui in maleficiis veneficiisque deprehensi, qui carceri mancipati, qui ad

[1] *Forte* multi illis proventus tribuerentur.

ad metalla damnati fuerant; alii quoque qui sordidis artibus victum parare vix poterant, sacerdotes et sacri vates statim effecti, magno in honore erant. Et Imperator quidem duces ac præfectos missos faciebat, nihilique ducebat, amasios autem viros, meretricesque e fornicibus ubi prostabant eductas, secum per urbem totam et viculos circumducebat: imperatorius autem equus, et prætoriani omnes a tergo procul sequebantur. Lenones et lenæ totusque amasiorum cœtus Imperatorem in medio positum circumdantes per forum ambulabant, talia verba jactantes, tales cachinnos effundentes, quales par erat hujusmodi officinæ homines. Scimus porro hæc posteros incredibilia putaturos esse ob absurditatis magnitudinem: neque enim vel privatus homo ex iis qui vilem turpemque vitam duxerunt tam indecore palam agere velit. Sed ad eos, qui etiamnum superstites sunt, nulla opus oratione: nam qui præsentes talia viderunt, hæc jam audituri sunt. Ideo enim vivis etiamnum testibus hæc scribo, ne quis me vetera quædam ignorantibus narrantem, magna licentia mentiri existimet. Ex iis enim qui ea viderunt et senes et juvenes adhuc supersunt, quos rogo omnes, ut si quid a me additum fuerit, accedant meque redarguant: sed quod aliquid addiderim, me arguere non possunt, quod omiserim, possunt. Neque enim turpitudinis excessus potest oratione repræsentari. Posteris vero non credituris hoc dixerim, dæmonem illum apud vos, quem Venerem vocatis, non pudere talibus uti ministris. Nihil itaque mirum est si miser ille, qui dæmonum ludibrio sese prorsus addixerat, non pudore afficeretur de quibus ipsi dii, quos ipse coleret, gloriabantur. Jam quis recenseat necromantias, puerorumque cædes? Hæc quippe sacrificia, quæ ante Christi adventum homines offerre ausi sunt, postque ejus adventum cessaverunt, rursum instaurare aggressus

est, non quidem palam : etiamsi enim Imperator esset et arbitratu suo omnia faceret, attamen facinoris impietas immanitasque, ejus potestatis magnitudinem superabat. Illud tamen facere ausi sunt.

XV. Hic igitur Imperator Daphnen frequenter cum multis donariis ascendens, plurimis oblatis sacrificiis, torrentesque sanguinis ex pecudum mactatione faciens : vehementer instabat oraculum a dæmone quærens, rogansque referri circa ea, quæ in mente versabat. At strenuus ille,

Qui arenæ numerum novit mensuramque maris,
Et surdum intelligit, et mutum audit,

ut ipse ait, noluit quidem aperte palamque dicere, se ob beatum Babylam, vicinamque illam virtutem, obstructo esse ore, ac loqui non posse, veritus ne cultoribus suis risum moveret, neu victus palam deprehenderetur, causam silentii aperuit ; imo sese magis ridiculum, quam ipsum silentium, declaravit : nam silentio quidem infirmitatem tantum suam demonstrabat, tum vero infirmitatem simul, turpitudinem et impudentiam præ se ferebat, dum ea occultare quæ occultari non poterant, conaretur. Quænam igitur hæc silentii causa? Daphne, inquit, locus est cadaveribus plenus, idque oraculum impedit. At quanto melius fuisset, miser, Martyris virtutem confiteri, quam hæc impudenter prætexere? Hæc dæmon respondit, stultus autem Imperator, quasi in scena ludens, fabulamque agens, ad beatum statim Babylam accessit. Atqui, o scelerati ac sceleratissimi, nisi vos mutuo sponteque deciperetis, et ad aliorum perniciem simulatione uteremini ; quare tu indiscriminatim cadavera memoras, tu vero quasi nominatim et distincte audisses, relictis aliis sanctum so-

lum removes? Oportebat enim secundum dæmonis sententiam omnes in Daphne tumulos effodere, et terriculum illud a deorum aspectu quam longissime removere. At non de omnibus, inquies, cadaveribus locutus est. Cur ergo id non professus est clare? Sane tibi hanc erroris fabulam agenti hoc ænigma reliquit. Ego, inquit dæmon, cadavera dico, ne me victum aperte fatear, et alioquin timeo sanctum nominatim proferre: tu quod dictum est intellige, et sanctum solum amove: ille quippe os nobis obstruxit. Tantam nempe cultorum suorum dementiam agnovit, ut tam apertam fraudem advertere non possent; etsi enim omnes mente capti insanique essent, ne sic quidem cladis suæ notitiam obtegere poterant, ita nempe clara et aperta omnibus erat. Nam si polluta quædam et execranda res sunt, ut dicis, hominum cadevera, quanto magis brutorum, tanto scilicet, quanto hoc genus illo vilius est. Multa vero canum, simiarum, asinorum cadavera proxime templum defossa sunt, quæ potius transmovere oportebat, nisi fortasse homines simiis censes esse viliores. Ubi nunc sunt, qui pulchrum illud Dei opificium, ad ministerium nostrum creatum, nempe solem, contumelia afficiunt, et dæmoni astrum illud ascribunt, atque hunc illud esse affirmant? Sol enim, cadaveribus innumeris in terra jacentibus, per universum orbem diffunditur, nec uspiam radios vel radiorum efficaciam pollutionis metu contrahit. Deus autem vester, nec turpem vitam, nec præstigias, nec cædes aversatur vel odio habet; sed diligit, amplectitur et amat; verum corpora tamen nostra aversatur: quanquam malitiæ species, etiam illam peragentibus summa reprehensione digna esse videatur: at mortuum immobileque corpus, nec culpæ nec reprehensioni obnoxium est. Sed hoc est deorum vestrorum institutum, ut abominentur, quæ non abominanda sunt, colant autem

et approbent ea, quæ omni sunt odio et execratione digna. Et bonus quidem vir, neque a sano consilio, neque ab honesta actione per mortuum corpus deterrebitur : sed si animo sit sano, etsi ad ipsa sepulchra domicilium habeat, et temperantiam, et justitiam, et virtutem omnem exhibebit. Quivis item artifex, quæ ad artem spectant suam omnia sine obice faciet, et rogantibus se præbebit, non modo prope cadavera sedens, sed etiamsi ipsa defunctorum sepulchra construere opus fuerit, et pictor, et latomus, et faber, et ærarius sculptor, denique omnes suam operam conferunt : unus autem omnium Apollo a cadaveribus impediri se ait, quo minus futura prospiciat. Atqui et apud nos viri fuere magni et mirabiles, qui ante mille et quadringentos annos res futuras prædixerunt, et vaticinantes nihil horum requisiverunt, non conquesti sunt, non defunctorum sepulcra dirui jusserunt, non cadavera abjici, non sepulcrorum violationis novum impudentemque modum excogitari. Attamen ex eis alii cum impiis scelestisque gentibus habitantes; alii in medio Barbarorum, ubi omnia inquinata et contaminata erant, cum veritate omnia prædicebant, neque aliorum pollutio eorum vaticiniis oberat. Cur hoc? Quia illi divina virtute moti vere loquebantur; dæmon autem vi illa vacuus ac destitutus, nihil prænuntiare poterat : ne autem hærere videretur, verisimilia quædam, sed ridicula fingere cogebatur. Cur enim, quæso, nihil hujusmodi antea dixerat, vel effutierat? Quia tunc prætextum proferre poterat, quod scilicet non coleretur, hac porro excusatione adempta, ad mortuos confugit : anxius ne quid sibi mali contingeret : nam a decoro recedere nolebat; sed vos illum coëgistis, qui magno illo cultu ei excusationem ademistis, nec permisistis eum ad sacrificiorum penuriam confugere.

XVI. Hoc audito, histrio ille jussit capsam inde auferri,

ut victum esse dæmonem nemo ignoraret. Etenim si dixisset ille, Propter sanctum loqui non possum, sed nihil movete, nihil tumultus inferte, id suis tantum cultoribus notum fuisset, puduisset enim factum ad alios deferre : jam vero quasi infirmitatem suam traducere vellet, sic omnia facienda curavit, quibus ne volenti quidem rem obtegere licebat : neque enim jam simulatio servari potest, quod nullum aliud cadaver, sed solus Martyr inde transferatur : nec solum qui urbem, suburbium et agros incolebant, sed etiam qui remotissime habitabant, cum jacentem capsam non cernerent, statim sciscitantes audiebant, Dæmon ab Imperatore rogatus, ut vaticinaretur, dixit se non posse, donec beatum hinc Babylam quis amovisset. Atqui, o ridicule, poteras ad alias excusationes confugere, ut sæpe soles, innumeris semper artificiis dubia responsa concinnans. Lydo nempe dicens, si Halyn fluvium transmitteret, magnum imperium soluturum esse, ipsumque postea pyræ impositum exhibens. In Salamine item eodem usus es artificio, ridicula adjecta conjunctione : nam dicere,

Perdes tu filios mulierum,

simile ei erat, quod Lydo dixeras ; adjicere autem,

Sive sparsa Cerere, sive coeunte,

majore id certe risu dignum fuit, quod sane conveniat circulatoribus in triviis : sed neque hoc tibi placuit. Licebat et tibi sermonem obtegere, quod artificium tibi semper solemne est. Verum institissent omnes, non intellectæ rei solutionem quærentes. Licebat quoque tibi ad astra confugere, id enim sæpe facis, neque pudore ruboreque perfunderis. Siquidem non cum viris mente præditis

tibi res est, sed cum pecudibus, et quam pecudes ipsæ crassioribus: non erant illi Græcis sapientiores iis, qui hæc audierunt, nec tamen a fraude sese exemerunt. At mendacium intellexissent: ergo oportuit uni Sacerdoti veritatem aperire, et ipse cladem tuam melius quam tu occultasset. Jam vero quis te, miser, adduxit, ut te in tam manifestam impudentiam conjiceres? At fortasse tu nihil peccasti. Imperator vero male histrionem egit, qui cum indiscriminatim de cadaveribus audisset, sanctum illum duntaxat aggressus est: ille te coarguit et fraudem nudavit: sed non id libens fecit. Neque enim unius ejusdemque erat donaria afferre, et contumelia afficere. Sed Martyris virtus omnes simul caligine offudit, nec ea quæ tum gerebantur, videre permisit: verum omnia quidem ceu contra Christianos fiebant, at non in patientes, sed in agentes risus convertebatur. Sic et furiosi videntur sibi semper proximos ulcisci, dum contra parietes calcitrant, ac fanda nefandaque in præsentes jactitant. Factis autem suis non illos sed se ipsos pudore afficiunt: quod tunc etiam contigit. Trahebatur enim capsa per totam viam. Martyr vero ceu quidam athleta in suam urbem revertebatur, secundam referens coronam, in qua urbe primo coronatus fuerat. Quamobrem si quis splendidiora post mortem Martyris opera conspicatus, resurrectionem non admittat, in posterum erubescat. Ceu enim quidam strenuus bellator tropæis tropæa conjunxit, magnis majora et mirabilibus mirabiliora. Tunc enim cum Imperatore solo pugnabat, nunc cum Imperatore et dæmone: tunc a sacris septis Imperatorem abegit, nunc a toto Daphnes loco perniciosum illum abduxit: non manu usus ut antea, sed invisibili virtute invisibilem expugnans. Hujus viventis dicendi libertatem non tulit homicida ille, mortui vero cinerem non sustinuit tum Imperator, tum dæmon qui

Imperatorem ad hæc agenda movit. Quod autem metum majorem his posterioribus duobus incusserit, quam priori incusserat hinc palam est. Ille quippe comprehensum illum vinculis constrinxit et occidit, hi vero transtulere tantum. Cur enim capsam in mare præcipitare neque ille jussit, neque hic voluit? cur non contrivit aut combussit? cur non in desertum et inhabitatum locum ipsam transferri jussit? Nam si ea execranda et polluta res fuisset, eamque abominatus, non reformidans inde illam amovit; non in urbem oportuit rem execrandam inducere; sed amandare in montes et saltus.

XVII. At miser ille non minus, quam Apollo, beati viri robur et fiduciam erga Deum noverat, timuitque ne si id faceret aut fulmen aut morbum aliquem in se provocaret. Multa quippe Christi virtutis signa habebat, tum in decessoribus suis Imperatoribus exhibita, tum in iis etiam qui idem Imperium secum administrabant. Etenim ex illis olim Imperatoribus, qui talia ausi sunt post multas intolerabilesque calamitates, turpiter ac misere vitam clauserunt, adeo ut, unius adhuc viventis pupillæ ex oculis sponte exilierint, hic autem Maximinus erat; alius in furorem actus, alius in similem lapsus calamitatem, sic mortem obierint. Cæterum ex iis qui tunc cum ipso erant, patruus, cum petulantius contra nos fureret, et sacra vasa sceleratis manibus contingere ausus esset, neque his contentus, contumelia ulterius progressus esset, ipsis enim inversis et in pavimento positis et extensis, iis insedit, derepente iniquæ hujusmodi sessionis pœnas dedit, ejus enim verenda corrupta vermibus scatebant; ita ut palam esset morbum divinitus immissum fuisse: ad vulnus curandum medici mactatas aves pingues atque peregrinas ad putrefacta membra admoventes, vermiculos evocabant: illi vero non abscesserunt, sed mordicus pu-

tridis partibus hærebant : atque ita illum multis diebus absumptum male perdiderunt. Alius vero quispiam imperatorii ærarii custos constitutus, priusquam aulæ imperatoriæ limen præteriret, statim crepuit medius, similisque cujusdam flagitii pœnas dedit. Hæc et et his plura, non enim jam omnia recensere tempus est, secum reputans scelestus ille, temeritatem suam ulterius promovere non audebat. Quod autem hæc non a me ipso dicam, ex iis quæ ab ipso postea gesta sunt, id conspicuum erit : interim vero historiæ seriem persequamur, quid exinde evenerit narrantes. Admirandum sane illud est, quod non potentiam modo, sed etiam ineffabilem Dei benignitatem ostendat. Nam sanctus Martyr intra septa erat, ubi prius situs fuerat, antequam Daphnen veniret : malignus vero dæmon statim didicit, se frustra fraudes suas molitum esse ; neque sibi cum mortuo pugnam fore, sed cum vivente, ac viriliter agente, ac non se tantum, sed omnibus simul dæmonibus fortiore. Deum enim precatus ut ignem in templum immitteret, totum tectum combussit, idoloque ad extremos usque pedes absumpto, ita ut pulvis tantum et cinis remaneret, parietes solum stantes intactosque reliquit. Si quis vero nunc locum adeat, nequaquam ignis id opus esse dixerit ; neque enim incendium illud sine aliquo ordine, neque ex inanimata materia factum esse videtur ; sed quasi manu quadam ignem circumducente, ac monstrante quibusnam parcere, quænam absumere oporteret, tanta nempe concinnitate, tanto artificio templum detectum est : neque vero simile est incendio affectis, sed iis quorum integra septa, quæ solo tecto habent opus. Reliqua enim atque columnæ, tum quæ tectum, tum quæ vestibulum fulciebant, una excepta quæ ad posteriorem templi partem posita erat, stant omnes. Hæc tamen non temere tunc fracta est, sed ea de causa, quam mox dic-

turi sumus. Hoc ubi accidit, statim dæmonis Sacerdos ad tribunal rapitur, et incendii auctorem indicare cogitur. Cum non posset autem, eum distortis antea cubitis, multis plagis afficientes, deinde sublimem agentes cæsis lateribus nihil amplius didicerunt : ac perinde accidit atque in resurrectione Christi. Tum enim milites ad custodiam corporis Jesu constituti sunt, ne possent, inquit, discipuli illud callide suffurari. Cæterum is fuit rei eventus, ut nulla vel impudentibus quidem occasio relinqueretur, qui vellent resurrectionis fidem tollere. Hic quoque trahebatur Sacerdos ut, non divina ira, sed humana nequitia id accidisse testificaretur. Contortus tamen atque laceratus, cum nullum posset indicare, divinitus immissum fuisse ignem testatus est, ut nullus jam locus impudenter agentibus relinqueretur. Sed quod paulo ante alium in locum remisi, nunc opportune dicam. Quid illud est? Ita illius animum exterruit Martyr, ut non ultra progredi auderet. Neque enim postquam sacerdotem, quem prius tanto in honore habebat, incensi tecti causa tot malis affecerat, (ita ut immanius, quam sanguinaria fera, ab ejus fortasse vorandis carnibus non abstinuisset, nisi res execranda omnibus visa esset;) Sanctum illum qui os dæmonis obstruxerat, rursus in urbem deduxisset, ut majori in honore esset : nam si non antea, cum dæmon se victum confessus est; at certe post incendium omnia evertisset et perdidisset, capsam et utrumque Martyrium combussisset, tum quod in Daphne, tum quod in urbe erat, nisi metus iram superasset, ac formido mœrorem vicisset. Solent enim multi cum ira et mœrore corripiuntur, si ægritudinis auctores apprehendere non valeant, in obvios quosque ac suspectos iram effundere : non procul autem hac suspicione Martyr erat. Nam simul atque in urbem pervenit, statim ignis templum invasit. Sed quod dixi, affectus cum

affectu pugnabat; iramque vincebat metus. Cogita enim qualis esse poterat ille vir bonus, cum in suburbium ascendens, Martyrium stans cerneret, ac templum incensum, idolum deletum, donaria absumpta, liberalitatis suæ, et satanicæ pompæ sublatam memoriam. Etiamsi enim eum talia videntem neque ira neque tristitia invasisset, pudorem certe non tulisset risumque tantum; sed in beati illius Martyrium iniquas manus extendisset, nisi id, quod dixi, cohibuisset illum. Neque enim modicum erat quod tunc agebatur, sed omnem gentilium confidentiam præciderat, omnem lætitiam extinxerat: tantamque illis mœstitia caliginem offuderat, quantam si omnia simul templa periissent.

XVIII. Quod autem hæc non jactabundus efferam, ipsa verba lamenti et monodiæ proferam, quam urbis sophista tunc in hunc dæmonem edidit. Sic autem habet næniæ initium: « Viri, quorum oculis, æque ac meis, » caligo offusa est: nec pulchram nec magnam deinceps » hanc urbem vocemus. » Deinde cum nonnulla dixisset asseruissetque de Daphnes fabula: neque enim totam orationem hic intexere tempus patitur, ne longiores, quam par est, simus, « Persarum, inquit, ille rex qui civitatem » cepit, templo pepercit: » ipsa porro verba hæc sunt: « Qui exercitum contra nos movit, præstare putavit ut » templum servaretur, statuæque decor barbarico furori » prævaluit. Nunc autem, o sol, o terra! Quis vel unde » hic hostis, qui nec gravis armaturæ militibus, nec equi- » tibus, nec velitibus opus habens, parva scintilla omnia » absumpsit? » Postea ubi declaravit dæmonem tunc ab illo (Babyla) fuisse victum, cum res gentilium maxime florerent sacrificiis et initiationibus: « Et nostrum, in- » quit, templum, ingens illud diluvium non dejecit, sed » sereno tempore cum nubes præteriisset, dejectum est. »

Nubem et diluvium vocat præcedentis Imperatoris tempus. Rursus paulum progressus hoc ipsum amarulentius deplorat his verbis : « Deinde cum aræ tuæ sanguinem si-
» tirent, neglectus, o Apollo, sedulus Daphnes custos ma-
» nebas : aliquando etiam lacessitus, atque externo spolia-
» tus ornatu patienter tulisti. Nunc autem tot ovibus
» bobusque mactatis, os Imperatoris sacrum pede exce-
» pisti, intuitus quem prædicebas, visus ab eo, quem præ-
» nuntiaveras, malo vicino liberatus, mortuo quodam
» nempe, qui tibi molestiam creabat, ex medio cultu exi-
» liisti. Undenam ultra gloriabimur apud viros sacrorum
» statuarumque tuarum memores? » Quid ais lugubris decantator? Ita-ne contumelia et injuria affectus tutus mansit Daphnes custos; cum autem honor ipsi atque cultus redderetur, ne templum quidem suum servare potuit; præsertim cum sciret, collapso illo, majorem sibi ignominiam futuram esse? Quis autem ille mortuus, o Sophista, qui deo illi molestiam creabat? Ecqua illa mala vicinitas? Hic enim in beati Babylæ virtutes cum incidisset, nec ignominiam præterire posset, eam præ pudore occultans præteriit : testatus autem dæmonem a Martyre molestia atque ærumna affectum fuisse, nec adjiciens dæmonem cum cladem suam tegere vellet, magis illam detexisse; simpliciter dixit, a mala vicinitate liberatum esse. Cur non dicis, o Sapientium nugacissime, quis ille mortuus esset, et quare solus deo tuo molestiam crearet? Quare vicinitatem illam malam vocas? An quia dæmonis fraudem arguebat? Atqui id non erat malæ vicinitatis opus; quemadmodum nec mortui, sed viventis, operantis, probi, patrocinantis et curatoris, atque omnia pro salute vestra agentis, si quidem voluissetis. Etenim ne vobis ulterius liceret vos ipsos decipere ac dicere ipsum iratum, et ob intermissa sacrificia expostulantem, deque reliquo

pariter omisso cultu conquerentem, ultro abscessisse; ideo Martyr eum ex loco prorsus ejecit, qui locus ipsi maxime omnium gratus erat, quemque aliis locis ita anteferebat, ut vel inhonoratus ibi insideret. Nam id tu quoque dicere prævertisti : « Atque hoc ipso tempore, quo » multas ipsi oves et multos boves immolabat Imperator. » Ut palam sit undequaque, ipsum coactum, majoreque vi pulsum, Daphnem reliquisse. Potuisset quidem Babylas vel manente statua ipsum loco pellere : at vos non credidissetis, quemadmodum neque olim cum ab eo vinctus fuisset; vosque assiduo cultu instaretis. Quamobrem cum prius simulacrum stare permisisset, tunc illud dejecit, cum maxime flamma impietatis exurgeret, ostendens victorem tum vincere oportere, non cum afflicti ac depressi, sed cum florentes atque elati sunt adversarii. Cur enim cum Daphnen transportaretur, Imperatori se transferenti non mandavit, ut templum dirueret, ac statuam transferret; ut capsam transferebat? Quia nimirum nihil ab illa lædebatur : neque carnali egebat auxilio; sed et tunc et nunc sine humana manu dejecit. Et primam quidem ille victoriam non declaravit nobis; sed cum illi os obstruxisset, quievit. Hujusmodi sunt Sancti, ea solum, quæ ad hominum salutem spectant, perfici volunt, nec tamen multis hæc sua esse opera declarari, nisi urgente necessitate; necessitatem porro voco servandorum hominum salutem : quod et tunc factum est. Quoniam enim fraudis mala latius serpebant, tunc demum nobis victoria revelatur : et quidem non a victore, sed ab ipso victo. Hoc autem modo testimonium ne ipsis quidem hostibus suspectum erat, cum Sanctus ille, vel urgente necessitate, quæ ad se spectabant prædicare renueret. At vero cum ne sic quidem error cessaret, sed rursus instarent illi vel saxis ipsis stupidiores, devictum dæmonem implorantes;

et ad tam apertam veritatem cæcutientes, tunc necesse fuit in statuam ignem jaculari, ut hoc incendio alterum, idololatriæ nempe, incendium extingueretur.

XIX. Cur ergo dæmonem criminaris dicens, de medio cultu te subtraxisti? Non libens se subtraxit; sed invitus et coactus, tunc ejectus et pulsus est, cum maxime manere nidore et sacrificiis allicientibus voluisset. Ac si enim ad hoc imperaret Imperator ille, ut orbis pecora omnia absumeret, sic affatim oves et boves ad aras mactabat, eo insaniæ progressus, ut multi ex iis qui etiam nunc apud eos philosophari videntur, coquum ipsum, carnium cauponem, et similibus vocabulis appellarent. Certe a tam lauta mensa, nidore, fumo, et sanguinis torrentibus libens non aufugisset dæmon, qui, ut tu dicebas, his destitutus, propter insanum puellæ amorem ibi manebat. Verum hic, intermissa tantisper oratione, Sophistæ lamenta iterum audiamus, qui misso jam Apolline, apud Jovem conqueritur his verbis : « Quale, o Jupiter, laborantis animi laxa- » mentum perdidimus! quam tumultu vacuus Daphnes » locus! quanto magis vacuum ipsum templum! quo in » loco natura ceu portum in portu fecerat, fluctuum ex- » pertem utrumque, sed secundum majorem tranquillita- » tem afferentem. Quis ibi morbum non deposuit? quis » non metum? quis non luctum? Quis fortunatas insulas » desideravit? » Quale laxamentum perdidimus, o sceleste; quomodo tumultu magis vacuum templum, quomodo portus fluctuum expers, ubi tibiæ, tympana, crapulæ, comessationes et ebrietates? Quis non ibi morbum deposuit, inquit? Imo quis cultorum tuorum non ibi morbum contraxit, etiamsi prius bene valeret, morbum, inquam, omnium gravissimum? Nam qui dæmonem adorat, et Daphnes fabulam audit, tantamque dæmonis insaniam videt, ut vel absorpta amica adhuc loco et arbori insideat,

quantam hinc insaniæ flammam non concipiat? quantam tempestatem, quantum tumultum, quantum morbum, quantam perturbationem? Idne vocas animi laxamentum, et portum fluctuum expertem? idne morbi levamen? Ecquid mirum si contraria contrariis apponas? Nam qui furore correpti sunt, nullius rei naturam uti se habet sentiunt: sed contrarios rei veritati calculos ponunt. « Olympia siquidem non admodum procul; » rursus enim ad lamentum revertar, ut ostendam quantam Gentiles omnes tunc urbem incolentes plagam acceperint; palamque faciam Imperatorem non id æquo animo laturum, sed totum furorem in Martyris arcam effusurum fuisse, nisi eum major metus cohibuisset. Quid igitur ait? « Olympia » non admodum procul: celebritas urbes convocabit: hæ » venient boves agentes Apollini sacrificandos. Quid faciemus? quo nos subducemus? Quis deorum nobis terram » dehiscere jubebit? Quis præco, quæ tuba non lacrymas » exprimet? Quis Olympia festum vocabit, quod proximus » casus luctum invexerit? Da mihi arcus et chœnicem, » inquit tragœdia. Ego autem dico et vaticinii nonnihil; ut » illo capiam, hoc sagittis impetam facinoris auctorem. O » impiam audaciam! o impuram animam! o temerariam » manum! Tityus alter hic est, vel Idas Lyncei frater; » non magnus ut ille, non jaculator ut hic, sed id unum » edoctus contra deos insanire. Aloei filios diis insidias » struere cogitantes morte sedasti Apollo; huic vero ignem » procul ferenti, non occurrit sagitta in cor ipsius invo» lans. O dexteram furiosam! o iniquum ignem! Quonam » primum incidit? Quod mali exordium? Num a tecto » exorsus ad reliqua processit? ad caput illud, ad faciem, » ad phialam, ad cidarim, ad talarem vestem? Vulcanus » ignis penuarius non comminatus est igni grassanti, cum » gratiam referendam haberet Deo ob sibi datum olim in-

» dicium. Sed neque Jupiter imbrium moderator, aquam » emisit in flammam, qui tamen Lydorum regi periclitanti » pyram extinxerit. Quid ad illum dixit, qui bellum ag» gressus est? Undenam illa confidentia? Quomodo impe» tum servavit? Cur decretum suum non solvit Dei pul» chritudinem reveritus? » Quousque miser et infelix rem non intelliges, qui dicis hæc humanæ opus manus esse, et ceu lymphatus tecum ipse pugnas et digladiaris? Nam si Persarum regem, tantum ducentem exercitum, qui urbem ceperat, cæteraque omnia templa exusserat, facem manibus gerebat, et jamjam templo admoturus erat, dæmon mutavit; hoc enim initio næniæ tuæ lugens dicebas; « Per» sarum regem, unum ex majoribus ejus, qui nobiscum » bellum gerit, cum proditione urbem cepisset et incendis» set, Daphnen id ipsum facturum properantem, mutavit » deus, ut abjecta face Apollinem adoraret, adeo illum » conspectu suo emollivit atque convertit; » ille, inquam, dæmon, qui furorem barbaricum, et tantum ex rcitum superare, ut dicebas, et tantum tunc periculum effugere potuit, qui, ut adjicis, Aloïdas diis insidias struentes morte sedavit; quomodo, quæso, is qui tanta potuit, nihil simile nunc effecit? Atqui si nihil aliud, certe sacerdotem injuste laceratum, producto facinoris auctore, miserari oportuit. Et si quidem incendii tempore effugit ille, at quando miser ille suspensus latera perfoderetur, cumque rogatus facinoris auctorem declarare, non haberet quem nominaret, tunc certe sistere facinorosum producereque oportuit, vel saltem indicare, si producere non poterat. Nunc vero negligit ingratus ministrum suum injuste lancinatum intuitus, negligit ipsum Imperatorem tot victimis risum sibi parantem. Siquidem eum ceu furiosum et mente captum omnes deridebant, cum iram suam in miserum illum effunderet. Quomodo autem is qui Imperatoris

adhuc procul agentis adventum prædicebat, nam et illud superius lugens dicebas, eum qui proxime stabat seque comburebat non vidit? Quanquam et illum vatem esse dicitis, aliasque aliis diis vestris, tanquam hominibus, assignatis. Illi vaticinandi facultatem ascripsistis, nec tamen illum tecum artem suam communicare rogas. Quomodo proprias non novit calamitates, quod ne vir quidem ignoraret? Annon fortasse dormivit cum ignis accenderetur? At non ita sensus expers est, ut admota flamma non statim surgat, et admoventem comprehendat. « Vere » Græci semper pueri, senex Græcus nemo. » Cum enim propriam deplorare stultitiam oporteret, quod ipsis etiam rebus dæmonum fallaciam inclamantibus, neque sic resiliatis, sed vos in perniciem dedentes, vestramque prodentes salutem, instar pecudum agamini, quo illi ducere velint, qui sedentes statuarum exitium lugetis. Tu vero arcus flagitas nihilque differs ab eo, qui hæc in tragœdia loquitur. Quo pacto enim id non furor manifestus fuerit de armis ejusmodi aliquid expectare, quæ ne possidenti quidem se opem tulere? Quod si tu tibi majorem et artem et experientiam inesse dicas, quam dæmoni, ipsum certe colere non oportebat, utpote imperitiorem et infirmiorem, vel in quibus illum præcellere dicitis. Quod si primas illi concedis, sive jaculari sive vaticinari oporteat, quomodo artis solum parte præditus, illa te præstare posse putasti, quæ non potuit is qui totam tenet artem?

XX. Hæc ridicula, hæc nugæ sunt; neque enim ille vaticinandi artem quampiam habuit, neque si habuisset, illam exercere potuisset. Non enim vir, non utique hæc operatus est, sed divina virtus: causam autem postea aperiam. Interim vero par est ediscere cujus rei causa ingrati animi Vulcanum accuset his verbis: « Vulcanus autem » ignis penuarius non comminatus est igni grassanti, cum

» gratia ipsi referenda esset deo ob datum olim indicium. » Quæ gratia? quod olim indicium? quare præclara deorum tuorum gesta occultas? Nam si gratiam indicares, Vulcanum magis ingratum ostenderes. Sed rubore ac pudore teneris : igitur nos libere res tuas aperiemus. Quænam igitur illa gratia? Martem olim Veneris amore captum, atque Vulcanum, qui maritus ejus erat, metuentem, cum eum absentem observasset, ad eam accessisse narrant. Apollinem vero, cum illos una commixtos vidisset, Vulcano adulterium renuntiasse : illum eo cum venisset, ambos in lecto repertos vinculis ut tunc erant colligasse, et ad turpe spectaculum deos evocasse, talesque de illis adulterii pœnas sumpsisse. Talis ergo gratiæ debitorem Vulcanum, tempore id postulante ingratum in reddendo beneficio fuisse ait. Quid igitur Jupiter, o vir optime? nam et illum inhumanitatis accusas, « Sed neque Jupiter, » inquiens, imbrium moderator aquam immisit in flammam, » qui tamen Lydorum regi periclitanti pyram restinxit. » Sed enim pulchre nobis Lydum in memoriam revocasti : nam et illum hic dæmon decepit vana spe inflans, et in manifestam perniciem conjiciens. Ac nisi Cyrus humanus fuisset, nihil ipsum Jupiter juvisset. Quare frustra Jovi vitio vertis, quod Lydum filio prætulerit : neque enim sibi ipsi in qua urbe maxime colebatur, in Romuli scilicet urbe, fulmine tactus opem tulit : Cæterum audiamus reliqua lamenti verba, sic enim luctum illum, qui eorum occupavit animos, probe sciemus. « Viri, trahitur mihi animus ad speciem dei, mihique cogitatio typum ejus ante » oculos statuit, formæ lenitatem, cutis teneritudinem et » hoc in lapide, cingulum circa pectus auream tunicam » colligens, ita ut alia quidem subsiderent, alia subsurge» rent. Tota vero forma cujus iram vel ferventem non se» dasset? Similis enim erat melos canenti : imo quispiam

» audivit, ut aiunt, in meridie citharam pulsantem. Aures » beatas! Cantus vero fortasse erat laudatio terræ, cui de » aureo cyatho mihi libare videtur, quod puellam occul» tarit dehiscens, ac deinde sese contrahens. » Post hæc pauca de incendio questus : « Clamabat, inquit, viator » fulgure erumpente : turbabatur in luco Daphnes inquilina » sacerdos dei : percussiones autem pectorum, et ejulatus » acutus per locum arboribus densum percurrens, ad ur» bem usque vehemens atque horrificus pervadit. Principis » oculus tunc somnum capere incipiens, ad acerbum nun» tium e lecto surrexit : ille furore percitus alas a Mercurio » petit, ipse ad mali radicem quærendam properans, non » minus intus ardebat, quam templum. Trabes cadebant » deorsum ignem ferentes, quæ proxime stabant absu» mentes, Apollinem vero statim, utpote qui parum dis» taret a tecto, hinc et alia ornamenta, Musarumque sta» tuas ibi positas, lapillorum fulgura, columnarum pul» chritudinem. Multitudo circumstans lugebat, opem ferre » non valens, ut accidit iis qui e terra naufragium vident, » quorum auxilium unum est, factum lugere. Certe mag» num excitavere luctum ex fontibus exilientes nymphæ, » magnum Jupiter prope sedens, ut par erat labefactatis » filii honoribus : ingentem item sexcentorum dæmonum » in luco degentium cœtus : nec minorem luctum media » ex urbe Calliope excitavit, Musarum chorago igne læso. » Postea sub finem ait : « Esto mihi et nunc, Apollo, qualem » te pinxit Chryses, dum Achivis imprecaretur, ira ple» num et nocti similem, quia cum stolas tibi redderemus, » et quantum ablatum fuerat restitueremus, præreptum » est quod colimus, ac si sponsus aliquis, dum coronæ » nectuntur, abscessisset.

XXI. Hæc lamentatio fuit, seu potius hæ modicæ sunt lamentationis partes. Mihi vero mirari subit, quomodo

in iis, quæ pudore afficere debebant, se ornatum esse putet: nihilo melius, quam lascivus et obscœnus juvenis, in meridie eum cithara ludentem inducens, et cantici argumentum dicens amicam esse, auresque illas beatas prædicans, quæ turpem illam cantilenam audierint. Et quod quidem dicat aliquos ex iis, qui Daphnen et circumjacentia loca habitant, lacrymatos esse; Urbisque principem ardentem fuisse, nihilque amplius, quam luctum inducat, nihil mirum: quod autem ipsos deos in eadem consilii inopia fuisse dicat, solumque apud se lacrymatos esse: ac neque Jovem, neque Calliopen, neque frequentem illam dæmonum turbam, neque ipsas Nymphas aliquid contra incendium potuisse; sed omnes ejulatus et luctus excitasse tantum; id profecto ridiculum admodum est. Quod igitur magnam acceperint plagam satis ex jam dictis demonstratum est. Etenim in medio næniæ ipsos lethali vulnere perfossos confitetur. Non igitur id patienter tulisset Imperator, nisi illum major metus et formido occupasset. Restat demum ut ostendamus qua de causa Deus iram suam in Imperatorem non immiserit, sed in dæmonem, et cur ignis non totum templum absumserit, sed combusto tecto etiam idolum prostraverit. Neque enim temere et sine causa hæc facta sunt, sed ex Dei erga errantes clementia omnia gesta fuere. Qui enim omnia novit antequam fiant, et hoc cum aliis noverat: scilicet si fulmen in Imperatorem immissum fuisset, qui præsentes fuissent ac vidissent, ad tempus exterriti essent, secundo autem vel tertio peracto anno, facti memoria periisset, multique futuri erant, qui miraculo non crederent. Sin vero templum flammam reciperet, omni præcone clarius, non iis solum qui tunc erant, sed etiam posteris omnibus iram suam denuntiaturus erat Deus; ita ut si qui rem gestam vellent impudenter occultare, iis omnis occasio præcideretur. Quisquis enim locum

petit sic animo afficitur, ac si incendium nuper accidisset, atque horror quidam ipsum invadit, et ad cœlum respiciens, statim celebrat virtutem ejus, qui isthæc operatus est. Ut enim si quis prædonum Principis antrum et latibulum perfringens, vinctum illum eduxerit, direptisque ejus facultatibus, locum reliquerit receptaculum ferarum et monedularum : deinde vero, quisquis in hujusmodi latibulum venerit, statim atque locum videt, incursus et furta locum prius incolentis sibi animo depingit; ita et hic usu venit. Quisquis enim columnas procul conspicit, accedensque postea limen transgreditur, dæmonis abominationem animo sibi depingit, fallaciam item et insidias : atque iram virtutemque Dei miratus abscedit : Sic quod prius erroris et blasphemiæ habitaculum fuerat, nunc laudis decantandæ argumentum est. Tanta Deus noster machinandi arte valet : et mirabilia hujusmodi non nunc primum, sed jam olim a prioribus generationibus operatur. Omnia porro recensere non est præsentis temporis; rem tamen commemorabo huic omnino similem. Bello olim in Palæstina suborto inter Judæos et quosdam alienigenas, victoria potiti hostes, captam Dei arcam, quasi manubias et spolia, cuidam idolo consecrarunt, cui nomen Dagon erat[1]. Ubi autem primum inducta fuit arca, statua decidit, et prostrata jacebat. Ut autem ex hoc casu Dei virtutem non intellexerunt; sed erectam rursus illam in basi sua collocarunt, postridie sub auroræ tempus accedentes, non solum delapsam, sed penitus fractam repererunt. Nam avulsæ manus ab humeris, ad limen templi cum pedibus exilierant, reliqua pars statuæ divulsa alibi reperta est. Sodomorum item tellus, ut parva magnis conferamus, ideo cum habitatoribus igne absumpta periit[2], infructuosaque mansit, ut non modo illius ævi homines, sed post futuri

[1] 1 Reg. v, 2. — [2] Gen. xix.

omnes a locis ipsis ad meliorem frugem reducerentur. Si enim homines tantum ultio attigisset, factum postea non creditum fuisset. Ideo locus plagam accipit, qui potest tempore non deleri, singulasque generationes commonefacit, lege nempe statutum esse, ut qui talia agant, talia patiantur : etiamsi non statim pœnas luant, ut in hoc templo contigit. Ecce namque vigesimus annus ex illo tempore agitur, nec tamen ædificii ab igne relicti pars ulla periit, sed quæ partes ignem effugerunt, eæ firmiter stant usque adeo validæ, ut et centum et bis plures, hisque rursum longe plures annos durare possint. Ecquid mirum si ex columnis nulla ab altera avulsa ad solum deciderit? Columnarum enim earum quæ ad posteriorem templi partem erant, una tantum fracta, ne ea quidem corruit; sed a sua basi mota et ad murum reclinata mansit : ejusque pars ab imo usque ad fracturam, oblique muro nititur; a fractura vero usque ad capitellum supina stat, ab inferiori parte suffulta. Quanquam autem et venti vehementer ingruerint, terræ motus acciderint, et terra concussa fuerit, flammæ reliquiæ non amotæ sunt; sed steterunt propemodum clamantes, se ad posterorum emendationem servatas esse.

XXII. Et quidem quod templum non funditus dirutum fuerit, hanc causam dicere possis. Quod autem fulmen Imperatorem non attigerit, alteram causam si quæras reperies, ex eodem ipso benignitatis et clementiæ Christi fonte manantem. Ideo enim ignem ex Imperatoris capite avertit, in ipsumque tectum jaculatus est; ut alienis calamitatibus edoctus, repositam sibi pœnam effugeret, mutatus et ab errore liberatus. Neque hoc solum, neque primum propriæ virtutis signum dedit Christus, sed et alia multa his non minora. Nam et patruus ejus, et Quæstor ærarius, sic ambo vita functi sunt : ad hæc fames una cum

ipso urbem invadens, aquarum quoque penuria nunquam ante visa, quam ab eo sacrificia fontibus facta fuissent; aliaque multa, sive in exercitu, sive in urbibus accidentia, potuissent vel lapideum animum flectere; non multitudine tantum, neque quod omnia simul facinora statim sequerentur, ut quondam Ægyptiorum regis tempore; sed etiam quod per se talia ederentur miracula, ut aliud alio non egeret ad videntium conversionem, sed singula ex se ad id peragendum satis essent. Nam ut cætera omittam, quem vel ex admodum stupidis non deterruisset, quod circa veteris Jerosolymitani templi fundamenta exhibitum est signum? Quidnam illud erat? Cum videret tyrannus in tota sua ditione diffusam Christi fidem, jamque Persarum fines occupantem, aliorumque remotiorum barbarorum, rursumque ultra eos progressam, ac totum, ut ita dicam, orbem occupantem; cruciabatur animo et angebatur, Ecclesiisque bellum parabat. Ignorabat autem infelix se contra stimulum calcitrare. Ac primo quidem Jerosolymitanum templum, quod funditus Christi virtus diruerat, restaurare conabatur, Gentilisque homo res Judæorum procurabat, virtutis Christi periculum inde facere volens, accitis Judæis quibusdam, iisque sacrificare jussis. Nam majores eorum dicebat hoc cultus genere usos esse; cum Judæi eo confugerent, ut non fas esse sibi dicerent, templo diruto extra veterem Metropolin id facere; jubet pecunias ex imperatorio ærario accipere, necnon alia omnia ad structuram necessaria, abireque instauratum templum, ac veterem sacrificiorum morem repetitum. Tum stulti illi ab utero errantes, et ad canos usque puerili egentes institutione, discesserunt, ut Imperatore favente rem peragerent : ac statim atque humum egerere cœpissent, ignis e fundamentis exiliens eos statim consumpsit. His Imperatori nuntiatis, non ultra rem pro-

movere ausus est, metu scilicet cohibente; neque tamen ab errore dæmonum, quibus plane subditus erat, liberari voluit : interim tamen paulum quievit. Brevi postea tempore, vanam itidem operam suscepit, non quidem ausus ultra templum construere; sed nobiscum velitationibus pugnare volens, aperto enim marte nos adoriri adhuc differebat : hac una et prima de causa, quod persuasus esset se id frustra tentaturum esse; secunda vero, ne nobis occasionem præberet ut corona Martyrii redimiremur. Hoc quippe intolerandum ipsi, et omni calamitate gravius erat, si quis in medium productus, pro veritate usque ad mortem in cruciatibus perseveraret, ita sese ex animo inimicum nostrum declarabat. Noverat enim, noverat plane, si id auderet, omnes pro Christo animas suas tradituros esse. Malignus autem et callidus cum esset, eos qui ob peccatum quoddam Ecclesiæ principibus pœnas dedissent, aut a præfectura quapiam amoti essent, liberos omnes ubique dimittebat, hoc modo nequissimis potestatem tribuens, Ecclesiæ leges evertens, mutuumque inter eos conflictum movens : nam expugnatu faciles demum futuros sperabat, cum sese intestino bello consumpsissent. Quemdam etiam tum perversæ doctrinæ, tum improbæ vitæ causa, Ecclesiastico principatu pulsum, nomine Stephanum, jubet rursum doctrinæ thronum occupare : atque Dominicum nomen, quoad ejus fieri potuit, extinguere curabat, Galilæos pro Christianis nos, tum in edictis suis vocans, tum principes ut idem facerent adhortans. Inter tot signa autem, ut dixi, quæ per famem et siccitatem edebantur, in eadem adhuc impudentia ac duritie perseverabat. Expeditionemque Persicam suscepturus, tanto cum fastu descendens ac si totam Barbarorum gentem vastaturus esset, sexcentas nobis minas intentabat, jactitabatque, se post reditum nos omnes funditus deleturum

esse. Hoc quippe bellum Persico sibi gravius videbatur, unde prius confecto minore, tunc majus hoc sibi suscipiendum esse putabat. Hæc porro nobis renuntiarunt ii, qui ipsi a consiliis erant. Contra nos igitur furore ardens, et quotidie ad majorem elatus insaniam, nunquam in eadem sententia persistebat; sed priore consilio posito rursus nobis persecutionem minabatur. Cum vero Deus illum coërcere, ardentemque comprimere vellet, hoc denuo signum induxit, igni in templum Daphnes immisso.

XXIII. Ille vero ne sic quidem furorem sedavit, imo potius cum rei nostræ devastandæ cupidine disrumpetur, ne quidem tempus, quod comminando sibi præstituerat, expectavit; sed Euphratem trajecturus, de militibus experimentum sumebat: ac quibusdam numero paucis adulatione corruptis, repugnantes sibi nequaquam remisit, veritus ne si cæteros segregasset, debiliorem contra Persas exercitum redderet. Quis nobis quæ hinc consecuta sunt recenseat, longe terribiliora iis quæ in deserto, quæ in mari, quæ in Ægypto, quo tempore induratus ille Pharao plectebatur, omnesque alii submergebantur? Quemadmodum enim tunc, postquam nullis hujusmodi calamitatibus cedere, neque resispicere voluit Ægyptius, tandem illum Deus cum reliquo exercitu perdidit; ita et nunc, postquam ad omnia Dei prodigia impudenter ille constitit, nihilque inde lucri percepit, sed sine emendatione mansit, extremis illum Deus malis involvit; ut quandoquidem ille aliorum calamitatibus ad meliorem frugem reduci noluerat, ejus exitio cæteri emendarentur. Qui enim tot militum myriadas eduxerat, quot nullus antea Imperatorum, totamque Persidem incursu quodam et sine sudore se capturum sperabat, ita misere et infeliciter rem gessit, ac si mulierum vel parvulorum potius, quam virorum exercitum secum habuisset. Primum namque illos consilii inopia

in tantam necessitatem adegit, ut equinis carnibus vescerentur, et alii fame, alii siti absumpti perirent. Quasi enim in Persarum gratiam exercitum agere, ac non illos capere, sed suos prodere vellet, sic in angusta loca conclusit, ac tantum non vinctos hosti tradidit. Omnes porro quæ illic contigere calamitates, ne ex iis quidem, qui illam viderunt et experti sunt, possit quispiam recensere, ita omnem modum superarunt. Sed ut summatim dicam, illo turpiter ac misere mortuo; alii enim dicunt illum a calone quodam, de rerum statu indignante percussum cecidisse; alii interfectorem non novisse, sed tantummodo percussum dicunt rogasse ut in Cilicia sepeliretur, ubi nunc jacet. Cum itaque sic ille turpiter cecidisset, milites se in extremis constitutos esse cernentes, hostibus supplices accedunt, datisque juramentis, se omnium munitissimo præsidio cessuros, quod partium nostrarum ceu murus erat inexpugnabilis, humanosque nacti Barbaros, sic evaserunt, ex multisque pauci remigrarunt, sed affectis corporibus, de inito fœdere pudefacti, per jusjurandum vero coacti paternis bonis cedere. Videreque erat quavis captivitate miserabilius spectaculum: nam urbis illius cives, a quibus gratiam expectabant, quod instar propugnaculi positi eos omnes, qui intra hos limites essent, quasi in portu constituissent, pro omnibus semper ad omnia pericula objecti, ab iisdem hostilia passi sunt, et domibus cedentes et agris, et a paternis possessionibus avulsi, qua calamitate a suis affecti sunt. Hunc nos fructum ab egregio Imperatore percepimus. Hæc porro non temere dicta sunt, sed ut responderemus iis, qui quærerent cur non ab initio de Imperatore Deus pœnas sumpserit. Illum enim rabie ductum sæpe voluit ab ulteriore impetu coërcere, alienorumque malorum exemplo emendare: quia vero ille repugnavit, in extrema eum mala conjecit: veram quidem

peccatorum ultionem in magnum illum diem reservans, præsenti vero pœna supiniores excitans et ad meliorem frugem reducens. Tanta enim est Dei tolerantia, ut qui ea non recte utuntur, eos graviore tandem pœna afficiat: ac quemadmodum pœnitentibus utilis, ita pervicacibus et obstinatis majoris supplicii causa evadit. Quod si quis dicat: Quid igitur? Annon præviderat Deus fore, ut tyrannus nunquam emendaretur? Huic respondebimus, prævidisse quidem, sed nunquam propter malitiæ nostræ prævisionem cessaturum esse quæ ad se spectant facere. Verum etsi nos admonitionem non admittamus, ille nihilominus benignitatem suam demonstrat; sin etiam in majora impingamus mala; nihil hoc ad eum spectat, qui non ideo nos peccantes diu tulit ut periremus, sed ut salutem consequeremur; verum nostra culpa evenit, qui ineffabilem ejus tolerantiam despeximus. Atque ita immensa ejus benignitas declaratur. Cum enim nolumus magna ejus frui patientia, tunc eam ille in aliorum lucrum convertit, ubique simul benignitatem et solertiam suam prodens. Quod etiam tunc factum est. Et tyrannus quidem sic vitam clausit: ac tum insaniæ ejus, tum Babylæ virtutis monimenta exstant templum item et Martyrium, illud quidem desertum, hoc eamdem quam prius virtutem retinens. Capsa autem non ultra refertur, Deo ita providente, ut adventantibus clarior Babylæ gestorum notitia evadat. Quisquis enim peregrinus locum adiens et Martyrem quærens, cum illum abesse videt, statim causam sciscitatur, et sic totam edoctus historiam recedit, majus, quam prius, lucrum reportans; sic et Daphnen adventans, et inde recedens, maximam utilitatem percipit. Ea est Martyrum virtus, viventium, mortuorum; præsentium locis, absentium. Etenim ab initio ad finem ejus facinora continua quasi serie copulata fuere. Si perpendas enim, violatas

Dei leges ultus est, pro occiso debitas pœnas sumpsit, quanta sit Sacerdotium inter et imperium differentia ostendit, mundi fastum omnem dissolvit, mundi pompam calcavit, Imperatores docuit, ne ultra mensuram sibi a Deo præscriptam potestatem extenderent, Sacerdotes docuit, ut in hoc principatu præesse oporteat. Et hæc quidem hisque plura dum in carne esset. Ubi autem hinc emigravit, dæmonis robur enervavit, Gentilium fallaciam confutavit, vaticinii nugacitatem detexit, ejus larvam contrivit, histrionicam ejus omnem detexit artem, eum qui in ea præesse videretur obtumescere cogens, ac magna vehementia opprimens. Stant hodieque templi muri, dæmonis ignominiam omnibus prædicantes, risum item imbecillitatemque; Martyris vero coronas, victoriam, virtutem. Tanta est Sanctorum fortitudo, tam invicta et formidabilis, et Imperatoribus et dæmonibus, imo ipsi quoque dæmonum principi.

SERMO PANEGYRICUS

In SS. Martyres Juventinum *et* Maximinum, *qui sub Juliano apostata martyrium sunt passi.*

I. Nuper beatus Babylas cum tribus pueris nos hic congregabat : hodie vero par sanctorum militum, in acie exercitum Christi constituit. Nuper quadriga martyrum, hodie biga. Impar eorum est ætas, sed una fides : varia certamina, sed eadem fortitudo. Illi tempore superiores, isti recentiores. Ejusmodi est thesaurus Ecclesiæ, novas et veteres habet margaritas : sed una omnium est pulchritudo. Eorum flos neque marcescit, neque defluit tempore. Nes-

cit vetustatis rubiginem splendoris istius natura. Temporis diuturnitate opes, quæ ad corpora spectant, facile intereunt: vestimenta enim absumuntur, domus destruuntur, et aurum rubigine consumitur: et in summa, omnium sensibilium facultatum natura, tempore tandem aboletur et intercidit. At non sic se res habet in spiritualibus thesauris, de Martyribus, inquam, qui semper in eodem manent vigore, semper in eodem juventutis flore sunt, semper suæ gloriæ fulgorem emittunt et radios. Quod scientes vos non aliter priscos, aliter recentiores colitis sanctos, sed eadem alacritate, eodem amore, eodem affectu colitis omnes et commendatis. Non enim exploratis tempus, sed exquiritis animi fortitudinem, pietatem, fidem invictam, zelum incitatum ac fervidum, et eas virtutes, quas præ se ferunt sancti, ad quorum honorem hodie convenimus. Hi enim tanto amore Dei flagrabant, ut etiam extra persecutionis tempus, Martyrii corona redimiti fuerint, absque pugna tropæum erexerint, absque prælis victoria potiti sint, absque certamine bravium rapuerint. Et quomodo hoc, ego dicam: sed ferte me rem paulo altius repetere. Erat Imperator quidam, etiam nostro ævo, omnes qui se præcesserant impietate vincens, de quo et nuper pluribus a me dictum est: qui cum videret res nostras Martyrum morte clariores fieri, et ea causa non solum viros, sed et teneros pueros, virginesque innuptas: et in summa, ex omni sexu et ætate quosdam pro religione ad mortem prosilire, cruciabatur, et dolebat. Cæterum, movere bellum manifeste nolebat. Omnes enim, dicebat ad martyrium, quasi ad alvearium apes volabunt. Hæc autem non ab alio, quam a majoribus suis didicerat. Etenim tyranni, Ecclesiam infestarunt, et populi quoque perpetuo in nos insurrexerunt, cum adhuc parva religionis scintilla esset: eam tamen non extinxerunt, neque des-

truxerunt, sed ipsi potius destructi sunt. Augebatur quotidie scintilla hæc, ferebaturque in sublime, et omnem undique orbem invadebat, cum occiderentur, adurerentur, suspenderentur, præcipitarentur, bestiis objicerentur omnes fideles. Etenim carbones sicut lutum calcabant, et mare fluctusque sicut pratum intuebantur, ad gladium sicut ad diadema et coronam currebant, omniaque tormentorum genera ita superabant, ut ea non solum generose et fortiter ferrent, sed et alacriter et cum voluptate. Enimvero sicut plantæ rigatæ magis crescunt, ita et fides nostra oppugnata, magis floret : et vexata, incrementa majora sumit: neque horti aquis irrigati ita germinant, et fecundi sunt, ut Ecclesiæ, si Martyrum irrigentur sanguine. Hæc omnia atque plura cum ille sciret, meticulosior erat, quam ut manifeste cum nostris confligeret. Ne efficiamus, inquit, ut frequentia erigant tropæa, continuas reportent victorias, et coronas obtineant. Sed quid facit ? Vide, oro, malignitatem. Medicos, milites, Sophistas et oratores omnes, vel a professionibus suis discedere, vel fidem suam abjurare jubet, excitavitque in hunc modum contra nostros bellum, tela eminus mittens, ut si a fide desisterent, ridicule vincerentur, utpote qui fidem opibus non præferrent: sin generose perseverarent et vincerent, neque sic egregia foret victoria , neque insigne tropæum. Nihil enim magnum, artem vel professionem pro pietate contemnere. Neque is sævitiæ ejus finis erat : nam ad hæc si quis superiobus annis, cum adhuc pii Imperatores rerum potirentur, vel altaria demolitus fuisset, vel templa suffodisset, vel donaria diripuisset, vel aliud tale quiddam egisset: rapiebatur ad tribunal, et occidebatur, non is solum qui tale quid egisset, sed qui delatus duntaxat fuisset. Fingebat quoque et alias varias causas, ita ut pie viventium nemo non lugeret. Agebat autem hæc, ut obscuraretur martyrii

corona, et nihilominus cædes et strages fierent: neque splendida præmia Martyrum apparerent: nihil tamen arte hac proficiebat. Nam qui ita affligebantur, non ad illius calculum et malignitatem spectabant, sed ad incorruptum judicem, a quo et cœlestem coronam accepturos sese confidebant.

II. Interea cum hæc ita se haberent, et bellum quidem ille parturiret adversus nostros, cessaret autem, veritus ne vinceretur: accidit ut milites quoddam convivium haberent, in quo et Martyres, quos hodie colimus, erant. Cæterum, ut conviviormm mos est, cum varii sermones hinc inde dicerentur, aliique alia tractarent, hi mala sui temporis deplorabant, longe feliciora fuisse superiora asserentes, dicebantque et inter se, et ad sodales: Quem juvaret, ultra vivere, vel spirare, vel solem intueri, sacris legibus ita conculcatis, pietate ita violata, creaturarum omnium Domino ita contempto? Omnia nidore plena sunt et fumo, omnia sacrificiis immundis referta. Ne purum quidem aërem spirare possumus. Dicta hæc ne perfunctorie transeas, sed considera, quando ea locuti sunt, et quanta pietate. Nam si in militari convivio, ubi regnant ebrietas et intemperantia, ubi certatur de prodigalitate, ubi agon est de temulentia et insania, sic ingemiscebant et lugebant: quales erant domi, cum soli inter se agerent? quales erant in precibus et jejuniis, qui deliciarum tempore temperantes, apostolica præ se ferebant pectora? Cadebant alii, hi vero lugebant: impie agebant alii, hi vero urebantur. Atque ipsi ob fratrum infirmitatem suam sanitatem non sentiebant: sic dolebant et lacrymabantur in malis, quæ tunc fiebant, quasi universo mundo tutores dati essent. Neque occultum fuit talia eos dixisse: nam ex sodalibus et convivis, adulator et irrisor quidam, obsequium Imperatori facturus, omnia ut dicta erant, detulit.

Ille arrepta occasione jam diu quæsita, causatus est ex verbis illis affectatam tyrannidem, ut ita eos martyrii corona privaret, et jussit publicatis facultatibus eorum omnibus, nudos in carcerem conjici. Illi autem gaudebant et exultabant dicentes : Quid nobis divitiis, pretiosaque veste opus? Si et indusium intimum, nempe caro, propter Christum exuendum est, non obluctabimur, sed sponte concedemus. Tunc signa eorum domibus apponuntur, omniaque diripiuntur. Porro ut homines in patriam procul sitam migraturi, substantiam omnem in pecuniam commutatam sæpenumero præmittunt : ita et illis accidit. Quoniam enim in cœlos erant transituri, inimicis ipsis negotium agentibus, et in hoc ministrantibus, opes suas ante se miserunt. Non enim illæ tantum opes, quas eleemosynæ nomine largimur, transferuntur in cœlum, sed etiam quascumque nobis hostes fidei piorumque persecutores rapiunt, illic thesauri erunt. Est enim hoc non minus quam illud : de quo audi quid Paulus dicat : « Et rapinam, inquit, bonorum vestrorum cum gaudio tulistis, » expectantes vos habere meliorem substantiam, et manentem in cœlis[1]. » Ut autem ingressi sunt in carcerem, confluxit ad eos omnis civitas, tametsi multis terroribus, minis et periculis interdictum erat, ne quis vel ad eos accederet, vel eis loqueretur, vel quovis modo communicaret. Atqui timor Dei illa omnia excussit : unde multi ob consuetudinem, quam cum illis habebant, facti sunt et ipsi Martyres. Multi enim contempta præsenti vita frequenter eos visitando, psalmodias, sacraque pervigilia celebrabant. Erant familiaritates illæ spiritualis eruditionis atque consolationis plenæ : et clausa Ecclesia, carcer Ecclesia factus est. Neque ii solum, qui eos visebant, sed et qui intus cum eis tenebantur, maximam sapientiam et

[1] Hebr. x, 34.

virturem a patientia et fide eorum discebant. Imperator ut hæc audivit, valde stomachatus est; cupiens tamen eos supplantare, et ab alacritate sua dejicere, fœdos quosdam homines, et præstigiatores subornavit, qui si quando privatum colloquium sese offerret, non ut ab Imperatore missi; sed quasi proprio consilio id agentes, adhortarentur ut a religione desistant, et ad impietatem transeant. Dicebant enim : Sic non solum imminens periculum effugietis, sed majori dignitate honestati, majorem quoque principatum adepturi estis, Imperatoris ira feliciter placata. Nonne vidistis et alios vestri ordinis id ipsum fecisse? Quibus illi responderunt : Atqui nos hac potissimum ratione viriliter stabimus, ut pro illorum lapsu nosmetipsos in sacrificia offeramus. Benignus nobis dominus est. Solet etiam uno accepto sacrificio toti orbi conciliari. At sicut olim tres pueri dixerunt : « Non est in tempore hoc princeps et propheta, et dux, neque holocaustum, neque sacrificium, neque locus offerendi coram te, ut possimus invenire misericordiam, sed in animo contrito, et spiritu humilitatis suscipiamur[1]. » Ita et Martyres illi videntes altaria subversa, clausas Ecclesias, sacerdotes pulsos, fideles omnes fugatos, studebant ut pro omnibus offerrentur Domino, relictisque militaribus turmis, angelicis sese choris adjungerent. Etiamsi nunc, aiebant, non moriamur, moriendum tamen et patiendum hoc est non multo posthac. Satius igitur fuerit mori pro rege angelorum, quam pro rege tam impio : satius fuerit pro patria cœlesti arma deponere, quam pro terrena et quam pedibus calcamus. Hic etsi quis moriatur, nihil accipiet ab Imperatore sua dignum fortitudine. Et quid posset homo defuncto gratiæ conferre? Atqui ei sæpenumero ne sepultura quidem contingit, et non raro a canibus devoratur.

[1] Dan. III.

Quod si pro rege Angelorum mortui fuerimus, certi sumus nos accepturos corpus multo gloriosius, majori gloria conspicui erimus, longe majora nobis erunt laborum præmia, et corona redimiemur. Proinde arripiamus arma spiritualia : non opus jaculis et arcubus, non aliis armis, quæ sub sensus cadunt ; sufficit pro omnibus lingua. Sunt enim et sanctorum ora pharetræ, e quibus diabolico capiti continui et crebri ictus inferuntur.

III. Nuntiata sunt et hæc atque similia Imperatori, qui nec destitit, sed illecebris iterum atque iterum illos tentavit. Ita autem subdolus ille, callidus, ac sapiens ad male agendum rem concinnavit, ut si cederent victi, sub omnium oculos producerentur, et efficeret, ut sacrificarent : sin perseverarent, tantamque in pugna fortitudinem exhiberent; non manifesta foret illorum victoria, sed quasi affectatæ tyrannidis rei truncarentur. At qui revelat profunda et abdita, non permisit, ut machinationes illæ occultæ manerent, et ignotæ insidiæ. Sed quemadmodum illa mulier Ægyptia Josephum in cubiculo ac solitudine multa apprehendens[1], licet speraret factum suum clam fore omnibus hominibus, non fuit tamen occulta, vel oculo illi soporis nescio, vel posteritati : sed quod absque arbitro illa Josepho dixit, id nunc ubique terrarum canitur : ita et ea quæ per subornatos consiliarios ille loquebatur, sperans occulta fore, nequaquam manserunt occulta. Didicerunt enim posteri omnes et insidias, et triumphantium victorias. Denique cum multo tempore exacto, alacritatem eorum non solum non frangeret diuturnitas, sed potius studium et ardorem excitaret, æmulatoresque multos faceret, jussit tandem media nocte in barathrum eos abduci. Ducebantur itaque in mediis tenebris luminaria, et illi decollabantur. Cæterum capita detruncata tunc dia-

[1] Gen. xxxix, 11.

bolo magis terribilia erant, quam cum adhuc vocem darent : sicut et caput Joannis non tantum terrebat, cum loqueretur, quantum cum in disco mutum afferretur. Habet enim et sanctorum sanguis suam vocem, quæ non per aures auditur, sed occidentium conscientiam invadit. Post beatam illam cædem, quidam etiam cum salutis periculo, athletas illos optimos rapuerunt etiam ipsi vivi martyres, ut illorum reliquias curarent decenter. Nam quamvis non occidebantur, optabant tamen mori; illoque modo ad rapienda corpora profecti sunt. Dicunt qui tunc affuere, et quibus corpora illa recens occisa videre datum fuit, quod jacentibus simul illis ante sepulturam, talis quædam ex eorum oculis et vultu gratia resplenduerit, qualem in Stephano Judæis responsuro fuisse Lucas dicit[1] : neque ullus est, qui non pio quodam cum horrore illis astiterit, adeo aspectus ille afficiebat omnes. Quin et omnes clamabant in laudem eorum, id quod a Davide dictum : « In » vita sua non sunt separati, et in morte non sunt di- » visi [2]. » Pariter enim confessi sunt, pariter carcerem inhabitarunt, pariter in barathrum abducti sunt, pariter capite mulctati sunt, et una capsula utriusque corpora tenet : et unum quoque tabernaculum in cœlis eos excipiet, quando majori sunt illa cum gloria resumpturi. Illos non indignum fuerit et columnas, et scopulos, et turres, et luminaria, et tauros simul appellare. Nam Ecclesiam sicut columnæ sustinent, sicut turres muniunt : et sicut scopuli omnes insidias repellunt, multam iis, qui intus sunt, afferentes tranquillitatem; sicut luminaria tenebras impietatis discusserunt : et sicut tauri anima et corpore promptitudineque eadem, suave Christi jugum traxere. Idcirco sæpe eos invisamus, capsulam attingamus, magnaque fide reliquias eorum complectamur, ut inde benedic-

[1] Act. vi, 16. — [2] 2 Reg. i, 23.

tionem aliquam assequamur. Etenim sicut milites, vulnera quæ in præliis sibi inflicta sunt regi monstrantes, fidenter loquuntur : ita et illi in manibus absecta capita gestantes, et in medium afferentes, quæcumque voluerint apud regem cœlorum impetrare possunt. Proinde magna fide et alacritate huc veniamus, quo et visis sanctorum monumentis, et consideratis eorum certaminibus, inde varios thesauros undequaque colligamus, et per præsentem vitam ita, secundum voluntatem Dei, transeamus, in portum illum cum multis mercibus ingrediamur, et regnum cœlorum consequamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri simulque Spiritui sancto gloria, imperium, honor et adoratio in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA I

Encomiastica in S. Martyrem Pelagiam *Antiochenam.*

I. Benedictus Deus[1] : etiam mulieres, imo puellæ demum mortem irrident, virginesque admodum juvenes et innuptæ in ipsos inferni stimulos insiliunt, nihilque patiuntur detrimenti. Hæc porro bona omnia per Christum ex Virgine natum allata nobis sunt : nam post beatum partum illum, et admirabilem ortum, mortis nervi soluti, diaboli potentia fracta est, qui deinceps non a viris tantum, sed etiam a mulieribus contemnitur; nec a mulieribus modo, sed et a puellis. Sicut enim pastor strenuus leonem pecoribus formidolosum, et totum ovile devastantem corri-

[1] Vide D. Guillon, tom. XVI, p. 575-582.

piens, avulsis dentibus, exsectis unguibus, detonsa juba, vel pastorum pueris deridendum propinat; imo etiam puellis tradit illudendum; ita et Christus mortem naturæ nostræ formidabilem, generique nostro terribilem corripuit, ejusque metum dissolvit, ita ut etiam virgines ipsam derideant. Quamobrem beata Pelagia tanta cum voluptate ad eam cucurrit, ut ne carnificum quidem manus expectaret, neque in judicium ingrederetur, sed propria animi magnitudine illorum crudelitatem præverteret. Nam ad tormenta quidem, cruciatus, supplicia parata erat; sed metuebat tamen ne virginitatis coronam perderet. Ut autem scias eam ab impiorum libidine timuisse: præoccupavit illa, seseque a turpi contumelia subduxit. Quod sane vir nullus unquam aggressus est: omnes enim ad judicium secuti fuerant: ibique fortitudinem suam demonstraverant. At mulieres, utpote natura sua injuriæ opportuniores, hunc sibi mortis modum excogitarunt. Nam si potuisset simul et virginitatem servare, et martyrii coronam consequi, nequaquam ad tribunal ingredi recusasset: quia vero ab alterutro excidere necesse prorsus erat, extremæ putabat amentiæ fore, si cum posset utramque victoriam consequi, dimidiam solum coronam reportaret. Ideo noluit in judicium accedere, neque lascivis oculis spectaculo esse, vel pati ut intemperantes homines aspectu suo fruerentur, sanctumque illud corpus afficerent contumelia: sed ex thalamo et gynæceo in alium thalamum, sive in cœlum, venit. Magnum quippe est carnifices circumstantes videre, et latera fodientes: sed nihilo minus illo hoc quoque est: illis enim cum jam sensus cruciatuum varietate consumptus sit, non ultra formidabilis mors videtur; sed potius urgentium malorum liberatio atque cessatio; hæc vero nihildum hujusmodi passa, cum corpus integrum haberet, nihilque doloris pertulisset, generoso

magnoque animo opus habuit, ut violenta morte ex hac vita se subduceret. Quare si miraris illorum patientiam, hujus mirare virtutem; si stupes eorum tolerantiam, ejus stupe generosum animum, quo talem adire mortem ausa sit. Ne vero cursim rem prætereas; sed cogita quo sensu fuerit virgo tenera, quæ thalamum tantum noverat; militibus confertim irrumpentibus, ante fores stantibus, ad judicium vocantibus, in forum pro talibus tantisque rebus trahentibus. Non pater intus, non mater aderat, non nutrix, non ancilla, non vicina, non amica, sed sola inter carnifices illos erat. Quod enim exire et respondere carnificibus illis militibus potuerit, quod hiscere, quod vocem emittere, quod respicere, quod consistere ac respirare, quo non stupore et admiratione dignum fuerit? Non erant hæc humanæ naturæ, sed majorem Dei nutus partem inferebat. Neque tum illa stabat otiosa, sed quod in se erat totum efferebat, alacritatem, generosum animum, voluntatem, propositum, festinationem, ardorem; eorum vero finis Dei ope et superna benevolentia secutus est: ita ut illam et admirari et beatam prædicare debeamus; beatam prædicare ob commilitium Dei; admirari, ob propriam animi alacritatem. Quis enim non jure obstupescat audiens illam temporis momento consilium iniisse, confirmasse et ad exitum deduxisse? Nostis quippe omnes sæpe accidere, ut quæ diu meditati sumus, instante temporis occasione, modicoque mentem invadente metu, consilia omnia missa faciamus, angustia confestim deterriti. Illa vero tam horrendum, tam formidabile consilium uno temporis momento suscipere, decernere, opere perficere potuit : non præsentium terror, non celeritas temporis, non solitudo inter insidias, non quod sola intus esset, non aliud quidpiam hujusmodi beatam illam turbavit. Sed quasi præsentibus amicis et notis, sic cum liber-

tate omnia fecit; ac jure quidem merito. Non enim sola intus erat, sed Jesum habebat consiliarium: ipse aderat, ipse cor ejus tangebat, ipse animum confirmabat, ipse metum pellebat. Illud autem non sine causa faciebat; sed quia ipsa Martyr se antea dignam ejus auxilii præbuerat.

II. Egressa itaque a militibus petiit, ut sibi liceret ingredi et vestem mutare: atque ingressa induit incorruptionem pro corruptione, immortalitatem pro morte, vitam interminatam pro temporanea. Ego vero præter ea, quæ dicta sunt, et hoc admiror, quomodo milites eam illi concesserint gratiam, quomodo mulier viros deceperit, quomodo nihil eorum, quæ eventura erant, suspicati sint, quomodo dolum non intellexerint. Neque enim est quod dicas, neminem unquam rem similem fecisse. Multæ enim fortasse se præcipites dederunt, seseque in pelagus conjecerunt, vel pectus gladio trajecerunt, vel laqueo se præfocarunt: tempus quippe illud hujusmodi dramatibus plenum erat. At Deus cor eorum excæcavit, ut dolum non odorarentur. Quamobrem ex mediis illa retibus avolavit: ac quemadmodum cerva in ipsas venatorum manus delapsa, indeque postea aufugiens in verticem montis venatoribus et telis inaccessum se confert, cursumque tandem sistit, atque in tuto posita eos, qui sibi insidiabantur, respicit: Sic et illa in manus insidiantium delapsa, et parietibus quasi retibus intus comprehensa, aufugit, non in montis verticem, sed in ipsum cœli cacumen: unde illos intuens vacuis manibus revertentes, multum gaudebat, cum infideles pudore suffusos cerneret. Cogites namqne velim quale fuit illud, sedente judice, astantibus carnificibus, paratis tormentis, universa coacta multitudine, cum milites expectarent, præ voluptate gestientibus omnibus, se prædam accepturos sperantibus, tunc rediisse

eos, qui ad id missi fuerant vultu in terram demisso, remque gestam narrasse. Quantum dedecus, quantum mœrorem ac probrum infideles illos tunc affeciss epar est? Quam vultu demisso, quanto cum pudore rediisse putes illos, cum didicissent se non cum hominibus, sed cum Deo bellum gerere. Joseph heræ suæ insidiis appetitus, vestimento, quod fœdis barbaræ mulieris manibus tenebatur, relicto, nudus exiit: hæc vero corpus lascivis detineri manibus non sivit, sed nuda cum anima ascendens, sacramque carnem apud hostes relinquens, in magnam illos consilii inopiam conjecit: neque enim sciebant quid de reliquiis illis facerent. Talia sunt Dei præclara gesta, ut servos suos ex angustia in tranquillitatem magnam deducat; adversarios autem et hostes cum prospere habere videntur, in extremam consilii inopiam dejiciat. Quæ enim angustia major illa, in quam puella tunc inciderat? quid facilitate illa majus, in qua tum milites versabantur? Solam illam intus habebant comprehensam, domi ceu in carcere inclusam, et tamen abscesserunt amissa præda. Rursum puella sola auxilio prorsus et ope destituta, nullum undecumque ab ærumnis exitum videns, ferarum oribus proxima, ex ipsis, ut ita dicam, faucibus erepta, insidias effugit, milites, judices, principes superavit. Ac dum illa viveret, ipsam se superaturos sperabant omnes; postquam autem mortua est, tunc in majorem consilii inopiam delapsi sunt; ut discerent mortem Martyrum esse victoriam martyrum. Perinde vero accidit, ac si navis innumeris mercibus margaritisque pretiosis onusta in ipso portus aditu decumanum fluctum, mox illam submersurum effugiens, ipso undarum impetu celerius in portum transmittatur. Sic et beatæ Pelagiæ contigit. Nam militum incursus, futurorum cruciatuum metus, minæ judicis, hæc nempe omnia, fluctibus vehementius ingruentia id effecerunt, ut multo celerius

in cœlum avolaret, fluctusque navem submersurus, illam citius in tranquillum portum transmisit. Deinde corpus illud vel fulgure splendidius deferebatur, diaboli oculos feriens. Non enim fulgur e cœlo demissum ita nobis terribile est, ut corpus Martyris fulgure ipso gravius dæmonum phalangas perterrefaciebat.

III. Ut vero discas id non sine divino nutu factum fuisse, id maxime comperias, tum ex Virginis alacritate, tum ex eo, quod milites dolum non olfecerint, quod petenti annuerint, et quod res ad exitum deducta sit : neque minus id ediscere liceat ex ipsa mortis ratione. Multi enim e sublimi tecto delapsi, nihil mali passi sunt; alii item membris quibusdam corporis mutilati, longo post lapsum tempore vixerunt. Beatæ autem Virgini nihil hujusmodi contingere voluit Deus : sed jussit animam statim ex corpore exire, et eam, ut quæ satis certasset omniaque implesset, excepit. Non enim ex casus natura, sed ex Dei jussu mors consecuta est. Jacebat deinde corpus non in lecto, sed in solo. At non ideo expers honoris erat quod in solo jaceret; sed solum ipsum venerandum erat, quod tanta gloria præditum corpus excepisset. Ex hoc ipso igitur venerabilius corpus illud erat, quod in solo jaceret. Contumeliæ namque propter Christum irrogatæ accessionem nobis præbent honoris. Jacebat igitur in solo, angusto loco, virgineum illud et auro pretiosius corpus. Circumstabant Angeli, venerabantur Archangeli omnes, aderat ipse Christus. Nam si heri domesticos honestiores mortuos efferunt, nec erubescunt; multo magis Christus eam, quæ sui causa animam emiserat, tantumque periculi adierat, sua præsentia honorare non erubuerit. Jacebat igitur magnum funerale habens martyrium, confessionis ornatu decorata, omni regia purpura, omni veste pretiosa pretiosiore stola induta; eaque duplici, nempe virginitatis

et martyrii. Cum his funeralibus astabit tribunali Christi. Talem nos quoque vestem studeamus viventes ac mortui habere : gnari eum, qui aureis vestimentis corpus exornet, nihil inde utilitatis percipere, imo potius in multorum reprehensionem incurrere, ut qui ne in morte quidem a vana gloria recedat ; sin virtute sit indutus, multos etiam post mortem laudatores habebit. Etenim ipsis etiam imperialibus aulis splendidius apud omnes erit sepulcrum illud, ubi corpus jacuerit, quod cum virtute ac pietate vixerit. Hujus rei testes vos estis, qui divitum sepulcra, etsi aureis ornata vestimentis, ceu speluncas prætermittentes, ad Sanctam magno studio accurritis, quia cum sese martyrio, confessione et virginitate vestium aurearum loco induisset, Martyr discessit. Eam itaque pro viribus imitemur : contempsit illa vitam, contemnamus et nos delicias, sumptuosos irrideamus apparatus, abstineamus ab ebrietate, crapulam fugiamus. Neque sine causa sic loquor. Sed quia multos jam video, qui post solutum hoc spirituale theatrum, ad ebrietatem, ad cauponas, ad diversoriorum mensas, ad aliaque turpia advolaturi sunt. Quamobrem rogo et hortor, ut semper hanc sanctam Virginem in memoria et mente habeatis, neque concionem hanc dedecoretis, neque eam, quæ ex hac celebritate nobis accedit, fiduciam de medio tollatis. Etenim non temere cum gentilibus colloquentes, hujus solemnitatis frequentia gloriamur, illosque rubore perfundimus dicentes, universam civitatem tantumque populum, a puella mortua singulis annis pertrahi, nec post tot annos a tali consuetudine supersedere. Verum si senserint ea, quæ in hac celebritate admittuntur, magna laudum parte carebimus. Nam si hæc, quæ nunc convenit multitudo, sic cum debito ordine accedat, id magno nobis erit ornamento ; sin

cum segnitie ac negligentia, probrum nobis erit ac vituperium.

IV. Ut igitur charitatis vestræ frequentia gloriari possimus, cum eadem modestia domum recedamus, qua par est eos abire, qui cum hac Martyre convenerunt. Nam si quis non hoc ritu discedat, non solum nihil profecerit, verum etiam periculum sibi maximum attraxerit. Scio quidem vos hoc morbo non laborare, sed id non ad defensionem vobis satis est : oportet enim etiam fratres vestros, qui indecore se gerunt, ad maximam modestiam et ad decentem statum reducere. Honorasti Martyrem præsentia? illam etiam propriorum membrorum emendatione honora. Si videris immoderatum risum, cursum indecentem, incessum illiberalem, habitum indecorum, accede, et tali affectos modo terribiliter et torve intuere. At te despiciunt, magisque irrident? Sume tecum duos tresve, aut plures fratres, ut ex numero majori in veneratione sitis. Quod si ne ita quidem eorum amentiam reprimas, eos ad sacerdotes deferas. At vix possunt illi in tantum impudentiæ devenire, ut increpati et moniti non cessent, nec erubescant, neque ab inordinata et ludicra chorea se retrahant. Si vel decem, si vel tres, vel duo, vel unum lucratus fueris, mercem multam reportaveris. Magna est viæ longitudo : viæ igitur longitudine ad ea quæ dicta sunt colligenda utamur, odoramentis suavibus viam repleamus. Neque enim ita ornata via apparuerit, si odoramentis eam replens quispiam suavi fragrantia aërem perfuderit; ut honesta nunc apparebit, si omnes quotquot hodie per illam incedunt, Martyris certamina inter se narrantes domum redeant, lingua sua singuli ceu thuribulo utentes. Annon videtis, Imperatore in urbem ingrediente, quanto cum ordine milites utrinque positi armati gradiantur, alter alterum cohortantes, ut quiete et cum reverentia ince-

dant, quo spectatu digni videantur? Illos itaque imitemur: et nos quippe Imperatorem deducimus; Imperatorem, inquam, non sensibilem, non terrenum, sed Angelorum Dominum. Sic ergo et nos recto cum ordine ingrediamur nos mutuo cohortantes, ut modo rituque decenti progrediamur, ut non multitudine tantum, sed etiam ornatu spectatores stupore afficiamus. Imo vero etsi nemo adesset alius, sed soli iter faceremus, ne sic quidem indecore se gerere oporteret, ob pervigilem illum oculum ubique præsentem et omnia videntem. Nunc vero considerate multos hæreticos esse nobis permixtos, qui si nos viderint ita choreas agentes, ridentes, clamantes, ebrios; summe nos damnantes recedent. Quod si is, qui vel uni offendiculo fuerit, inevitabili pœna plectetur, qui in tot hominum offensionem incurrimus, quales dabimus pœnas? Sed absit, ut post tot sermones talemque adhortationem, quispiam reperiatur supradictis obnoxius culpis. Nam si antehac tales ausus venia digni non erant; post hujusmodi consilium et increpationem, multo inevitabilior erit pœna, tam iis, qui hæc perpetrant, quam iis, qui talia despiciunt. Ut igitur et eos a supplicio liberetis, ac vobis ipsis majorem comparetis mercedem, fratrum vestrorum curam suscipite, eos ad illa colligenda et enarranda inducite; ut hæc per totam viam meditantes, atque iis, qui domi remanserunt, ac relicti sunt hujus mensæ reliquias afferentes, splendidum et illic convivium habeatis. Ita enim et hujus festi sensum maximum capiemus, et sanctam Martyrem ad majorem benevolentiam provocabimus, vero illam honore prosequentes: majori quippe ipsi voluptati erit, si spiritualibus fructibus hinc onusti recedamus, quam si huc cum tumultu veneritis. Utinam vero tum Sanctæ hujus, tum eorum, qui similiter certaverunt, precibus, et horum et aliorum, quæ dicta sunt memoriam retineatis, et ope-

ribus omnia exhibentes, in omnibus Deo semper placeatis, cui gloria et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA II

In S. Pelagiam.

Majore quidem theatro sancta Virgo Pelagia digna esset: magna enim hujus puellæ certamina exstiterunt, ob idque copiosiorem theatri frequentiam requirunt. At satis illi tamen est Christus, qui solus pro omni ornamento hujus Virginis panegyrim ac celebritatem præsens exornat; quo enim loco Christus adest, illic omnium Angelorum chorus præsto est. Et omnes quidem Martyres sua corpora cruciatibus fortiora præstiterunt, ob idque magnum quoddam theatrum adversus diabolum sibi paraverunt; cum incorporeos spiritus corpore ipso superaverint, et carnem suam cum ferro contendentem fortiter exhibuerint. Cum vero etiam puellas ipsas video pro Christo crucifixo mori gestientes, tunc diaboli temeritatem magis rideo, qui cum permulta vaticinandi loca sibi excogitaverit, quasi res futuras in illis ipsis prænuntiaturus esset, non illud præviderit ac vaticinatus sit, quantum dedecus, quovis risu dignum, hodierno die passurus esset. Quid enim magis ridendum aliquis duceret, quam quod hodie passus est diabolus? qui licet Virginem irretitam haberet, a præda tamen ipsa excidit, et puellam, quam apprehendit, tenere non potuit, quasi umbram, non Virginem, apprehendisset. Nam cum illa simplicitatem columbæ cum serpentis prudentia conjunctam haberet, ut columba quidem simplex

comprehensa est, sed ut prudens serpens diffugit : quamvis enim esset comprehensa, de victoria tamen non desperavit : neque animo aut consilio capta fuit, licet corpore detenta esset; sed artem quamdam atque consilium excogitavit, quo eorum, a quibus comprehensa fuerat, temeritatem eluderet, et eos tanquam stupidos redderet. Sed quidnam hoc fuit? Se consilium mutasse puella simulavit : idque ut credibile videretur, quamvis in tantæ fluctuationis et naufragii periculo constituta esset, vultu tamen ipso hilaritatem præferebat. Figmento igitur illo milites capti, et puellæ hilaritate decepti, humanius in illam se gerere cœperunt. Quæ cum ab ipsis petiisset, ut tandiu liceret abesse, quoad ornatum sponsæ convenientem sibi indueret, eundi potestatem milites ei concesserunt : quippe qui ea re non solum illi Virgini gratum facturi essent, sed futurum etiam cogitabant, ut a judice ipso magis laudarentur, si puellam veste ornatam duxissent. Illa vero consilii sui compos facta statim se veste induit, quæ vere decora est. Cum enim animi fortitudine, et resurrectionis spe multa se induisset atque corroborasset, ad ipsius tecti fastigium cucurrit, et illinc se ipsam præcipitem dedit. Itaque palæstræ genus illud exegit, quod ut magnum quidpiam aliquando diabolus Domino ipsi proponere ausus fuerat, cum dixit : « Si filius Dei es, mitte te deorsum[1]. » Hujus puellæ fidem et animi magnitudinem valde obstupesco. Quid enim tunc alia virgo secum ipsa non cogitasset? Dixisset quidem : Do me ipsam ex hoc loco præcipitem, cum id facere eo ipso coacta sim, quod stuprum metuo. Laudabile est propositum, modo casum ipsum mors consequatur : quamvis enim in me mortuam hostes debacchati fuerint, id tamen ego non sentiam, meque insciente hoc facient. Ac si in terram collisæ corporis

[1] Matth. IV, 6.

membra perfracta fuerint, anima vero in membris permanserit; corporis turpitudinem moleste ferens ac dolens, tunc nihilominus ad Judicem ducta, ea patiar, quæ semper timui: tradent enim stupro corpus ipsum membris læsum, ac me violatam dimittent: sicque duplicem feram calamitatem, tum corporeis membris læsa, tum virginitate spoliata. Hæc satis quidem fuissent, ut aliam puellam perturbarent. At illa ita confisa est, quasi finis ipsius sponsorem aliquem haberet: ob idque prompto animo ad eum casum festinavit. Itaque puellæ et Virginis fortitudine atque animo illo victus es, diabole. Quæ enim Domino ipsi olim proposuisti, ad ea puella quædam, ejus famula te provocavit, et ad tecti fastigium accurrens, illinc se ipsam jaculata est: cumque a Judice vocata esset, tibi, qui hoc suggessisti, non obtemperavit, neque subdolam pugnam subiit: novit enim versutas cogitationes tuas, cum sæpe virgines ipsas ad judices, tanquam ad flagella excipienda vocare soleas: postea vero sine pugna iis, qui pugnare subierunt, acerbius detentas ejicis. At si vere ad pugnam vel ad stadia puellam provocas, congredere nunc cum illa e tecto se dejiciente, eamque illinc decidentem sustine: audeas contra illam stare, et palæstram experiri. Excita quamcumque velis astutiam. Habes terram pro pugnæ campo: urge nunc gladios ipsos, ut mortem inferas: substerne interficiendis hominibus dura cædis instrumenta: para decidenti puellæ confractionem. Omnes enim quantumvis abstrusas atque abditas artes tuas velut infirmissimas illa superavit; quodque majus est, neque illud a Deo exegit, quod scriptum est; Angelis tuis manda de me, Domine, ne unquam offendam ad lapidem corpus meum; sed id petiit, ut animæ præciperet, post casum ipsum e corpore discedere. O puellam, genere quidem et sexu feminam, animo autem ipso marem! O virginem duobus

nominibus extollendam, quod in Virginum grege, et Martyrum choro numerata sis! O puellam ita continentem, ut neque aspectu quidem ipso fruendi facultatem intemperato Judici præbueris! Hujus igitur puellæ temperantiam et nos imitemur, et contra voluptates ipsas victoriæ tropæa erigamus : incontinentiæ atque intemperantiæ impetum frangamus, et animum ipsum ad pietatem servandam corroboremus : judices ipsos a tentationibus submoveamus, et cum opportunum est, non abjectos, sed audaces nos præstemus : denique membra nostra, quæ sunt super terram, mortificemus, ut Dominus ipse hoc humile corpus nostrum tale reddat, et in eam conditionem transferat, ut corporis sui formam cum eo communicet : cui sit gloria et imperium, in sæcula. Amen.

LAUDATIO

In S. Martyrem Ignatium deiferum, magnæ Antiochiæ Archiepiscopum Romam abductum, ibique Martyrio affectum, atque inde rursus Antiochiam translatum.

I. Qui sumptuosis ac splendidis conviviis delectantur[1], ea crebro et frequenter celebrant, tum ut divitias ostentent suas, tum ut benevolentiam in amicos præ se ferant. Talis est etiam spiritus gratia, quæ nobis et proprias opes ostendit, atque exhibet, et magnam erga amicos Dei charitatem declarat, cum frequentes nobis Martyrum mensas apponit. Nuper puella plane adolescens et virgo, beata martyr Pelagia, magna cum lætitia convivium nobis exhi-

[1] Vide D. Guillon, tom. XVI, p. 571-574.

buit : hodie celebritatem illius beatus hic, ac generosus martyr Ignatius vicissim excepit. Diversæ quidem personæ, sed una mensa : variæ pugnæ, sed corona eadem : disparia certamina, sed idem bravium. In certaminibus enim externis, quia labores sunt corporum, merito viri tantum admittuntur : hic autem quoniam totum certamen ad animum spectat, utrique sexui stadium aperitur, utrique generi consident spectatores. Nec viri tantum accingunt se, ne ad naturæ infirmitatem feminæ confugientes probabilem habere videantur excusationem : nec solæ feminæ se fortiter gerunt, ne virorum genus rubore perfundant : sed et hinc, et inde multi publicantur victores, et coronas assequuntur ; ut ex operibus intelligas, in Christo Jesu neque masculum, neque feminam esse[1], nec sexum, nec corporis imbecillitatem, neque ætatem, nec aliud quidquam ejusmodi pietatis cursum conficientibus impedimentum afferre posse, modo generosa alacritas, et promptus animus, et Dei timor ardens atque inflammatus in cordibus nostris radices egerit. Idcirco et virgines, et puellæ, et viri, et juvenes, et senes, et servi, et liberi, et omnis ordo, atque ætas omnis, et sexus uterque ad hæc certamina accinguntur ; nec ulli omnino sua frustrantur spe, qui strenuum animi propositum ad has pugnas attulerint. Tempus igitur jam ad præclara hujusce viri facinora declaranda nos vocat : sed deterretur animus, ac perturbatur, dum in tanta, quæ nos undique circumfluit, laudum copia, hæsitat quid primum, quid secundum, quid tertium dicere aggrediatur. Atque idem nobis evenit, ut si quis in pratum ingressus, et multas rosas, violas multas, ac lilia, et alios vernos flores varios ac diversos intuitus, ambigat quem primo loco, quem secundo perspexerit, dum singuli flores oculos ad se ra-

[1] Galat. III, 21.

piunt. Eodem modo nos item afficimur, dum hoc spirituale pratum Ignatii virtutum ingressi, et non vernos flores, sed ipsos spiritus fructus varios ac diversos in ejus anima contemplantes commovemur, ac dubitamus unde potissimum exordiamur, dum singula quæ conspeximus, ab aliis nos avocant, et ad proprium decoris splendorem oculos animi, et mentis aciem invitant. Vos enim ipsi considerate : Ecclesiam nostram hic rexit tam generose, et tanta cum diligentia, quantam Christus requirit. Quam enim ille maximam normam, et regulam Episcopis statuit, eam hic factis ipsis expressit. Nam cum Christum audivisset dicentem : « Bonus pastor animam suam ponit pro » ovibus[1], » omni fortitudine eam pro ovibus profudit. Cum Apostolis strenue versatus est, et fluenta hausit spiritualia. Qualem igitur eum esse par fuit, qui cum illis educatus est, et ubique vixit, et omnium quæ ab illis vel dicta, vel non dicta sunt, particeps fuit, et tanto principatu dignus ab ipsis est judicatus ? Rursum adfuit tempus, quod fortitudinem exigebat, et animum omnia præsentia despicientem, quique amore divino ferveret, et invisibilia visibilibus anteferret : et tam facile carnem deposuit, quam quivis alius vestem exuisset. Quid igitur primum persequemur ? Apostolorum doctrinam, quam in omnibus exhibuit, an præsentis vitæ contemptum ? an virtutis præstantiam, qua Ecclesiam administravit ? Quem laudabimus ? Martyrem ? Episcopum ? an Apostolum ? Triplicem enim coronam gratia spiritus contexuit, qua sanctum illius caput redimivit, imo vero multiplicem. Si quis enim diligenter coronas singulas consideret, inveniet et alias nobis germinantes.

II. Ac principio, si vobis placet, ab Episcopatus laudibus incipiamus. Videtur-ne vobis hæc simplex corona ?

1 Joan. XI, 14.

Age igitur consideremus, et duas, et tres, atque adeo plures inde nobis partas conspicietis. Neque enim ego virum hunc tantummodo, quod tanto honoris gradu dignus sit habitus, admiror, sed quod a sanctis illis dignitatem obtinuerit, quodque beatorum Apostolorum manus sacrum illud caput attigerint. Nec modicum id ad ejus laudem confert: non solum quod majorem e cœlo gratiam sit assecutus, aut quod in ipsum illi majorem vim spiritus induxerint: sed quod omnes, quæ in hominibus sunt, in eo virtutes esse testati sint. Hoc autem quid sibi velit, expono. Paulus ad Titum scribens: cum autem Paulum dico, non hunc solum intelligo, sed et Petrum, et Jacobum, et Joannem, atque omnem ipsorum chorum. Quemadmodum enim in lyra cum diversæ sint chordæ, unus tamen concentus est: sic etiam in Apostolorum choro, quamvis sint diversæ personæ, una tamen doctrina est, quia et unus artifex erat, Spiritus sanctus qui ipsorum animos movebat, idque Paulus ostendens, « Sive igitur, » inquit, illi, sive ego, sic prædicamus[1]. » Hic ergo scribens ad Titum, et docens qualis Episcopus esse debeat: « Oportet enim, inquit, Episcopum sine crimine esse, » sicut Dei dispensatorem, non superbum, non iracundum, uon vinolentum, non percussorem, non turpis » lucri cupidum: sed hospitalem, benignum, prudentem, » sobrium, justum, sanctum, continentem, amplectentem » eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, » ut potens sit, et alios exhortari in doctrina sana, et eos, » qui contradicunt, arguere[2]. » Et ad Timotheum eadem de re sribens: « Si quis, inquit, Episcopatum desiderat, » bonum opus desiderat: oportet enim Episcopum irre» prehensibilem esse, unius uxoris virum, sobrium, pru» dentem, ornatum, hospitalem, doctorem, non vinolen-

[1] 1 Cor. xv, 11. — [2] Tit. 1, 7.

»tum, non percussorem, sed modestum, non litigiosum, »non cupidum[1].» Vides quantam virtutis excellentiam in Episcopo requirat? Quemadmodum enim pictor egregius colores varios commiscet, ut exemplar imaginis regiæ, quam expressurus est, ita diligenter conficiat, ut qui eam depicturi sunt, omnes habeant quod imitentur: sic et sane beatus Paulus tanquam regiam quamdam effigiem pingens, et exemplar ipsius conficiens, varios virtutis miscet colores, nobisque formam episcopalem ad imitandum proposuit, ut qui ad hanc dignitatem provehuntur, ad illam respicientes, eadem accuratione actiones suas omnes moderentur. Ausim igitur affirmare totam hanc formam in animo suo beatum Ignatium expressisse: nam et irreprehensibilis fuit, et sine crimine, non autem superbus, neque iracundus, nec vinolentus, nec percussor, nec litigiosus, nec cupidus, sed justus, sanctus, continens, amplectens eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, sobrius, prudens, ornatus, et cætera, quæ Paulus exegit. Et quinam sunt horum testes? Iidem ipsi qui hæc dixerunt, qui hunc etiam elegerunt. Neque enim qui tam diligenter cæteros monuerunt, ut probarent eos, qui in hunc dignitatis thronum essent ascensuri, obiter ipsi aut negligenter id peregissent; sed nisi cunctas in martyris animo virtutes conspexissent, non hanc in illum dignitatem contulissent. Norant enim plane quam periculose agerent, qui in iis ordinationibus sese gererent negligenter. Quod quidem rursus ostendens Paulus ad eumdem Timotheum scribens: «Manus, inquit, cito nemini »imposueris, neque communicaveris peccatis alienis[2].» Quid ais? alius peccavit, et ego criminum et supplicii particeps ero? Quidni, inquit, cum improbo dederis occasionem? sicut enim qui furioso, atque amenti, acutum

[1] 1 Tim. III, 1. — [2] Id. V, 22.

gladium præbet, quo ille furens cædem faciat, is cædis sustinet culpam : sic etiam qui improbe viventi dignitatis hujus exhibet facultatem, totum peccatorum illius et facinorum ignem trahit super caput suum. Nam qui radicis est causa, is omnium ex radice provenientium auctor est. Vides-ne quomodo duplex corona Episcopatus appareat , et quod dignitas eorum, qui manus illi imposuerunt, ejus principatum splendidiorem faciat, et omnium ei virtutum testimonium exhibeat ?

III. Vultis ut aliam vobis ex hoc ipso pullulantem coronam aperiam? tempus cogitemus, quo dignitatem hanc est assecutus. Neque enim eadem est nunc, quæ tunc erat, Ecclesiam gubernandi conditio: ut non æqualis est labor viam tritam et plane paratam post multos ingredi viatores : atque eam, quæ nunc primo secanda est, quæque prærupta, et saxosa, ferisque plena, nec ullum adhuc viatorem admisit. Hoc quidem tempore, per gratiam Dei, nullum Episcopis periculum imminet, sed pax undique profunda; et tranquillitate cuncti perfruimur, cum pietatis verbum orbis terrarum terminos occuparit, et qui imperium obtinent, fidem studiose colant, atque observent. Tunc autem nihil erat ejusmodi : sed quocumque quis oculos verteret, ubique præcipitia, barathra, et bella, et pugnæ, et pericula : principes, reges, populi, civitates, et gentes, domestici, et alieni, credentibus insidias tendebant. Neque vero id solum erat grave, sed etiam quod credentium plerique, utpote tunc primum nova dogmata degustantes, magna egebant indulgentia, et erant imbecilliores, et sæpe supplantabantur : quod quidem non minus affligebat doctores, quam externa bella, quin etiam multo magis. Externæ enim pugnæ atque insidiæ propter repositæ mercedis spem voluptatem multam afferebant. Idcirco, et Apostoli gaudentes a conspectu concilii discede-

bant, quod verbera pertulissent[1]. Paulus etiam clamat : « Gaudeo, inquiens, in passionibus meis[2], » et ubique in tribulationibus gloriatur. Domesticorum autem vulnera, et fratrum lapsus, nec respirare quidem illos permittebant, sed semper veluti grave quoddam jugum cervices animorum ipsorum assidue premebant et affligebant. Audi igitur quomodo Paulus, ita gaudens in passionibus, de illis acerbe doleat. « Quis, inquit, infirmatur, et ego non in» firmor ? quis scandalizatur, et ego non uror[3] ? » Et rursum, « Timeo ne veniens, non quales volo, inveniam vos ? » et ego inveniar a vobis, qualem non vultis. » Et paulo post : « Ne cum venero ad vos, humiliet me Deus, et lu» geam multos ex iis, qui ante peccaverunt, et non ege» runt pœnitentiam, super immunditia, et fornicatione, et » impudicitia, quam gesserunt[4]. » Semper denique cernis ipsum in lacrymis et lamentationibus propter domesticos versari, et propter eos, qui crediderant, contremiscere. Quemadmodum igitur gubernatorem admiramur, non cum tranquillo mari et secundis ventis rectores in portum incolumes ducit ; sed cum insaniente pelago, fluctibusque sævientibus, qui in navi sunt, inter se dissentiunt, magna tempestate intus et foris navigantes exagitante, navim tamen potest dirigere, et conservare : sic eos qui tunc Ecclesiam regebant, multo magis, quam illos, qui eam in præsentia gubernant, suspicere debemus, et admirari, quando multa bella intus et foris : quando fidei planta imbecillior adhuc, diligentiæ magis indigebat : quando veluti modo genitus infans Ecclesiæ populus, magnam providentiam, atque sapientiam animæ, qua lactaretur, postulabat. Verum ut planius intelligatis, quot essent coronis digni, qui tunc Ecclesiam regendam suscipiebant, et quot labores in principio atque discrimina illic essent subeunda,

[1] Act. v, 41. — [2] Coloss. I, 24. — [3] 2 Cor. XI, 29. — [4] Id. XII, 20.

Christi vobis testimonium afferam, qui ea, quæ a nobis dicta sunt, approbat, et sententiam meam confirmat. Cum enim multos ad se convenientes aspiceret, velletque Apostolis demonstrare, quod magis quam illi laborassent Prophetæ : « Alii, inquit, laboraverunt, et vos in labores » eorum introistis[1]. » Atqui multo plus Apostoli, quam Prophetæ laborarunt. Attamen quia pietatis verbum priores illi seminarunt, et ignaros hominum animos ad veritatem adduxerunt, ipsis laboris plus attribuitur. Neque enim æqualis est labor, non est profecto, post multos alios doctores aliquem erudire, et primum ipsum semina jacere. Quod enim meditatione, et consuetudine paratum est, facile percipitur : quod autem nunc primum auditur, discentium animos perturbat, multaque docentibus affert negotia. Hoc quidem Athenis auditores perturbabat, ideoque ab Apostolo declinabant, accusantes eum, ac dicentes, « Nova quædam infers auribus nostris[2]. » Nam si etiam hoc tempore labores, ærumnasque multas gubernatoribus præbet Ecclesiæ præfectura : cogita, tunc duplicem, triplicem multiplicemque fuisse laborem, cum pericula, et pugnæ, et insidiæ, et terrores perennes instabant. Verbis explicari non potest difficultas, quam sancti illi viri tunc sustinebant : sed is solus eam noverit, qui reipsa illam experietur.

IV. Quartam præterea coronam adjungam, quæ se nobis offert, ex hoc Episcopatu. Quænam est ista ? quod ipse nimirum patriam nostram gubernavit. Si enim centum homines, vel etiam quinquaginta regere difficile est, quantæ virtutis ac sapientiæ debet existimari tam celebrem urbem administrare, et eum populum regere, qui ducenta contineat hominum millia ? Etenim sicut in exercitibus legiones prætoriæ, quæque numerosiores sunt,

[1] Joan. IV, 38. — [2] Act. XVII, 20.

peritioribus ducibus committuntur: sic etiam in civitatibus, majores populosioresque probatioribus viris assignantur. Quanquam et præcipua Deo hujusce civitatis cura fuit, id quod et re ipsa declaravit. Siquidem quem toti orbi terrarum præfecit, Petrum, cui claves cœlorum dedit, cujus arbitrio et potestati cuncta permisit, hunc longo tempore hic jussit commorari; ita nempe ipsi civitas nostra orbi terrarum par fere videbatur. Sed quia Petri mentionem feci, quintam ex ipso contextam coronam animadverti: quoniam illi in Episcopatus dignitate successit. Nam ut si quis e fundamentis magnum lapidem eruat, alterum omnino parem in ejus loco conatur constituere, nisi velit totum ædificium concutere ac debilius reddere: ita cum Petrus Antiochia esset discessurus, alterum Petro parem præceptorem gratia spiritus substituit, ne structa jam ædificatio successoris imbecillitate debilior fieret. Quinque coronas igitur enumeravimus: ex præfecturæ amplitudine, ex ordinantium dignitate, ex difficultate temporum, ex civitatis magnitudine, ex virtute illius, qui ei tradidit præfecturam. His omnibus contextis coronis, et sextam, septimam, et his etiam plures licebat adjungere: verum ne totum tempus in Episcopatus consideratione collocantes, ab iis, quæ ad eum uti Martyrem spectant, enarrandis excludamur, age deinceps ad illius certamina contendamus. Grave olim adversus Ecclesias excitatum est bellum, et tanquam sævissima tyrannide orbem occupante, e medio foro homines corripiebantur, nulli obnoxii culpæ, sed quod ab erroribus recedentes, ad veram pietatis religionem accurrebant: quod a dæmonum superstitione discesserant: quod verum Deum agnoscebant: quod Filium ejus unigenitum adorabant: atque ita omnes Christi fidem amplexi, cum essent coronis, admiratione atque honore digni, gravissimis atque innume-

rabilibus cruciatibus afficiebantur, multo vero magis Ecclesiarum antistites. Versutus enim diabolus, et ad struendas aptus insidias, sperabat, si pastores sustulisset, ovilia se facile direpturum. Sed qui comprehendit astutos in eorum astutia, ostendens Ecclesias suas non ab hominibus gubernari, sed eos, qui in ipsum credunt, semper a se regi, id fieri permittebat; ut cum cerneret, rectoribus sublatis, non tamen religionem imminui, nec veritatis prædicationem extingui, sed potius augeri; ex rebus ipsis, et ipse, et qui ei inserviebant, omnes intelligerent Christianorum disciplinam non ab hominibus pendere, sed in cœlis radices agere, Deumque esse, qui ubique Ecclesias tueretur, et qui cum Deo bellum gererent, nunquam posse discedere superiores. Neque vero id solum diabolus, sed aliud non minus grave machinabatur. Non enim in urbibus, quibus præerant, trucidari Episcopos sinebat; sed operam dabat, ut in externas civitates abstracti e medio tollerentur. Id autem agebat, simul ut necessariis rebus spoliarentur, simul ut itineris labore confecti redderentur imbecilliores; quod in hoc etiam beato viro fecit. Ex nostra enim civitate Romam abducendum curavit, longiora ipsi cursus spatia proponens, ut et itineris et temporis longitudine, viri constantiam labefactaret, ignarus quod tam longæ viæ Jesum comitem cum haberet, quodque fortior evaderet, et virtutis, quæ secum esset, majus argumentum præberet et Ecclesias magis confirmaret. Civitates enim quæ in ea via erant, undique concurrentes, pugilem excitabant, et cum magno commeatu dimittebant, precibus et supplicationibus cum ipso certantes. Et ipsæ consolationem non vulgarem ex ipso percipiebant, cernentes Martyrem tanta cum alacritate ad mortem currere, quanta par erat eum, qui ad regna cœlorum proficisceretur. Ac re quidem ipsa, ex prompto illius animo

discebant, eam non esse mortem, ad quam properabat, sed peregrinationem quamdam, et transitum atque ascensum in cœlum. Hæc autem tum dictis, tum factis in omni civitate docens, discessit. Et sicut Judæi cum Paulum vinctum Romam mittendum curarunt; opinati sunt se illum ad mortem mittere, attamen Judæis illic habitantibus miserunt præceptorem: sic etiam abundius in Ignatio factum est. Neque enim solis Romæ habitantibus, verum etiam omnibus, in toto illo itineris spatio civitatibus interjectis admirabilis magister extitit, præsentem vitam contemnendam docens, et ea, quæ cernuntur, pro nihilo ducenda, futura autem diligenda, et oculos in cœlum tollendos, nihilque quod in hac vita possit accidere, quantumvis grave, formidandum esse. Hæc enim et his plura factis comprobans iter faciebat, tanquam sol quidam ab oriente ad occasum currens, imo vero sole ipso splendidior multo. Sol enim e superioribus partibus currebat sensibilem oculis lucem impertiens: Ignatius autem deorsum splendebat, intelligibile doctrinæ lumen animis infundens. Et ille quidem in occidentis partes descendens absconditur, ac noctem confestim obducit, hic autem ad occasus partes accedens, splendidius in illis eluxit, et de omnibus in tota illa via est optime meritus: cumque Romam pervenisset, eam ipsam urbem docuit philosophari. Idcirco enim Deus permisit illic eum vitæ finem implere, ut mors ejus omnibus Romam incolentibus pietatis magistra esset. Vos enim per gratiam Dei, nulla amplius egebatis institutione, cum essetis in fide radicati et fundati: at illi qui Romæ tunc habitabant, cum illic magna vigeret impietas, majore auxilio indigebant. Ideo Petrus, et Paulus, et Ignatius post illos, ibi fuerunt immolati: tum ut civitatem illam idolorum cruoribus pollutam, proprio sanguine purgarent, tum ut operibus

ipsis resurrectionis Jesu Christi crucifixi testimonium afferrent, demonstrantes, iis qui Romæ degebant, se præsentem vitam tanta cum voluptate nunquam fuisse despecturos, nisi sibi omnino persuasissent, quod ad crucifixum Jesum essent ascensuri, ipsumque in cœlis visuri. Hoc enim resurrectionis argumentum est maximum, quod Christus immolatus tantam post mortem potentiam ostenderet, ut viventibus hominibus persuaderet, pro sui nominis confessione, patriam, et domos, et amicos, et propinquos, et vitam ipsam aspernandam et contemnendam, ac loco præsentium voluptatum, et verbera, et pericula, et mortem esse subeunda. Hæc enim non defuncti, neque in sepulcro degentis, sed ejus qui surrexisset, ac viveret, præclara sunt opera. Quomodo enim esset verisimile ut cum ipse viveret, omnes Apostoli, qui cum illo versati fuerant, timore conterriti adeo fuerint imbecilli, ut præceptorem prodiderint, et aufugerint: posteaquam autem defunctus esset, non solum Petrus, et Paulus, sed etiam Ignatius, qui eum non viderat, nec ulla cum ipso familiaritate conjunctus fuerat, tantam pro illo animi alacritatem ostenderet, ut pro eo vitam ipsam profundere non recusaret?

V. Ut igitur illi, qui Romam incolebant, hæc esse vera reipsa cognoscerent, permisit Deus sanctum virum illic morte affici. Quod autem hæc sit causa, ex genere ipsius mortis conabor ostendere. Neque enim ut extra muros in barathro, aut in carcere, aut in angulo aliquo occideretur, damnatus est: sed in medio theatro, universa civitate sursum considente et spectante, bestiis in ipsum immissis et concitatis, martyrium pertulit: ut sub omnium oculis adversus diabolum tropæum erigeret, cunctosque spectatores suorum certaminum imitatores efficeret, cum non modo fortiter, sed etiam cum lætitia mortem oppeteret, ferasque cum voluptate spectaret, non quasi rape-

retur e vita, sed tanquam ad vitam meliorem ac præstantiorem vocaretur. Unde hoc fit perspicuum? ex verbis, quæ moriturus loquebatur. Cum enim id genus supplicii sibi esse subeundum intellexisset, « Ego, inquit, feris illis » fruar. » Sic enim agunt, qui amant; cum pro iis qui amantur, aliquid patiuntur, gaudentes id faciunt, tuncque sibi videntur optatis perfrui, cum ea, quæ perferunt, sunt quam gravissima: quod quidem in hoc item contigit: siquidem non morte solum, verum etiam alacritate studebat Apostolos imitari. Et non ignorans quod illi flagellati cum gaudio ibant e conspectu concilii[1]; voluit etiam ipse non morte, sed etiam lætitia magistris esse similis, idcirco « Feris, inquit, fruar. » Ac multo quidem mitiora censebat ora ferarum, quam tyranni linguam: nec immerito; siquidem hæc ad gehennam vocabat, illa autem ad regnum mittebant. Cum igitur illic vitam posuisset, imo vero in cœlum profectus esset, reversus est deinceps coronatus. Etenim id quoque fuit Dei benignitatis, qui curavit ut is rursus ad nos rediret, et civitatibus Martyrem impertivit. Roma enim stillantem ipsius sanguinem excepit: vos autem reliquias ejus suscepistis. Vos illius Episcopatu gavisi estis: illi martyrio sunt lætati. Certantem illi et vincentem, ac coronatum conspexerunt, vos perpetuo illum possidetis. Exiguum ad tempus eum vobis ademit Deus, sed majore cum gloria restituit. Et quemadmodum pecuniam mutuantes, cum fœnore ea reddunt, quæ acceperunt; sic etiam Deus pretiosum hunc thesaurum paulisper suscipiens, ut ostenderet Romæ, majore cum gloria illum vobis retulit. Emisistis enim Episcopum, et Martyrem recepistis: emisistis cum precibus, et cum coronis suscepistis: nec vero vos soli, sed cunctæ quæ interjectæ sunt civitates. Quomodo enim eas affectas existimatis, cum

[1] Act. v, 41.

reportatas reliquias cernerent? quem voluptatis fructum percipere, quanta lætitia gestire? quam faustis undique acclamationibus coronatum celebrare? Quemadmodum enim pugilem generosum, qui omnes devicerit adversarios, spectatores e cavea cum plausu consurgentes sublimem statim excipiunt, nec terram attingere patiuntur, sed sublatum innumerabilibus laudibus ornantes, domum reportant: sic utique et sanctum illum omnes ex ordine civitates ab urbe relatum suscipientes humerisque gestantes, Antiochiam usque sunt comitatæ, martyrem coronatum celebrantes, laudantes agonothetam, diabolum deridentes, quod e contrario illi versutia successisset, et quæ in martyrem struxerat, in se recidissent. Et tunc quidem cunctis illis civitatibus profuit, documentoque fuit, et civitatem hanc usque in præsentem diem locupletavit, et ut thesaurus quidam perpetuus, qui quotidie exhauritur, nec deficit, cuncti licet ex eo ditescant: sic etiam beatus hic Ignatius cunctos ad se accedentes benedictionibus, fiducia, et strenua alacritate, magnaque fortitudine plenos remittit domum. Itaque non hodie tantum, sed quotidie ad ipsum confluamus, spirituales ex eo fructus decerpentes. Quisquis enim cum fide ad illum accedit, magnis afficitur beneficiis. Sanctorum enim non modo corpora, sed ipsi loculi, et monumenta, spirituali gratia conferta sunt. Nam si in Elisæo id contigit, ut defunctus sepulcrum ejus attingens mortis vincula dissolverit, et ad vitam rursum redierit; multo magis hoc tempore, quo gratia uberior, spiritus major est vis; ut si cum fide aliquis arcam attingat, magnam inde virtutem hauriat. Ideo reliquias Sanctorum nobis concessit Deus, ut nos ad se eorum opera ad eumdem zelum perducat; et sint nobis velut portus quidam, et idoneum solatium malorum, quæ assidue nos affligunt. Quamobrem vos

omnes cohortor, fratres, si quis vestrum ægritudine animi, vel corporis morbo, vel quavis alia calamitate aut peccatorum mole premitur, ut cum fide huc accedat, et ab aliis omnibus liberatus, magna cum lætitia revertetur, et aspectu solo conscientiam tranquilliorem reportabit. Quin etiam expedit, ut non solum ii, qui ærumnis affecti sunt, huc sese conferant, sed illi etiam, qui et animi quiete, et gloria, et potentia, et magna apud Deum fiducia perfruuntur, hanc utilitatem non negligant. Qui enim huc accedit, et Sanctum videt, bona hæc efficiet stabiliora: et memoria recte factorum ejus animum suum reddet moderatiorem, nec conscientiam suam bonis operibus efferri atque intumescere patietur. Non parvi autem momenti est, eos, quibus prosperæ atque secundæ res fluunt, eas ferre moderate, et superbiæ tumore non extolli. Utilis igitur cunctis hic thesaurus est, et refugium opportunum, tam iis, qui lapsi sunt, ut a tentationibus liberentur; quam iis, qui prospere ac feliciter degunt, ut diu fruantur bonis; illis qui morbis laborant, ut bonam valetudinem consequantur; illis qui commoda gaudent valetudine, ne in morbum aliquem incurrant. Quæ quidem omnia considerantes, omni gaudio atque voluptati sacrum hunc locum anteponamus; ut lætitiæ et lucri consortes, illic Sanctorum contubernales et socii esse valeamus, precibus ipsorum Sanctorum, et gratia, ac benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri gloria, sanctoque Spiritui, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

LAUDATIO

Sancti patris nostri Eustathii *Antiochiæ magnæ Archiepiscopi.*

I. Sapiens vir quidam, et philosophandi peritus, qui rerum humanarum naturam accurate didicerat, et earum fragilitatem noverat, nihilque certum aut stabile in iis esse, omnes generatim homines admonet, ut ante mortem neminem laudent[1]. Quando igitur mortuus est beatus Eustathius, omni cum fiducia deinceps eum laudibus efferre possumus : si enim ante mortem nemo laudandus est, haud dubium, quin post mortem eorum, qui digni sunt, laudatio culpa vacet. Etenim hujus vitæ negotiorum euripum prætervectus est : tumultu fluctuum liberatus est : ad tranquillum et quietum portum appulit, incertitudini futurorum non subjacet, nec obnoxius est ruinæ : sed tanquam in rupe quapiam sublimique nunc stans scopulo, fluctus omnes contemnit. Caret igitur omni periculo prædicatio, neque reprehendi potest laudatio : non enim jam mutationem reformidat, neque lapsum pertimescit. Nam nos quidem, qui adhuc vivimus, ut qui medio in mari fluctuant, multis sumus obnoxii mutationibus ; et ut illi nunc quidem fluctibus intumescentibus in altum tolluntur, nunc in profundum ipsum deprimuntur : sed neque tuta celsitudo, neque stabilis est dejectio ; siquidem horum utrumque ab aquis fluentibus, minimeque consistentibus pendet : sic nimirum et in rebus humanis nihil fir-

[1] Eccli. xi, 30.

mum et constans est, sed frequentes sunt mutationes, ac levi momento fiunt. Hic quidem ob res secundas in altum subvehitur, ille vero propter res adversas profunde admodum deprimitur: verum nec infletur ille, nec animum iste despondeat: quippe celerrimam singuli mutationem sortientur. At non ille, qui in cœlum commigravit, et ad eum, quem desiderabat, Jesum profectus est, qui ad locum pervenit turbarum expertem, unde dolor et ægritudo ac gemitus abest: non illic mutationis est imago, non vicissitudinis obumbratio, sed omnia fixa, et immobilia, omnia firma et stabilita, omnia incorrupta et immortalia, omnia interitus expertia et æterna: idcirco, inquit, « Ante » mortem ne quemquam laudes[1]. » Quamobrem? futurum quippe incertum est, et imbecillis natura; voluntas segnis, et pronum ad nos obsidendos peccatum: multi sunt laquei. « Scito enim, inquit, quoniam in medio laqueorum » pertransis[2]: » continuæ sunt tentationes, multa turba negotiorum, tum dæmonum perenne bellum, et assidui perturbationum insultus. Propterea « Ante mortem, in» quit, ne quemquam laudes: » ergo post mortem tutum est laudare dignum; vel potius non simpliciter post mortem, sed post mortem ejusmodi: quando cum corona e vita quispiam excesserit; quando cum confessione, et fide non ficta. Si enim quovis modo mortuos laudare quis potest, quanto magis eos, qui sic fuerint mortui? Quis autem eos laudavit, dicet aliquis, qui quovis modo sunt mortui? Salomon ille, Salomon sapientissimus: non enim leviter hominem prætereas, sed quis esset perpende, et quo pacto vixerit, quanta cum securitate ac voluptate mollem et ærumnarum expertem vitam traduxerit. Siquidem genus omne deliciarum percurrit, et multiplices recreationis animi modos excogitavit: varias atque diversas

[1] Eccli. XI, 10. — [2] Id. IX, 20.

oblectationum species adinvenit, quas et enarrans dicebat; « Ædificavi mihi domos, plantavi vineas, feci mihi hortos » et pomaria, feci mihi piscinas aquarum. Mercatus sum » mihi servos et ancillas, et vernaculi nati sunt mihi. Pos» sessio armentorum boum et gregum fuit mihi. Congre» gavi argentum et aurum sicut arenam. Feci mihi canto» res, et cantatrices, pincernas et vini ministras[1]. » Quid igitur idem iste post tantam affluentiam pecuniarum, possessionum, deliciarum, voluptatum refert? « Laudavi, » inquit, eos, qui mortui sunt, super viventes, et bonus » super hos, quicumque nondum natus est. » Vere fide dignus hic est deliciarum accusator, qui talem de illis fert sententiam. Nam si quispiam ex iis qui vitam in paupertate ac mendicitate traduxissent, hanc sententiam adversus delicias tulisset, visus esset non ex rei veritate, sed quod expertus non esset, ita criminari; cum vero is, qui omnes percurrit, et singulas earum vias pervestigavit, eas contemnit; tum omni suspicione libera est criminatio. Existimatis fortasse a proposito deflexisse sermonem : imo vero si attendamus, cum eo maxime cohærere deprehendemus, quæ dicta sunt. Nam in Martyrum commemorationibus conveniens est et connexum de philosophia sermonem instituere : non ut vitam præsentem damnemus, hæc dicimus, absit : sed quod delicias insectemur. Non enim vivere malum est, sed temere et inconsiderate vivere.

II. Itaque si quis in recte factis ac bonorum spe futurorum vitam traduxerit, poterit cum Paulo dicere, « Vi» vere in carne multo melius : hoc enim mihi fructus ope» ris est[2] : » quod utique beato Eustathio contigit, qui et in vita et in morte, ut par erat, se gessit. Non enim in sua regione, sed in aliena propter Christum mortem obiit, quod facinus ejus hostium fuit. Siquidem cum illi a patria

[1] Eccle. II, 4. — [2] Philip. I, 22.

relegarunt, ut ipsum probro afficerent, at ille celebrior et illustrior hac in exilium commigratione reddebatur; quod et rerum exitus demonstravit. Adeo namque celebris evasit, ut cum in Thracia sepultum sit ejus corpus, in dies singulos memoria ejus apud nos efflorescat; et cum in illo barbarico oppidulo sit ejus tumulus, noster in eum amor, qui tanto ab eo disjungimur intervallo, post tam diuturnum tempus singulis diebus augeatur. Imo si verum dicendum sit, apud nos etiam est sepulcrum ejus, et non in Thracia tantum. Monumenta enim Sanctorum non loculi solum sunt, capsulæ, columnæ, ac litteræ, sed res præclare gestæ ac fidei zelus, et sana apud Deum conscientia. Siquidem omni columna splendidior hæc Ecclesia martyri est erecta, quæ litteras habet non mutas, sed quæ rebus ipsis buccina clarius memoriam ejus prædicant, ac celebritatem, et unusquisque vestrum, qui adestis, sancti illius est sepulcrum, sepulcrum animatum, atque spiritale. Nam si cujusque vestrum, qui adestis, conscientiam explicuero, sanctum istum intus in mente vestra reperiam diversantem. Videtis, ut nihil profecerint adversarii, ut gloriam non extinxerint, sed extulerint potius, sed illustriorem reddiderint, tot pro uno sepulcris erectis, sepulcris animatis, sepulcris vocem mittentibus, sepulcris ad eumdem zelum comparatis? Idcirco Sanctorum corpora, et fontes, et radices, et unguenta nuncupo spiritalia: quid ita? quoniam unumquodque istorum, quæ dixi, virtutem suam apud se non retinet tantum, sed etiam longe lateque diffundit. Exempli causa, fontes multis quidem scaturiunt laticibus: at eos intra sinus suos non retinent, sed longa flumina parientes cum mari junguntur, et tanquam manus cujusdam extensione longitudine illorum marinas aquas prehendunt. Rursus arborum radix deorsum in terræ visceribus est abscondita, sed non omnem virtutem suam

deorsum continet, ac vitium præsertim arbustivarum est hæc natura. Ubi enim per excelsos calamos ramos suos extenderint, per arundines illas serpentia sarmenta longum quoddam tectum frondium densitate conficiunt. Ejusmodi est et unguentorum natura : siquidem illa sæpenumero sunt in conclavi recondita ; sed erumpens eorum odor in vicos, angiportus, et fora, eis etiam, qui foris ambulant, intus repositam aromatum virtutem indicat. Quod si fons, et radix, et arborum atque unguentorum natura tantam vim habent, multo magis Sanctorum corpora. Enimvero falsa non esse quæ dicimus, vos mihi testes estis. Nam Martyris quidem situm est corpus in Thracia, vos autem qui in Thracia non versamini, sed ab illa regione multum dissiti estis, suavem odorem tantis spatiis interjectis percipitis, ideoque convenistis, nec eum viæ longinquitas impedivit: nec diuturnitas temporis extinxit. Talis enim spiritualium recte factorum est natura : nullo corporeo interrumpitur obstaculo, sed floret, et crescit in dies, eamque nec longinquitas temporis labefactat, nec intervallum itineris intercludit. Neque vero mirum vobis videatur, quod ipso in limine orationis ac laudationis Sanctum martyrem appellarim : siquidem sua morte sublatus e vivis est : quî potest igitur martyr esse? Sæpenumero dixi vobis martyrem facere non mortem tantum, sed animi quoque propositum : non enim eventu solo, sed etiam voluntate martyrii corona comparatur: Et hanc non ego, sed Paulus affert martyrii definitionem, cum ita dicit, « Quotidie » morior[1], » Quomodo quotidie moreris? quî fieri potest, ut uno corpore sexcentas mortes excipias? proposito nimirum animi, inquit, quodque ad mortem sim paratus. Ita Deus etiam declaravit : etenim Abraham non gladium cruentavit : non altare rubefecit : non Isaac jugulavit : sed tamen

1 1 Cor. xv, 31.

sacrificium perfecit. Quis hoc ait? ille ipse qui sacrificium suscepit. « Non pepercisti enim, inquit, filio tuo dilecto » propter me[1]. » Atqui vivum eum recepit, et incolumem reduxit : quomodo igitur non pepercit? quod non ex factorum exitu, sed ex animi sententia, inquit, de ejusmodi sacrificiis soleam judicare. Non mactavit manus, at voluntas mactavit : non gladium pueri jugulo immersit : non cervicem incidit; sed est sacrificium etiam sine sanguine. Sciunt illi, qui mysteriis initiati sunt, quid dicamus : propterea et illud sacrificium sine sanguine perfectum est, quoniam hujus figura esse debuit. Vides in Veteri Testamento imaginem multo ante adumbratam? noli veritati fidem denegare.

III. Hic itaque martyr; martyrem enim nobis eum oratio demonstravit; ad sexcentas mortes paratus erat, et omnes illas voluntate animique alacritate toleravit. Intenta vero pericula permulta reipsa quoque sustinuit. Nam et e patria eum ejecerunt, atque in exilium relegarunt, aliaque multa tum temporis in beatum illum machinati sunt; tametsi quod illi jure crimini verterent, nihil haberent, sed quod, Paulum dicentem cum audiisset, « Coluerunt et » servierunt creaturæ potius quam creatori[2], » impietatem ac scelus evitaret : atenim hoc quidem corona, non reprehensione dignum erat. Tu vero diaboli malitiam, quæso, perpende. Nam quia non ita pridem Paganorum bellum fuerat extinctum, et a gravibus continuisque persecutionibus paulo ante omnes Ecclesiæ respirarant, neque multum effluxerat temporis, ex quo templa omnia clausa, altaria extincta fuerant, et dæmonum rabies omnis deleta, hæcque improbum dæmonem male habebant, neque pacem Ecclesiæ æquo animo ferre poterat, quid ergo facit? aliud infert bellum infestum. Nam illud quidem externum uit; hoc vero intestinum : talia porro multo difficilius præf

[1] Gen. XXII, 12. — [2] Rom I, 25.

caventur, et facile eos opprimunt, in quos incurrunt. Illo itaque tempore Ecclesiam, quæ apud nos est, regebat beatus iste, ac morbus exortus est quasi pestis quædam infesta ab Ægypti regionibus, qui per urbes interjectas grassatus in nostram urbem impetum facere properabat. At ille vigilans et attentus, omniaque prævidens quæ imminebant, ingruens bellum arcebat: et tanquam sapiens aliquis medicus, prius quam morbus urbem in qua residebat, invasisset, medicamenta comparabat, ac sacram hanc navem multa cum securitate gubernabat, quoquoversus circumcursans, nautas, vectores, navigantes omnes concitans, et curans ut vigilarent, et attenderent, quasi jam invaderent eam piratæ, ac fidei thesaurum contenderent deprædari. Neque vero hic tantum hanc curam adhibuit, sed in omnes partes mittebat, qui docerent, qui cohortarentur, qui disputarent, qui hostibus aditum omnem intercluderent. Probe siquidem a Spiritus gratia fuerat edoctus, Ecclesiæ præsulem non de illa tantum sollicitum esse debere, quæ a Spiritu sancto illi commissa est, sed etiam de quavis in orbe terrarum constituta: atque hoc ille sacris e precibus colligebat. Si enim pro universa Ecclesia, inquit, fundendæ sunt preces, quæ a finibus ad fines usque pertinet orbis terrarum, multo magis et ejus universæ gerere curam oportet, et de omnibus pariter esse sollicitum, omnibus providere. Quod ergo in Stephano accidit, id in eo etiam evenit. Ut enim Judæi cum Stephani sapientiæ non possent resistere, sanctum illum lapidabant: sic et isti cum hujus sapientiæ resistere non possent, ac munita cernerent propugnacula, tum e civitate præconem expellunt. At enim vox minime tacebat; sed licet homo expelleretur, non expellebatur sermo doctrinæ. Nam et Paulus alligatus erat[1]; sed verbum Dei non erat alligatum:

[1] 2 Tim. II, 9.

et hic peregre erat, et doctrina ejus apud nos erat. Erumpentes ergo constipati tanquam violentus quidam torrens impetum fecerunt: sed neque plantas vulserunt, neque fruges obruerunt, neque segetes vastarunt: tam egregie, tam perite ab ejus sapientia excultæ radicibus fixis hærebant. Verumenimvero dicendum nobis est, qua de causa permiserit illum Deus hinc expelli. Respirare cœperat non ita pridem Ecclesia, neque mediocrem ipsi consolationem illius regimen afferebat: undique illam muniebat, et hostium impetus propulsabat. Cur igitur est ejectus, et hoc illis permisit, qui hinc eum ablegarunt, Deus? quam tandem ob causam? Nolite autem arbitrari, quod nunc tractamus, solius quæstionis hujus esse solutionem; sed sive cum Paganis, sive cum hæreticis a vobis de rebus ejusmodi sermo fiat, ad omnem solvendam quæstionem sufficiet, quod dicemus. Deus quidem veram suam et Apostolicam fidem in multis oppugnari permittit; hæreses autem atque Paganismum secura tranquillitate perfrui sinit. Quid ita? ut illorum quidem infirmitatem discas quæ cum minime divexentur, sponte destruuntur; fidei vero virtutem agnoscas, quæ dum oppugnatur, eorum opera qui se illi opponunt augetur. Quod autem non mea sit hæc conjectura, sed divinum ac de cœlo delapsum responsum, audiamus quid Paulus hac de re dicat: nam et humanum quid aliquando passus hic etiam est. Licet enim Paulus esset, attamen naturæ nostræ particeps erat. Quid vero illud est, quod est passus? Exagitabatur, oppugnabatur, virgis cædebatur, sexcentis insidiarum generibus appetebatur, intus, foris, ab iis qui domestici esse videbantur, ab alienis. Sed quid opus est commemorare, quantas afflictiones sit perpessus? Fatigatus igitur, nec amplius ferens tot hostium incursiones, qui semper ejus doctrinam interrumpebant, ejusque verbo adversabantur, supplex Domino provolutus

eum obtestatur, et ait, « Datus est mihi stimulus carni, » angelus Satanæ, ut me colaphizet. Propter hoc ter Do» minum rogavi, et dixit mihi, Sufficit tibi gratia mea; » nam virtus mea in infirmitate perficitur[1]. » Scio equidem quosdam corporis infirmitatem esse arbitrari, sed non est illud, prorsus non est; verum angelum Satanæ homines, qui adversabantur, appellat: illud enim, Satan, vox est Hebraica, porro Satan dicitur adversarius. Instrumenta ergo diaboli, et eos homines, qui ei famulantur, angelos ejus appellat. Cur igitur, dicet aliquis, additum est, carni? quia caro flagellabatur, anima vero elevabatur spe futurorum erecta. Non enim animam attingebat, nec interiores cogitationes supplantabat, sed intra carnem consistebant tormenta bellumque, nec intus poterant penetrare. Quoniam igitur hæc concidebatur, hæc flagellabatur, hæc vinciebatur, animam quippe ligare nemo potest; idcirco dicit, « Datus est mihi stimulus carni, angelus Satanæ, ut » me colaphizet[2], » tentationes, afflictiones, persecutiones innuens. Deinde quid? « Propter hoc ter, inquit, Domi» num rogavi, » hoc est, sæpenumero precatus sum, inquit, ut a tentationibus paululum respirarem. Vos vero causæ meministis, ob quam Deum dixi verberari servos suos permittere, vexari, infinita mala perpeti, ut virtutem suam ostendat. Ecce enim et hic cum precatus esset, ut a se innumera mala recederent et adversarii, non obtinuit quod petebat, et causam addit, ob quam non obtinuerit: quænam igitur est causa? nihil enim prohibet rursus eam memorare. « Sufficit, inquit, tibi gratia mea; virtus enim » mea in infirmitate perficitur. »

IV. Vides idcirco Deum permittere angelos Satanæ servos suos premere, et sexcenta illis negotia exhibere, ut ipsius virtus appareat? Vere namque sive cum Paganis,

[1] Cor. XII, 7. — [2] Ibid.

sive cum miseris Judæis disseramus, ad divinam virtutem ostendendam hoc sufficit, quod infinitis exagitata bellis fides superaverit, quod universo terrarum orbe repugnante, cunctisque duodecim illos homines magna contentione repellentibus, Apostoli, inquam, illi brevi tempore virgis cæsi, vexati, innumera mala perpessi, eos, a quibus hæc inferebantur, potuerint prospero successu devincere. Propterea beatum etiam Eustathium in exilium abduci permisit Deus, ut veritatis nobis virtutem, et hæreticorum imbecillitatem amplius demonstraret. Itaque peregre profecturus urbem quidem dimittebat, at charitatem in vos non dimittebat : neque quod ab Ecclesia expellebatur, a præsulis etiam munere, vel a cura vestri, quam gerebat, alienum se ipsum putabat, sed tum amplius curabat et sollicitus erat. Ideo vocatos omnes admonebat, ut ne succumberent, neve lupis cederent, aut illis gregem proderent; sed intus manerent, ut os illis obstruerent, eos convincerent, ac simpliciores fratres confirmarent. Et vero recte illum imperasse tandem exitus comprobavit : nisi enim tum in Ecclesia remansissetis, corrupta pars major civitatis fuisset, oves in deserto devorantibus lupis; verum illius sermo, ne suam nequitiam impudenter exercerent, impedivit. Neque vero solum exitus id ostendit, sed et Pauli verba : nam et ab illo hic edoctus sic admonebat : quid igitur ait Paulus? Cum olim Romam esset abducendus ultima sua profectione, postquam non amplius discipulos visurus erat, « Non enim amplius videbo vos[1], » inquit : hoc autem dicebat, non ut illis dolorem inureret, sed quod confirmare illos vellet : inde igitur profecturus hoc pacto illos confirmabat dicens, « Scio quoniam intra» bunt post discessionem meam lupi graves, et ex vobis » ipsis exurgent viri loquentes perversa. » Triplex bellum,

[1] Act. xx, 25-29.

ferarum natura, belli sævitia, quodque non alieni sint, sed domestici, qui bellum inferunt, ideoque gravius. Nam si extrinsecus vulneret me quispiam, aut bellum inferat, facile illum potero superare : sin autem intrinsecus ab ipso corpore ulcus oriatur, sanatu difficile fit malum : quod nimirum tunc etiam evenit. Propterea monebat dicens, « Attendite vobis, et universo gregi[1] : » non dixit, derelictis ovibus foras aufugite. His instructus cum fuisset beatus Eustathius, discipulos suos admonebat : quæ nimirum sapiens hic quoque, ac generosus magister cum audisset ; opere sermonem implevit. Invadentibus igitur illis oves non deseruit, tametsi in thronum præfecturæ suæ non ascenderat ; sed hoc illa generosa et philosophia præstans anima non curabat : nam præsulum honores cæteris relinquebat : labores autem præsulum ipse exantlabat, et intus cum lupis versabatur : nihil enim eum ferarum dentes lædebant, ita solidiori fide præditus erat, quam ut eorum morsibus esset obnoxius. Cum igitur intus versaretur, et pugna qua cum eo congrediebantur, omnes illos distineret, multam ovibus tranquillitatem comparabat. Neque vero tantum id agebat, ut eorum ora obturaret, et blasphemias refelleret ; sed ipsas etiam oves circumiens perpendebat, num quis telo percussus fuisset ; num grave vulnus accepisset ; statimque medicamentum adhibebat. Hoc dum faceret, ad veram fidem omnes animavit, nec prius destitit, quam Dei munere atque concessu beatus Meletius advenit, qui totam massam accepit ; hic seminavit, ille messuit. Tale quid etiam Moyses et Aaron præstiterunt. Nam et illi fermenti in morem, dum in medio Ægyptiorum versarentur, multos domesticæ pietatis æmulatores reddebant. Testatur hoc Moyses, dum multum vulgus promiscuum cum Israëlitis ait ascendisse[2]. Hunc

[1] Act. xx, 28. — [2] Exod. xii, 38.

Moysem imitans iste, etiam ante magistratum, quæ magistratus erant, gerebat. Siquidem ille priusquam in populum delatum illi esset imperium, fortiter admodum atque generose inferentes injuriam puniebat, injuriam patientes ulciscebatur, et regia mensa, honoribus, dignitatibusque contemptis ad lutum et lateritium opus currebat, ac deliciis omnibus, voluptatibus et honoribus præferendam propinquorum curam existimabat: ad quem oculos iste convertens magistratus omnes sua in populum sollicitudine commonefaciebat, et labores perferre, undique divexari, quam tranquillitate frui malebat, ac perpetuas in dies inimicitias incurrebat. Verumtamen levia erant illi omnia: siquidem ex iis rebus, quæ accidebant, idoneam consolationis occasionem arripiebat. Quæ cum ita sint, Deo gratias agentes sanctorum istorum virtutes imitemur, ut earumdem cum ipsis coronarum participes esse valeamus, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, per quem et cum quo Patri unaque sancto Spiritui gloria, honor et imperium in sæcula sæculorum. Amen.

ORATIO I

De sancto Martyre Romano.

I. Rursus martyrum memoria, et rursus dies festus et celebritas spiritalis. Laborarunt illi, et nos lætamur: decertarunt illi, et nos exultamus. Illorum est corona et communis gloria, imo potius totius Ecclesiæ gloria. Et quomodo, dicet quispiam, posset hoc fieri? Quia partes et membra nostra sunt Martyres: sive autem « Patitur » unum membrum, compatiuntur omnia membra: sive

»glorificatur unum membrum, congaudent omnia mem-»bra[1].» Caput coronatur, et reliquum corpus exultat. Unus est victor in ludis Olympicis, et totus gaudet populus, magnisque eum laudibus excipit. Si autem in Olympicis certaminibus, qui nihil ad illos sudores contulerunt, tanta fruuntur voluptate: multo magis hoc fiet in athletis pietatis. Nos pedes sumus, Martyres autem caput. Sed non potest caput dicere pedibus, vestri non egeo[2]. Gloriosa sunt membra, sed gloriæ excellentia non aliena illa facit a conjunctione, quæ est cum reliquis partibus. Tunc enim fiunt maxime gloriosa, quando eam, quæ nobiscum est, conjunctionem non abruperint. Nam oculus quoque, licet reliquo toto corpore sit splendidior, suam tunc gloriam conservat, quando a reliquo corpore non abscinditur. Et quid de Martyribus dico? Si enim dominus ipsorum nostrum caput fieri non erubuit, multo magis ipsi esse nostra membra non erubescunt: habent enim radicatam charitatem: solet autem charitas ea, quæ sunt disjuncta, conjungere et colligare, neque de dignitate admodum accurate inquirit. Sicut ergo ipsi peccantibus nobis dolore simul afficiuntur, ita nos etiam cum eis in recte factis eorum lætamur. Sic etiam jussit Paulus gaudere cum gaudentibus, et flere cum flentibus[3].» Sed flere quidem cum flentibus facile est: gaudere autem cum gaudentibus non facile admodum. Facilius enim cum iis, qui in calamitatibus sunt, dolemus, quam cum iis, quibus sunt res secundæ, gaudemus. Nam illic quidem ipsa calamitatis natura potest vel lapidem flectere ad commiserationem: hic autem in rebus prosperis invidia et livor eum, qui non valde philosophatur, non sinit effici socium voluptatis. Nam quemadmodum charitas ea, quæ divisa sunt, conjungit et colligat: sic etiam invidia ea, quæ unita sunt,

[1] 1 Cor. XII, 26. — [2] Ibid. 21. — [3] Rom. XII, 15.

dividit. Quamobrem, oro vos, studeamus gaudere cum iis, qui recte rem gerunt: ut animam a livore atque invidia expurgemus. Nihil enim æque morbum hunc gravem curatuque difficilem expellit, atque cum iis, qui vivunt in virtute, gaudere. Audi itaque quam summus in his utrisque sit Paulus: « Quis, inquit, infirmatur, et ego non » infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror[1]? » Non dixit, et ego molestia non afficior: sed, « Ego non uror, » dixit, urendi verbo summum nobis dolorem volens ostendere. Et rursus ad alios scribens dicit; « Sine nobis reg- » navistis: et utinam regnavissetis, ut nos quoque simul » vobiscum regnaremus[2]. » Et rursus, « Nunc vivimus, si » vos statis in Domino[3]. » Vide quantopere studebat, ut res fratrum recte se haberent, qui nec se vivere quidem existimabat, si illi salvi non essent. Homo qui ad tertium cœlum raptus fuerat, atque in paradisum delatus, et qui mysteriorum ineffabilium particeps fuerat, tantamque apud Deum fiduciam fuerat assecutus, illorum bonorum sensum non valde accipiebat, nisi etiam fratres secum salvos esse vidisset. Sciebat enim, plane sciebat, charitate nihil esse majus, nihil ipsi par esse: nec ipsum quidem martyrium, quod caput omnium est bonorum. Quo vero id tandem modo, sic disce. Nam charitas quidem etiam absque martyrio Christi discipulos facit: martyrium autem sine charitate facere id non potest. Undenam hoc sciri potest? Ab ipsis Christi verbis: dicebat enim discipulis: « In hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei estis, si » vos invicem diligatis[4]. » Ecce charitas sine martyrio discipulos facit. Quod autem martyrium sine charitate non solum discipulos non faciat, sed nec prosit quidem patienti, audi Paulum dicentem: « Si tradidero corpus meum,

[1] 2 Cor. XI, 29. — [2] 1 Cor. IV, 8. — [3] 1 Thess. III, 8. — [4] Joan. XIII, 35.

» ut comburar, charitatem autem non habuero, nihil mihi » prodest[1]. »

II. Propterea sanctum hunc maxime diligo, qui nos hodie congregavit, beatum inquam Romanum, quoniam cum martyrio magnam quoque in Christum charitatem ostendit, quamobrem ei quoque sancta lingua fuit amputata. Etenim hoc quoque examinare par est, quanam de causa non ad alia utique tormenta, supplicia et cruciatus diabolus eum deduxerit, sed linguam ei absciderit. Non enim hoc temere fecit, sed maxima cum malitia : nam callida et malefica est hæc bestia, nihilque non facit et movet adversus nostram salutem. Age ergo examinemus, cur ad linguæ ejus amputationem processit : verum paulo altius repetitam orationem instituamus, sic enim sciemus et Dei benignitatem, et Martyris tolerantiam, et diaboli malignitatem : et cum Dei quidem didicerimus benignitatem, Domino gratias agemus : Martyris autem cognita patientia conservum imitabimur; intellecta vero diaboli malitia omnino aversabimur inimicum. Propterea enim Deus ejus machinationum notitiam dedit nobis, ut eum magis odio habentes, facilius superemus. Quod enim cognosci possint cogitationes ejus, audi quid dicat Paulus de eo, qui fornicatus fuerat : ad Corinthios enim scribens sic ait : « Confirmate in ipsum charitatem, ut non cir- » cumveniamur a Satana. Non enim cogitationes ejus igno- » ramus[2]. » Quænam est ergo causa propter quam ei linguam amputavit ? Concedite ut rem paulo altius repetam. Grave bellum fuit aliquando adversus Ecclesias excitatum ; non barbaris adversus civitates incursiones facientibus, nec ullis alienigenis, sed iis, qui nostro huic terrarum orbi præesse videbantur, immanius, quam tyranni quilibet, tractantibus eos, qui ipsorum imperio parebant. Non

[1] 1 Cor. XIII, 3. — [2] 2 Cor. II, 8.

enim solum libertas, et patria, et pecuniæ, et præsens vita tunc in periculum veniebat : sed regnum cœlorum, et bona quæ justis sunt reposita, vitaque immortalis et Christi confessio : ac novus quoque captivitatis modus excogitatus est. Non enim ex ea, quæ hic est, civitate expellebant, sed ex superna Jerusalem, quæ est libera, privare conabantur, et unumquemque in altaribus animam sacrificare cogebant, ac suum dominum abjurare, seque dæmonum tyrannidi subjicere, et perniciosos salutisque nostræ hostes dæmones colere, quod mille mortibus, et quavis gehenna gravius et intolerabilius generosis animis et Christi amantibus erat. Tunc nimirum, cum multi submergerentur, et fluctus in altum tollerentur, ac plurimi naufragium facerent, beatus hic Romanus in medium eorum procedens, non statim consideravit, quo se modo periculis traderet : sed eos prius, qui metu perculsi ceciderant, qui salutem suam prodiderant, collegit, animavit, ut prælium instaurarent effecit : eos quidem, qui lapsi erant, erigens ; eos autem, qui stabant, confirmans precibus, exhortationibus, et consiliis ; de futuris, et de præsentibus rebus multum philosophans : ostendens has ad tempus esse, illas autem perpetuas : præmia laboribus opponens, coronas tormentis, bravia doloribus : docens quænam sit vita præsens, quænam futura, et inter utramque quantum intersit, et quod mori omnino sit necesse : et si non hoc modo vitam finierimus, omnino coacti lege naturæ paulo post ab his corporibus discedemus. His et similibus exhortationibus beatus ille manus remissas erexit, et genua dissoluta roboravit, fugitivos reduxit, metum expulit, angorem exegit, animum eis addidit : pro timidis audaces et confidentes effecit : pro capreis et cervis leones reddidit magnam vim spirantes ; Christi exercitum instruxit : ignominiam nostram in hostium capita convertit,

Cum ergo tantam repente factam fuisse diabolus mutationem vidisset, et qui nudiustertius eum timebant, et contremiscebant, ipsum irridere et audacter in eum se gerere, adeuntes pericula, prosilientes ad supplicia : et cum auctorem cognovisset; dimissis omnibus, in illum deinceps totus incubuit : omnemque vim suam et insaniam adversus beatum hoc caput effudit. Et quid facit? considerate malitiam. Non eum ad tormenta duxit, non ejus caput abscidit : hæc enim omnia temere fuisse facta præteritum eum tempus edocuit. Non solum enim animi alacritatem eorum qui crediderant non cohibuit : sed etiam magis auxit, eamque majorem ac vehementiorem effecit. Carbones, inquit, substernebam : illi autem tanquam ad rosas currebant. Ignem accendebam : illi vero tanquam in fontes frigidarum aquarum se ipsos projiciebant. Latera cædebam, profundos in eis sulcos faciebam, et rivos sanguinis deducebam : illi autem tanquam auro omni ex parte circumfluentes gloriabantur : per præcipitia jaciebam, et in mare demergebam : illi vero non tanquam in profundum descendentes, sed tanquam in ipsum cœlum ascendentes, ita affecti erant, exilientes et exultantes, et velut in sacra pompa choreas ducentes, et in viridi prato ludentes; ita arripiebat unusquisque cruciatus, non tanquam cruciatus, sed tanquam vernos flores carpentes, seseque coronantes, insigni animi sui alacritate cruciatus meos præveniebant. Quid ergo, inquit, agendum nunc fuerit? Abscindam-ne caput ejus? sed id ille in votis habet, et per opera discipuli majorem adhortationem accipiunt : eos quippe admonuit martyrum mortem non esse mortem, sed vitam fine carentem : atque hujus maxime causa omnia esse toleranda, despiciendumque esse decessum. Si ergo caput abscidero, et id ille fortiter tulerit, ipsos apertius per facta docebit sic oportere mortem despicere,

et eorum spiritus magis eriget, eisque mortuus majorem animi alacritatem inspirabit. Propterea linguam amputavit, ut voce, qua fruebantur, privati Martyris discipuli, et consilio destituti, atque admonitione privati, timidiores evaderent; et ad priorem angorem et dubitationem redirent, cum non haberent, qui eis animum adderet, neque qui excitaret et armaret.

III. Considera autem mihi diaboli malitiam. Herodes quidem Joannis caput abscidit: hic autem non caput, sed linguam solum; quare? præ nimia scilicet malitia et perversitate. Si abscidero caput, inquit, et mortuus fuerit; fratrum interitum non videns recedet: at ego illum militum suorum lapsuum et calamitatis testem esse volo, ut dolore enecetur, dum labentes quidem cernit, sed porrigere manum non potest, neque ea quæ prius potest consulere, exsecta ei simul voce cum lingua. Sed qui comprehendit sapientes in astutia eorum[1], inventum hoc in ejus caput convertit: neque solum eos consilio non privavit, sed etiam ut majori adhortatione fruerentur, effecit, magisque spiritalis doctrinæ participes essent. Nam cum hoc obtinuisset, vocatur de cætero medicus ad sectionem, et fit pro medico carnifex; non id corrigens, quod morbo laborabat, membrum, sed quod erat sanum corrumpens, et cum linguam exemisset, simul cum ea vocem eximere minime potuit: sed carnis quidem lingua fuit abscissa, lingua autem divinæ gratiæ ad beati Romani os advolavit: et natura quidem membrum suum ferro id cogente amisit; Dei autem gratia cum ea excidere vocem non sivit: unde etiam de cætero discipuli magis spiritali doctrina fruebantur, non humana voce, cujusmodi prius, verba audientes: sed divina quadam et spiritali, et quæ naturam nostram superabat: et concurrebant omnes, superne

[1] I Cor. III, 19.

Angeli, inferne homines, unusquisque os sine lingua videre cupientes, et audire sic loquentem. Erat enim revera admirabile, et præter opinionem, os absque lingua verba faciens, diabolo quidem magnum dedecus afferens, Martyri autem ingentem gloriam, discipulis vero plurimam consolationem et patientiæ argumentum. Hic enim Deo mos est jamdiu, et a principio, quæcumque contra nos diabolus consarcinarit, ea in caput illius convertere, et ad salutem nostram redigere. Mihi autem hoc considera: ille hominem e paradiso ejecit, et Deus illi cœlum aperuit. Ille ipsum expulit ex imperio terreno: Deus autem regnum ei cœlorum dedit, et in throno regio naturam nostram collocavit. Sic dona semper majora Deus iis dat, quibus diabolus homines privare conatur. Hoc autem facit, illum quidem tardiorem ad parandas nobis insidias reddens: nos vero docens nunquam ejus machinationes timendas esse: quod quidem factum est etiam in Martyre. Qua enim se eum voce privaturum diabolus existimavit, multo majorem et præclariorem ei Deus largitus est. Non enim erat ejusdem momenti, cum lingua loqui, et sine lingua: nam illud quidem consequens et commune omnibus: hoc autem supra naturam erat, et proprium ejus solius. Quanquam etiamsi post linguæ abscissionem mutus Martyr fuisset, sic quoque impletum ab eo certamen fuisset, eique parata esset corona. Nam, quod victus esset, maximum erat et apertum argumentum, quod linguam amputasset. Si enim linguam Martyris non timebas, o scelerate et execrande diabole, cur eam abscidisti? cur decertationum argumentum non dimisisti, sed stadium occlusisti? Quemadmodum enim si quis omni certaminum genere luctaturus deinde plagas accepisset ingentes, et cum deinde amplius resistere non valeret, manus abscindi adversario juberet, eumque sic percuteret, non jam

alia probatione opus esset ad decernendam victoriam ei, cui fuissent manus abscissæ : ita etiam in martyre apertissimum omnium argumentum victoriæ adversus diabolum fuit linguæ ipsius amputatio. Nam etsi mortalis erat lingua, quia tamen ea vulnera immortalia diabolo inflixit, propterea in illam virus suum efflavit : sibi quidem majus dedecus afferens, Martyri autem coronam splendidiorem reddens. Ut enim mirabile est arborem sine radice intueri, ac fluvium sine fonte : sic etiam vocem sine lingua.

IV. Ubi ergo sunt, qui corporum resurrectioni non credunt? ecce vox mortua est, et revixit : et uno momento temporis utraque facta sunt. Quanquam hoc longe majus est, quam corporum resurrectio : nam illic quidem natura corporum est subjecta, compositio autem solum est dissoluta : hic vero sublatum fuit vocis ipsum fundamentum, sed tamen ea splendidior rursus est facta. Enim vero si a tibia lingulas abstuleris, inutile deinceps jacet instrumentum : verum non sic tibia spiritualis : sed tametsi lingua privata, non solum muta non erat, sed etiam modulatius et magis mysticum carmen, et majori cum admiratione emittebat. Rursus etiam in cithara si quis plectrum solum eripuerit, otiosus artifex, ars inutilis, et inane instrumentum ; hic autem nihil ejusmodi, sed contrarium omnino. Os enim erat cithara, lingua plectrum: artifex anima, ars vero confessio : plectro tamen ablato, lingua inquam, neque artifex, neque ars, neque instrumentum inutile evasit, sed omnia virtutem suam ostenderunt. Quis hæc fecit? quis admirabilia hæc ostendit, quæque omnem superant opinionem? Deus qui solus mirabilia facit, de quo dicit David, « Domine dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra! Quoniam elevata est magnificentia tua super cœlos. Ex ore infantium et

»lactentium perfecisti laudem[1]. » Atque tunc quidem ex ore infantium et lactentium, nunc autem ex ore elinguium : tunc natura immatura, nunc os lingua vacuum : tunc erat in pueris mollis radix, sed fructus perfectus : hic autem et ipsa radix ablata erat, et fructus generatio non prohibebatur : est enim vox linguæ fructus. Sunt revera posteriora prioribus mirabiliora. Etenim, ne his fidem non adhibeatis, illa propterea præcesserunt, ut in his non conturbemur, cum in illis fuerit animus assuetus : ideo hæc evenerunt, ut illa quæ latent, et sunt vetera, ex manifestis et iis quæ sunt recens facta credantur. Sic aliquando Aaronis quoque virga floruit, sicut nunc os Martyris germinavit. Sed quanam de causa virga tunc Aaronis germinavit? quoniam sacerdos contumeliis afficiebatur. Quanam autem de causa nunc os Martyris germinavit? quoniam blasphemia et maledictis incessebatur magnus Pontifex Jesus Christus. Vide ergo quanta sit miraculi cognatio et excellentia. Quemadmodum enim virga illa non unita radici, nec ex terra trahens humorem, sed illius succo penitus privata, ac perdita vitali frugiferaque virtute, repente fructum ostendit : ita nimirum hic quoque vox radice privata, et vim ex instrumento non habens, in sicco et sterili ore repente germinavit. In hoc quidem cognatio, in alio autem est excellentia, inter utrumque enim fructum multum interest. Nam ille quidem sensilis erat, hic autem spiritualis, et ipsos cœlos aperiens ei, qui tunc eam vocem ediderat. Pro his omnibus Martyri gratulemur; Deum glorificemus, qui hæc facit miracula : imitemur conservi patientiam, gratias agamus domino pro gratia : ex iis quæ dicta sunt, sufficientem in tentationibus consolationem accipiamus : et Dei, qui nos fecit, potentiam et curam admirantes ac providentiam, omnia quæ

[1] Psal. VIII, 1.

ex nobis sunt afferamus, et quæ ex eo sunt, omnino consequentur. Sive homines, sive dæmones, sive ipse diabolus adversum nos depugnet, nihil proficient ii, qui nos oppugnant : modo promptum nostrum animi studium ostendamus, et quæ a nobis afferri oportet, omnia afferamus. Sic enim et hic Dei auxilium attrahemus, et in vita futura magna gloria et salute perfruemur : quam nobis omnibus consequi detur gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri simul cum Spiritu sancto gloria, honor et imperium, in sæcula sæculorum. Amen.

ORATIO II

De sancto martyre Romano.

I. Palæstræ quidem corporibus robur, ac peritiam athleticæ artis acquirunt, martyrum vero commemorationes animas adversus dæmonum artes armant, et contra illos ad luctam instituunt. Dum enim vires athleticas et continuam cum flagris luctam publice produnt, pietatem audacia corroborant, et in cruciatuum narrationibus tanquam in stadiis quibusdam stratum a quovis martyre curriculum proponunt. Talis est Martyris ejus, qui hodie coronatus est, commemoratio : quis enim in stadia adversus diabolum audacter non prosiliat, cum animam suam Martyris certaminibus instituerit, quem tot periculorum multitudo non concussit? Tum enim ingens quædam mundo impietatis tyrannis insultabat, ab imo commotum mare vita hominum imitabatur, decumani pelagi fluctus in terram volvebantur, vehemensque impietatis

procella navim pietatis obruebat: multi quidem ubique gubernatores moriebantur, non exiguus autem nautarum numerus submergebatur, omnia diris terroribus ac naufragiis redundabant. Reges procella vehementius spirabant: terribiles fluctus immittebant tyranni: Tribunalia magistratuum commovebantur: Christi abnegationem judices promulgabant: acerba supplicia legislatores minabantur: ad dæmonum sacrificia viri rapiebantur: ad altarium abominationem mulieres trahebantur: ad hanc quoque insaniam virgines compellebantur: exiliis sacerdotes, ac cædibus addicebantur: e sacris septis fideles ejiciebantur: tantam ad pugnam Martyr armabatur, tantisque periculis animum opponebat: conflictum illum tanquam certamen quoddam umbratile deridebat, et perinde quasi in scammate pulveris loco principes fide calcaret, sic ejus animum, qui tum judicium exercebat, exagitavit, atque adversus Ecclesiam incursionem facere parantem refrenavit. Quamobrem ad supplicium subito vir generosus abreptus est, variaque pœnarum genera admovebantur: Martyr autem citharæ similis erat, dum ad sonum edendum cruciatuum plectro moveretur: corpus circumstantes carnifices plagis contundebant: ipse vero, tanquam æreum quoddam tympanum pietatis carmen pulsatus succinebat: suspendentes in eculeo lacerabant, ille vero tanquam vitæ arborem eculeum amplexabatur: sicut latera justi genas dilaniabant, ille vero, quasi plura tum ora recepisset, orationem habebat, novoque lapsu pudorem adversario imponebat. Cum enim se a judice ad dæmonum cultum provocari videret, infantem e foro duci postulat; ut eum, de quibus rebus a judice interrogabatur, judicem faciat; et adducto infanti de iis, quæ agitabantur, quæstionem proponit. Fili, inquit, justum-ne est, ut Deus adoretur; an ut ii, qui ab

istis Dii appellantur? Magna plane sapientiæ Martyris excellentia : judicis judicem infantem constituit : at ille continuo secundum Christum litem dedit, ut impie se gerentibus judicibus vel infantes sapientiores ostenderentur : imo vero ut non modo Martyr appareret martyr, sed etiam martyrum monitor ac magister. Verumtamen ne hoc quidem judicis rabiem labefactavit; sed in eculeum statim cum infante Martyr abripiebatur, eculeique supplicio carcer succedebat, et illi sententia, quæ varias athletis pœnas dividebat. Nam infantem quidem morte, Martyrem autem linguæ excisione damnavit. Quis talem judicii modum audivit? reos judices flagris cædunt, ut ea, quorum sibi sunt conscii, fateri cogant; at impietatis judex linguam excidit, ut ea quorum sibi conscius est, tacere compellat. O immane malignæ artis inventum! animam, inquit, ea quæ Christi sunt sapientem de statu non dejeci: at loquentem saltem pro Christo linguam excidam. Excide linguam, o tyranne; ut naturam etiam elinguem pro Christo eloquentem esse cognoscas; evelle linguam ex ore, ut eum, qui dona linguarum est pollicitus, veracem esse cognoscas. Etenim linguæ quidem instrumentum excidit, at sermo vehementius erumpebat lingua tanquam impedimento quodam liberatus : novum sane spectaculum, ac stupendum, homo ex carne constans ex carne constantibus sine carne verba faciens. Convenit itaque martyri Prophetæ carmen, « Repletum est gaudio os nostrum, et lin» gua nostra exultatione[1] : » repletum est gaudio os, quod Christo linguam novam victimam offerebat : magna tum exultatione correpta erat lingua, quæ prævia martyris martyr est visa : o linguam, quæ ad martyrum turmas animam ipsam prævenit! o os quod occultum martyrem genuit! o linguam, qui pro altari os fuit! o os cui pro

[1] Psal. cxxv, 2.

victima lingua fuit! nesciebamus, o generose, templum habere te os tuum, templum, in quo consanguineam linguam mirabilem agnam mactasti.

II. Quis igitur virtutes tuas orator pro dignitate laudibus prosequatur? linguam accepisti a natura : at tu eam martyrem educasti : accepisti os, munimentum linguæ, tu autem os linguæ altare effecisti : accepisti plectrum ad loquendum, at excisum illud spicam effecisti : linguam verborum administram accepisti, at tu illam Christo pecudem immaculatam immolasti. Qua tandem linguam tuam convenienti appellatione decorabo? quo nomine linguam tuam exornabo? admovebant ei ferrum carnifices, at illa vincti Isaac in morem non resiliebat, sed in ore tanquam in altari jacens cum voluptate vulnus expectabat, ac linguas hominum non pro Christo loqui tantum oportere, sed cædi etiam docebat. Patriarchæ sacrificii[1] æmulationem, o generose, rapuisti, dum unigenitum linguæ germen pro unigenito filio obtulisti. Recte itaque tibi alteram linguam vicissim Christus insevit : bonum quippe te agricolam prioris invenit : recte linguam non carneam est largitus; Angelicum enim animi affectum carnea non decebat. Recte linguæ tibi remunerationem rependit : ad sacrificium linguam Domino commodasti, at ille vicissim vocem ad eloquentiam fœneravit. Factum est quoddam linguæ atque Christi inter se commer cium : dum pro Christo quidem lingua exciditur, pro lingua vero Christus loquitur. Ubi nunc est nobis Macedonius, qui Paracleto, a quo linguarum donum collatum est, bellum infert? Neque vero mentiri me, dum charismatum dona Paracleti divinitati attribuo, testis nobis est beatus Paulus, qui vestrum audiendi studium nunc his vocibus occupat; « Hæc omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens

[1] Gen. XXII, 20.

»singulis prout vult[1]:» prout vult, inquit, non prout jubetur. Verum ne si forte quædam additamenta his fecerimus, nimia copia vestram memoriam obruamus, hujus certi firmique pro Paracleto loci memores hinc excedamus, et magnos spiritus in eos sumentes, sed illis errantibus interim ignoscentes, Paracleti divinitatem adoremus. Ac tuba quidem Prophetica totius orbis in Christum consensum prænuntians dicebat, «Quia intelligent me, a parvo »eorum, et usque ad magnum eorum, et omnis lingua »confitebitur Deo vero[2]:» et Propheta quidem, ut dixi, linguam omnem cognitionis Dei reti concludit, nos vero hodierno die etiam elinguem orationem pietati patrocinantem audiamus : velut enim cithara quædam plectro destituta creatorem collaudat. Dicat igitur et beatus Romanus; «Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis[3]:» quænam lingua? non ea quam ferrum eripuit, sed quam Spiritus gratia fabricata est; lingua quippe avulsa, Spiritus gratia in ejus locum est suffecta. Habebant et linguas Apostoli, sed ut operantis virtus indicaretur, lutum otiabatur, et ignis cœlestis loquebatur. Habebat et Mosaica Scriptura rei imaginem quæ orationem excedit : rubus enim apud illum et ignis fuit. Apostolicus ignis prædicationis Evangelicæ voces in rubo præfigurabat, ac vocem rei inanimatæ impertit, ut ei cum tetigerit animata instrumenta, credatur : si enim rem inanimatam contactus ignis vocalem reddidit, nonne debuit, cum ratione præditas animas replevisset, ex contactu carmen concinnum admodum personare? Hac etiam gratia celebris hic Romanus donatus erat, qui exsecta lingua, clariori voce tyrannum arguebat. Neque vero tyrannus ullo pacto linguam excidere properasset, nisi reprehensionum fluenta reformidasset : nisi eum prædicationis Evangelii torrens perter-

[1] I Cor. XII, 11. — [2] Jerem. XXXI, 34. — [3] Psal. XLIV, 2.

refecisset : nisi Evangelicæ fluctus eloquentiæ se fracturum putasset. Sed unde necessitas tyranno fuerit facinus istud audenti, videamus.

III. Cum dæmonibus impius aliquando sacrificasset, et fumo nidoreque repletus esset, et impietatis guttis inquinatus, curriculo ad Ecclesiam pergebat, ac stillantem sanguine præ se ferens securim, incruentum altare ad nefarium sacrificium perquirebat. At non latuit Martyrem tyranni rabies : itaque cum subito exiliens prodiisset in vestibulum, jam irruentem impietatis inundationem coërcet : et quemadmodum solers gubernator dum in proram impetum faciens mare conspicit, otiari nequit : sed navim totam celeri pede percurrit, et gubernaculo puppim erigens obversam fluctibus navigii faciem opponit, illoque quod in periculo versabatur in sublime sublato, medium decumanum fluctum diffindit, et arte quadam tumefactum pelagus sulcat : hoc et beatus Romanus fecit, idololatriæ mari blasphemias mugiente, atque adversus Ecclesiasticam navim furente, spumasque sanguinis in aras eructante, solus adversus insaniens pelagus armatur, penitusque subverti cymbam videns, dormientem in navi Dominum expergefacit : somno longanimitatis sopitum excitat : contrariis ventorum flatibus procellisque turbatum mare conspicit, et in periculo versantium verba discipulorum usurpat, « Præceptor, salva, perimus[1]. » Piratæ cymbam circumsident : lupi ovile circumvallant : latrones thalamum tuum perfodiunt : adulterini susurri tuam sponsam circumsonant : iterum paradisi parietem serpens effringit. Ecclesiæ fundamentum petra concutitur : at tu de cœlo Evangelicam anchoram projice, ac petram agitatam obfirma : « Præceptor salva, perimus, » commune periculum Martyris animum dividit, et ad Dominum cum fiducia

[1] Luc. VIII, 24.

verba facit, atque adversus tyrannum fluentem linguam emittit. Siste, inquit, furiosum hunc cursum, o tyranne : imbecillitatis tuæ mensuram agnosce : crucifixi terminos reverere : termini vero crucifixi non Ecclesiæ parietes, sed orbis terrarum sunt fines : furoris caliginem excute : respice in terram, et naturæ tuæ imbecillitatem considera : suspice in cœlum, ac magnitudinem belli perpende : infirmum dæmonum auxilium contemne : animadverte dæmones cruce percussos te suorum altarium propugnatorem obtendere. Cur ea quæ nequeant comprehendi persequeris? cur in aërem jacularis? num enim parietibus Deus circumscribitur? incircumscriptum est numen : num enim oculis Dominus noster conspicitur? invisibilis enim est essentia et informis : porro secundum humanitatem et pingitur, et videtur. Num enim lapidem et lignum inhabitans bove ac pecude providentiam vendit? num enim altare in ejus pactis velut interventor requiritur? ea tuorum est dæmonum gulosa mendicatio : Dominus meus, vel universi potius Dominus Christus incolit cœlum, ac mundum gubernat et sacrificium est illi anima, quæ ad ipsum oculos sursum reflectit : unus illi cibus est salus credentium. Desine arma adversus Ecclesiam movere : in terris est grex, et pastor in cœlis : in terra sunt palmites, et vitis in cœlo : si palmites excidas, vitem multiplicas : cruore manus tuæ redundant : gladius tuus brutarum hostiarum sanguine tinctus est : parce pecudibus innocentibus, et in nos, qui reprehendimus, ferrum converte : parce tacentibus bestiis, et nos qui accusamus, interfice. Non enim ita ferrum homicidarum, ut securim inservientem altaribus pertimesco : homicidarum ferrum corpus laniat, securis altarium animam occidit : homicidarum ferrum id quod sacrificatur, mactat; at securis altarium et id quod sacrificatur, et eum qui sacrificat, simul perdit : cervicem

trunca, nec aram commacula : habes victimam voluntariam, cur captivum taurum colligas reluctantem? Si mactare desideras, in Ecclesiæ vestibulo ratione præditam hostiam macta. Non tulit immodicam dicendi libertatem martyris tyrannus, sed e vestigio a lingua sacrificium inchoavit. Linguam igitur excidit, non quod eam vellet avulsam : sed ut Evangelii prædicationem oppugnaret : non tam quod præconi invideret, quam quod invidia in eum qui prædicabatur, arderet. Sed « Qui comprehendit sapientes in » astutia eorum[1], » excisum vocis instrumentum e cœlo restituit, invisibili claudicantem sonum lingua suffulcit, vocem elingui largitur, et creationem hominis reipsa tyranno demonstrat. Et quemadmodum puteorum fossores dum fodiendo venas aperiunt, efficiunt, ut laxiori meatu ferantur aquæ : sic et tyrannus, dum linguæ radicem ferro perfodit, vehementioribus reprehensionum scatebris obruebatur. Voluissem equidem in hujus Martyris argumento exultantem orationem ad finem usque deducere : at justi spatii tempus advenit, et ut sileamus hortatur : nam et vobis ad utilitatem hæc dicta sufficiunt, et necessaria sunt patris documenta, ut dicta illa perficiantur. Nos vero et ea, quæ dicta sunt, memoriæ sinu complectamur, et iis quæ dicenda sunt animæ sulcos explicemus, ac super omnia miraculorum effectorem Christum adoremus; quoniam ipsi gloria cum Patre ac sanctissimo Spiritu nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] 1 Cor. III, 19.

HOMILIA PANEGYRICA

De sanctis Martyribus Bernice *et* Prosdoce *Virginibus, et* Domnina *matre earum.*

I. Nondum elapsi sunt dies viginti, ex quo memoriam crucis celebravimus, et ecce Martyrum memoriam celebramus. Vides, ut celer mortis Christi sit fructus? propter illam ovem jugulatæ sunt hæ juvencæ, propter illum agnum hæ victimæ, propter illud sacrificium hæ oblationes : nondum viginti elapsi sunt dies, et subito lignum crucis præclara germina martyrum germinavit : hæc enim sunt illius mortis opera. Vide igitur eorum, quæ tum dicta sunt, operibus ipsis exhibitam hodie demonstrationem. Tum dicebam : « Contrivit portas æreas, et vectes ferreos confregit[1] ; » hæc operibus hodie demonstrantur. Nisi enim portas æreas contrivisset, illis clausis mulieres tam facile ingredi ausæ non essent : nisi ferreum vectem confregisset, non potuissent virgines ipsum auferre : nisi inutilem carcerem reddidisset, non tanta cum confidentia Martyres essent ingressæ. Benedictus Deus, mulier ad mortem est intrepida; mulier, quæ mortem in naturam nostram invexit, antiquum diaboli telum hoc, diaboli vim prostravit : infirmum vasculum et injuriis obnoxium, telum factum est insuperabile : mulieres adversus mortem audaces sunt, quis non obstupescat? Erubescant Gentiles, pudefiant Judæi, qui resurrectioni Christi non credunt. Quod enim, quæso, majus argumentum resurrectionis quæris, cum tantam videas rerum factam mutationem? Mulieres ad

1 Psal. CVI, 16.

mortem sunt intrepidæ, rem quæ vel sanctis viris antea formidabilis erat et horrenda. Disce igitur, quanto esset olim timori; ut, cum jam quantum sit despicabilis videris, Deum laudes mutationis auctorem: disce quanta vis ejus prius esset, ut, cum quanta sit nunc infirmitas ejus didiceris, Christo gratias agas, qui eam prorsus enervarit. Nihil illa robustius olim erat, charissime, nihilque nobis imbecillius: jam vero nihil est illa imbecillius, nihilque nobis robustius. Vides, ut optima sit facta mutatio? ut robusta infirma reddiderit, et infirma robusta Deus effecerit, quo suam nobis utrinque potentiam declararet? verumtamen ne hæc affirmare tantum videar, demonstrationem etiam adjungam. Ac si videtur, primum illud ostendamus, quo pacto illam antea reformidarent non peccatores modo, sed et homines sancti, qui multam apud Deum fiduciam habebant, qui recte factis abundabant, omnemque virtutem attigerant. Hæc autem ostendo, non ut Sanctos condemnemus, sed ut Dei potentiam efferamus. Unde igitur constat formidabilem antea mortis larvam fuisse, cunctosque illam horruisse atque tremuisse? ex Patriarcha primo. Patriarcha enim Abraham, justus, Dei amicus, qui patriam reliquerat, qui domum, cognatos, amicos, et præsentes res omnes ob Dei mandatum contempserat, ita metuebat, ac reformidabat mortem, ut in Ægyptum ingressurus hæc uxori suæ diceret. « Novi quod pulchra sis » mulier. Erit igitur cum viderint te Ægyptii, te quidem » servabunt, me vero interficient [1]. » Quid igitur? « Dic: soror » illius sum; ut bene sit mihi propter te, et vivet anima » mea propter te. » Quid hoc rei est, o sancte, atque patriarcha? pro nihilo habes, ut uxori stuprum afferatur, ut torus lædatur, ut conjugium violetur? ita-ne tandem mortem reformidas? neque vero tantum pro nihilo habes,

[1] Gen. XII, 11.

sed et cum uxore dolum nectis, ac stupri fabulam cum ea simulas, omnemque das operam, ut rex, dum adulterium aggreditur, latere possit, et ablato conjugis nomine personam illi sororis adaptasti? Verum timeo, ne dum mortis imminuere virtutem studemus, justum accusare videamur: quamobrem utrumque conabor perficere, ut et infirmitatem mortis ostendam, et ab hoc criminationem illam depellam. Sed operæ pretium est, prius ut eum timuisse mortem demonstremus, ac deinde a crimine vindicemus. Videamus ergo quam intolerabilem ac molestam rem passus sit: nam uxorem cernere constupratam et adulterio pollutam intueri, sexcentis mortibus est intolerabilius. Quid dico adulterio pollutam? si vel tenuis de ipsa suspicionis cogitatio mentem occupet, acerba illi vita omnis, et minime vitalis redditur. Etenim ignis illi quidam et indomita flamma zelotypiæ morbus; cujus tyrannicam et inevitabilem vim declarans quispiam dicebat: « Plenus » enim zelo animus viri ejus non commutabit ulla redemp- » tione odium, neque parcet in die judicii, neque dissolve- » tur multis donis[1] : » et alibi rursus; « Durus ut infernus » est zelus[2]. » Sicut enim non potest infernus, inquit, pecuniis flecti; sic neque is qui zelotypia laborat, leniri, atque placari. Multi utique sæpe vita sua libenter redemissent, ut adulterum invenirent: sanguinem ipsum viri ejus, qui uxorem constuprarat, perlubenter degustassent; et quævis aut agere aut pati ejus rei causa contenti fuissent: sed hunc nihilominus intolerandum morbum, hunc violentum et implacabilem justus patientissime toleravit, et stuprum uxoris, præ nimio mortis et interitus timore contempsit.

II. Mortem illum ergo liquet ex hoc timuisse: jam vero tempus est, ut eum a crimine et accusatione, quæ

[1] Prov. vi, 34. — [2] Cant. viii, 6.

hinc exoritur, liberemus; si prius ipsam accusationem expresserimus: quænam igitur illa tandem est accusatio? Oportebat, dicet aliquis, ut mortem oppeteret potius, quam ut constuprari uxorem pro nihilo haberet: et hoc est, quod illi crimini vertunt quidam, quod vitam suam servare maluerit, quam conjugis castitatem. Quid ais? oportebat ipsum mori potius, quam ut constuprari uxorem pro nihilo haberet? quid vero illud profecisset? nam si quidem morte sua conjugem a stupro fuisset exempturus, recte ista diceretis: sin autem moriens nihil uxori proderat, ut eam a stupro liberaret, qua de causa temere et inconsulto salutem suam proderet? Nam ut intelligas, ne morte quidem sua potuisse illum eam ab adulterio liberare, audi quid dicat? « Et erit, cum viderint te Ægyptii, » te quidem servabunt, me vero interficient[1]. » Futurum igitur erat, ut duo scelera patrarentur, adulterium, et cædes: erat autem prudentiæ non vulgaris ex duobus istis unum lucrifacere. Nam si quidem exposita vita sua, rursus enim idem dicam, liberaturus eam a stupro fuisset et occiso justo, Saram illi non attigissent, recte accusares: sin autem eo morte sublato pari ratione futurum erat, ut stupraretur uxor, qua de causa justum accusas, quod cum duo eventura mala essent, adulterium ac cædes, alterum sapientia sua impediverit, cædem nimirum? hujus quippe rei causa laudari etiam eum oportebat, quod adulteri manum puram a sanguine conservarit. Non enim dicere illud potes eam, quod dixerit se sororem illius esse, hoc ipso Ægyptium ad stuprum invitasse: licet enim dixisset uxorem ejus se esse, ne sic quidem erat abscessurus. Et hoc ipse declaravit, cum dixit, « Si viderint te, dicent, uxor » ejus est hæc, et interficient me, te autem servabunt. » Itaque si dixisset uxorem ipsius se esse, et adulterium et

[1] Gen. XII, 11.

cædes patrata fuissent: si vero dixisset sororem, cædes impedita esset : vides ut imminentibus duobus malis alterum sapientia sua sustulerit? Vis-ne discere, quo pacto etiam adulterii crimen, quantum in ejus potestate situm est, rursus imminuat, ut ne perfectum quidem adulterum eum esse permittat : audi verba ipsa rursus attente. « Dic, in- »inquit, soror illius sum. » Quid ait? qui sororem accipit, non jam adulter est; adulter enim ab animi proposito judicatur; Judas quippe cum ad nurum suam Thamar ingrederetur[1], non adulter judicabatur: non enim tanquam ad nurum, sed tanquam ad mulierem meretricem ingrediebatur. Sic etiam hoc loco Ægyptius, qui eam erat accepturus, non ut uxorem Abraham, sed ut sororem, judicandus adulter non erat. Sed quid hoc ad Abraham dicet aliquis, qui probe noverat se conjugem suam et non sororem exponere? Atqui ne hoc quidem istius est crimen. Si enim, cum uxorem ejus esse audisset, sibi temperaturus a stupro fuisset, recte justum criminareris : sin autem Saræ nihil commodi uxoris nomen erat allaturum, ut stuprum a se depelleret, prout ipse quoque dixit, « Dicent, » uxor ejus est hæc, et servabunt te ; » multo æquius est, ut justum laudemus, qui in tanta rerum difficultate potuerit et Ægyptium purum a sanguine conservare, et quantum in se situm erat, adulterii crimen minuere. Restat ut ad ejus nepotem Jacob orationem traducamus, ut illum quoque necem metuentem ac trementem videas hominem, qui a prima jam ætate philosophiam Apostolicam præ se tulerat. Paulus enim discipulis in hæc verba præcipiebat: « Habentes alimenta, et quibus tegamur, his contenti erimus[2] ; » hoc et iste postulabat a Deo dicens : « Si dederit » mihi Dominus panem ad vescendum et vestimentum ad » induendum, sufficit nobis[3]. » Sed et ipse tamen, qui nihil

[1] Gen. xxxviii, 15. — [2] 1 Tim. vi, 8. — [3] Gen. xxviii, 20.

præter necessaria quærebat, qui domum neglexerat, qui benedictiones acceperat, qui matri paruerat, qui Deo amicus erat, qui per sapientiam naturæ vim attulerat; posterior quippe natura cum esset, benedictionibus prior evasit; qui tam multa potuerat, qui tantam philosophiam, tantamque pietatem præ se tulerat, post sexcenta certamina, post sexcentos agones, post sexcentas luctas et plurimas illas coronas, cum in patriam reverteretur, et occursurus fratri esset, quasi belluam conspecturus, ejusque indignationem pertimescens, supplex Deo fit et orat, » Erue me de manu fratris mei Esaü, quoniam eum timeo » ego; ne forte veniens percutiat me, et matrem super filios[1]. » Vides ut hic quoque mortem pertimescat? ut tremat, Deumque illius causa precetur? Vis-ne ostendam et alterum virum magnum hoc eodem modo rursus affectum? Pone tibi ante oculos Heliam, animam ad cœlum pertingentem ac divinam; ille enim, qui cœlum clausit, rursusque reseravit, qui desuper ignem dejecit, qui mirabile sacrificium illud obtulit; qui pro Deo zelo exarsit; ille, qui in corpore humano angelicam vitam exhibuit, qui præter ovinam pellem nihil habuit, qui rebus omnibus humanis superior evasit, adeo mortem metuit ac reformidat, ut post illa cuncta, post cœlum et sacrificium, post melotem, desertum, et philosophiam tantamque fiduciam, vilem mulierculam pertimescat, et idcirco fugiat. Nam quia dixerat Jezabel: « Hæc faciant mihi dii, et hæc » addant, nisi cras animam tuam posuero sicut animam » unius ex illis, qui mortui sunt; timuit Helias, inquit, et » fugit itinere dierum quadraginta[2]. »

III. Vides, ut mors sit terribilis? Dominum ergo laudemus, quod cum terribilis esset Prophetis, contemptu facilem mulieribus reddiderit. Helias mortem fugiebat, mu-

[1] Gen. XXXII, 11. — 3 Reg. XIX, 2.

lieres ad mortem confugiebant : ille a morte resiliit, istæ mortem sunt consectatæ. Vides quanta repente facta sit mutatio ? Abraham et Helias necem reformidant, mulieres autem quasi lutum pedibus suis mortem conculcarunt. Verumtamen ne illos quidem Sanctos accusemus ; non ipsorum est culpa ; naturæ imbecillitas erat, non crimen arbitrii. Formidabilem esse tum temporis Deus mortem volebat, ut gratiæ postea magnitudo innotesceret : formidabilem illam voluit esse ; supplicium enim erat, idcirco dissolvi supplicii minas noluit, ne segniores homines postea redderentur. Maneat, inquit, ad eos terrendos coërcendosque sententia. Erit enim, erit tempus, quo et metu isto liberabuntur ; quod utique accidit : nos quippe liberatos ab eo fuisse hoc metu declarant cum martyres, tum ante martyres Paulus. Audisti in Veteri Testamento dicentem Abraham, « Te quidem servabunt, me vero interficient[1] ? » audisti Jacob dicentem, « Erue me de manu Esaü fratris » mei, quoniam eum timeo ego[2] ? » Vidisti Heliam mulieris minas mortis causa fugientem ? audi quomodo Paulus erga rem istam sit affectus, an formidabilem illam censeat ut illi : num ea imminente tristetur, ac metuat : imovero e contrario, rem esse optabilem arbitratur : propterea dicit, « Dissolvi me, et esse cum Christo multo melius[3]. » Illis formidabile, huic melius ; illis injucundum, huic jucundum : ac merito sane : olim enim ad infernum mors deducebat, nunc autem ad Christum mors transmittit : quapropter Jacob quidem ait, « Deducetis senectutem meam » cum tristitia ad inferos[4] ; » Paulus vero dicebat, « Dis» solvi me, et cum Christo esse multo melius[5]. » Hæc porro dicebat, non ut hanc vitam damnaret : absit, caveamus enim, ne hæreticis ansam præbeamus : neque quod eam

[1] Gen. XII, 12. — [2] Id. XXXII, 11. — [3] Philip. I, 23. — [4] Gen. XLII, 38. — [5] Philip. I, 23.

tanquam malam fugeret, sed quod futuram, ut meliorem, exoptaret. Non enim dixit dissolvi, et esse cum Christo bonum esse simpliciter, sed melius : melius comparatione boni alicujus dicitur. Quemadmodum enim cum ait, « Qui » matrimonio jungit, bene facit : qui vero non jungit, melius » facit[1], » bonum quidem esse matrimonium ostendit, at meliorem virginitatem : ita nimirum et hoc loco, bona quidem vita præsens, inquit, multo vero melior est futura. Rursus alibi pari ratione philosophatur, et ait : « Sed et si » immolor supra sacrificium, et obsequium fidei vestræ, » gaudeo et congratulor omnibus vobis : idipsum autem et » vos gaudete, et congratulamini[2]. » Quid ais ? moreris o Paule, et ad societatem voluptatis homines advocas ? quid tibi, quæso, accidit ? non equidem morior, inquit, sed ad meliorem vitam transeo. Ut igitur homines magistratum ineuntes plurimos lætitiæ sibi socios ac participes futuros accersunt : sic et Paulus ad mortem pergens gaudii sui consortes futuros vocabat. Est enim mors requies quædam, laborum finis, sudorumque retributio, ac certaminum præmium et corona. Ideo principio quidem super mortuos planctus quidam et lamentationes fiebant : nunc autem psalmi et cantus hymnorum. Fleverunt igitur Jacob quadraginta diebus, fleverunt et Moysem totidem alias Judæi et planxerunt, quoniam mors tum temporis mors erat : jam vero non ita, sed hymni sunt, preces et psalmi, quæ omnia voluptatem in ea re esse declarant : psalmi enim hilaris animi signum sunt : « Æquo enim est animo » quis in vobis ? psallat[3] : » quoniam igitur lætitia affluimus, idcirco psalmos super mortuos psallimus, qui nos cohortantur, ut mortem non timeamus. « Convertere enim, in- » quit, anima mea in requiem tuam, quia Dominus bene- » fecit tibi[4]. » Vides beneficium esse mortem ac requiem?

[1] 1 Cor. VII, 38. — [2] Philip. II, 17. — [3] Jacob. V, 13. — [4] Psal. CXIV, 7.

qui enim ingressus est in requiem illam, ab operibus suis requievit, ut a propriis Deus.

IV. Ac de morte quidem hactenus, age nunc deinceps nos ad Martyrum laudes convertamus; nisi forte sitis audiendo defessi: nam et hæc occasione laudis martyrum dicta sunt; paulo vero altius operæ pretium est narrationem ordiamur. Bellum adversus Ecclesiam grave quondam excitatum est, bellorum omnium gravissimum: duplex enim erat hoc bellum, unum quidem intus, alterum vero foris exortum: hoc a domesticis, illud ab hostibus; unum ab alienis, a familiaribus illatum alterum. Et vero licet bellum simplex fuisset, intolerabile malum extitisset; ac licet exterius tantum ingruisset, ingens calamitatum magnitudo fuisset: nunc autem duplex erat hoc; et quod a domesticis, multo gravius est, quam quod ab externis: facile namque nobis ab eo cavere possumus, qui se inimicum profiteatur: at eum, qui sibi amici larvam induit, non aliter autem atque inimicus affectus est, haud facile capere insidiis potes. Duplex ergo tum bellum erat, hoc civile, illud ab externis irruens; vel potius, si verum dicendum sit, civile fuit utrumque bellum. Nam qui forinsecus invadebant, judices, magistratus, et milites, non alienigenæ quidam erant, aut barbari, aut ex alio quodam imperio regnove, sed qui iisdem legibus regebantur, eamdem patriam colebant, ejusdem participes erant reipublicæ. Erat igitur civile, quod a judicibus inferebatur, sed gravius quod a cognatis, novum ac inopinatum multaque redundans crudelitate. Nam et a fratribus tradebantur fratres, et a patribus liberi, et a maritis uxores; omnia cognationis jura conculcabantur, ac totus orbis terrarum subvertebatur; nec ullus tum ullum agnoscebat: diabolus enim majorem in modum dominabatur. In illo itaque tumultu ac bello mulieres istæ, si quidem mu-

lieres appellandæ sunt; quippe quæ in muliebri corpore viriles animos exhibuerint; imovero non viriles tantum animos, sed naturam ipsam supergressæ sint, et cum Virtutibus incorporeis contenderint: istæ ergo mulieres relicta urbe, domo, ac propinquis, peregre commigrarunt. Cùm enim Christus, aiebant, contemnitur, nihil nobis esto pretiosum, neque necessitudine conjunctum: propterea relictis omnibus sunt egressæ. Et sicut cum media nocte domus incenditur, qui intus dormiebant, ubi tumultum audierint, cito e stratis exilientes e vestibulo domus evolant, neque secum eorum, quæ intus sunt, quidquam auferunt; id enim unum student, ut e flamma suum corpus eripiant, et ignis cursum magna celeritate grassantem præveniant: sic et istæ nimirum egerunt. Cum enim totum orbem terrarum inflammatum vidissent, confestim ex urbis vestibulo exilierunt, et evolarunt, id unum quærentes, ut animæ suæ salutem sartam tectam conservarent. Tum enim erat incendium infestum, et profundæ tenebræ dominabantur, tenebræ nocturnis istis multo tetriores: quapropter tanquam in tenebris amicos non noverant amici, et uxores viri prodebant; propterea cum inimicos præteribant, tum amicos et domesticos impetebant; nocturnum quoddam erat infestum prælium, et ingenti tumultu cuncta replebantur. Tum igitur istæ relicta patria excesserunt, et patriarcham Abraham imitatæ sunt, ad quem dictum est: « Egredere de terra tua et de cognatione » tua[1]: » nam et has persecutionis tempus ad hoc incitabat, ut de terra deque cognatione exirent, ut ita cœlum hæreditate possiderent. Egrediebatur igitur ex ædibus mulier duas secum filias habens: at tu ne temere prætereas, cum excessisse mulieres liberaliter educatas audis, nec ferendis ejusmodi malis assuefactas; sed animo versa,

[1] Gen. XII, 1.

quantum illud malum esset, quantis res illa difficultatibus circumsepta. Si enim homines qui mediocrem peregrinationem suscipiunt, cum jumenta suppetant, ministri non desint, periculo vacent itinera, cum penes eos potestas sit redeundi, multas experiuntur molestias, multas miserias perpetiuntur: ubi mulier et virgines, penuria ministrorum, et amicorum proditio, tumultus, et perturbatio, metusque intolerabilis, diversa in illis pericula, de anima discrimen, et undecumque hostes; quæ tandem oratio mulierum certamina, fortitudinem, magnanimitatem, fidem exprimere poterit? Nam si egressa sola mater esset, non ita intolerandum certamen fuisset: jam vero cum et filias deduceret, et duas virgines, ita duplex timendi occasio, multaque sollicitudinis erat accessio: quanto enim major possessio, tanto difficilior est custodia. Egrediebatur ergo virgines habens, nec habens quibus in thalamis eas occultaret: tametsi intelligitis thalamos, gynæcea, januas, vectes, custodes, procubitores, ancillas, nutrices, ac matris assiduitatem, et patris providentiam multamque parentum curam adhiberi, ut virginitatis flos custodiatur, et vix ita incolumem conservari: at illa omni erat custodia destituta, quo igitur pacto poterat illas tueri? divinarum scilicet legum custodia. Non habebat domum, qua obvallaretur, at potentem manum habebat, qua de cœlo protegeretur: non habebat januam, neque vectem, sed veram habebat januam, quæ insidias longe arceret: et quemadmodum in mediis Sodomis obsidebatur quidem Lot domus, at nihil mali patiebatur, quippe quæ Angelos intus haberet[1]: sic nimirum et martyres istæ inter Sodomitas, cunctosque hostes constitutæ, atque undique circumsessæ, nihil mali patiebantur, quippe quæ dominum Angelorum in animis suis habitantem haberent, et in desertum iter

[1] Gen. XIX, 10.

delatæ nihil patiebantur, quia iter habebant, quod ad cælum ipsas deduceret. Quapropter in tanto bello, tumultu, ac fluctibus deprehensæ, cum securitate incedebant: et quod sane mirum, per medios lupos oves ducebantur: per medios leones agnæ progrediebantur, nec illas quisquam lascivis oculis intuebatur: sed sicut Sodomitas juxta januam stantes aditum cernere non sinebat Deus, sic et omnium tunc oculos excæcavit, ne virginea corpora proderentur.

V. Pergunt igitur ad urbem, Edessam nomine, urbem permultis agrestiorem quidem, sed pietate insigniorem: quid enim ex illa urbe æque commodum censuissent, atque ut in tanta procella perfugium nanciscerentur, et in tali tempestate portum haberent? Et excepit civitas peregrinas, peregrinas quidem terræ, cives autem cœlorum, exceptumque depositum custodivit. Nemo autem mulieres imbecillitatis accuset, quod fugerint; præceptum enim dominicum implebant, quod ita se habet, « Cum persequentur vos, ex civitate ista fugite in aliam[1]: » quod et istæ cum audiissent, fugerunt, et una illis interim corona nectebatur: quænam illa tandem? omnium scilicet præsentium rerum contemptus: « Quicumque enim reliquerit » fratres, et sorores, aut patriam, aut domum, aut amicos, » aut cognatos, centuplum accipiet, inquit, et vitam æternam possidebit[2]. » Et erant ibi Christum habentes contubernalem: si enim ubi sunt duo vel tres congregati, in eorum est medio[3]; ubi non congregatæ tantum erant, sed et propter nomen ejus exules, nonne multo potiori jure ipsius auxilium promerebantur? cum igitur illic mulieres versarentur, nefaria confestim edicta quoquoversum tansmittebantur, multa tyrannide ac barbarica crudelitate referta: propinqui enim propinquos, inquit, prodant, ma-

[1] Matth. x, 23. — [2] Id. xix, 29. — [3] Id. xv, 20.

riti uxores, patres liberos, liberi patres, fratres fratres, amici amicos. Tu vero mihi hoc loco verborum Christi recordare, ejusque prædictionem admirare : siquidem cuncta ista quondam prædixerat. « Tradet enim, inquit, frater » fratrem, et pater filium, et insurgent filii in parentes[1] : » tum vero illa propter hæc tria prædicebat : primum quidem, ut ejus virtutem noscamus, eumque verum esse Deum, qui ea quæ nondum contigerint, multo ante prævideat. Ut enim intelligas eum propterea res futuras prædixisse, ipsum dicentem audi, « Propterea hæc dixi » vobis, prius quam fiant, ut cum facta fuerint, credatis, » quia ego sum[2] : » deinde vero ne quis adversariorum hæc eo nesciente, vel ob imbecillitatem sinente fieri dicat : qui enim multo ante prævidit, potuit etiam impedire : non impedivit autem, ut fierent insigniores coronæ. Hac de causa prædixit hæc; sed ob aliam quoque tertiam prænuntiavit : quænam tandem illa? ut facilius certamen iis redderet, qui in stadio versantur. Nam quæ inexpectata sunt mala, quæcumque illa tandem sint, gravia et intoleranda videntur; quæ vero præstolamur, et ad quæ nos excipienda comparamus, levia faciliaque redduntur. Qui tum itaque talia mandabant adversarii, cum suam crudelitatem declarabant, tum prophetiæ Christi nescientes testimonium dicebant, et fratres tradebantur a fratribus, et a patribus filii, sibique ipsi natura bellum inferebat : in se ipsam cognatio scindebatur : omnes leges funditus evertebantur : omnia tumultu quodam et perturbatione replebantur, et a dæmonibus domus tum cognato sanguine complebantur : nam qui filium tradidit pater, omnino etiam jugulavit : licet enim ensem non impulerit, neque dextera cædem patrarit; tamen animi sententia rem omnem peregit : nam qui percussori hominem necandum

[1] Matth. x, 21. — [2] Joan. xiv, 29.

tradidit, homicidium ipse commisit. Efficiamus igitur, ut liberos suos occidant, aiebant dæmones; reddamus filios per proditionem parricidas : tales enim olim illis victimæ immolabantur, et patres filios mactabant. Atque hæc Propheta clamabat dicens, « Immolaverunt filios suos, et » filias suas dæmoniis[1] : » et ejusmodi sanguinem sitiebant. Quando ergo execrabilia ista et abominanda sacrificia Christus inhibuerat, renovare rursus illa contendebant : verum impudenter quidem et aperte dicere, Filios vestros mactate, non audebant, nullus enim illis morem gessisset : sed alia ratione edictum concinnant, ac legem comminiscuntur : per judices imperant, ut parentes filios prodant : nihil enim nostra interest sive mactet quis, sive mactandum filium tradat : nam et hic, et ille liberorum est interfector. Videre igitur erat parricidas, liberorum interfectores, fratricidas : tumultus ac perturbationis omnia plena erant ; at mulieres alta tranquillitate fruebantur : siquidem undique illas spes futurorum muniebat, quoniam et peregre cum degerent, peregre non degebant : veram enim patriam fidem habebant ; civitatem propriam habebant confessionem, et cum optima spe alerentur, nullis rebus præsentibus afficiebantur : futura namque solum spectabant. Hoc igitur in statu cum res essent, in illam urbem advenit pater militibus ad capiendam prædam stipatus : advenit pater, et maritus ; filiarum quidem pater, uxoris autem maritus : si quidem patrem aut maritum eum appellari oportet, qui ejusmodi in rebus ministerium suum impenderet. At enim parcamus illi, quantum fieri potest, quandoquidem pater martyrum, et maritus martyris fuit ; neque dolorem vulneris ejus criminibus nostris augeamus.

VI. Tu vero mihi mulierum prudentiam considera :

[1] Psal. cv, 37.

cum enim fugiendum erat, fugerunt : cum ineunda erant certaminr, constiterunt, et amore Christi vinctæ sequebantur : ut enim tentationes accersendæ non sunt; ita cum advenerint decertandum est; ut inde nostræ lenitatis, hinc nostræ fortitudinis specimen edamus; id quod et illæ tum fecerunt : et reversæ sunt : ac decertarunt. Etenim apertum fuerat stadium, et ad certamina tempus invitabat. Genus autem agonis fuit ejusmodi : venerunt in urbem Hierapolim nomine, indeque vere ad sacram urbem tali machina subvectæ ascenderunt. Viam illam, qua redibant, fluvius præterfluebat : clam militibus, qui prandium sumebant, et inebriabantur : sunt etiam qui dicant conscio et adjutore patre illas usas esse, ut milites fallerent, quod et credo : fortassis enim hoc ideo fecit, ut exigua saltem excusatione preditionis hujus gratia in die judicii saluti suæ provideret, quod operam commodarit, et adjuverit, atque ad martyrium faciliorem cursum reddiderit. Illo igitur in auxilium ascito, et cum ejus opera milites amovere potuissent, in medium flumen ingressæ sunt, seque ipsas in illa fluenta demiserunt. Ingressa est cum geminis filiabus mater : audiant et matres et virgines, hæ quidem sic matribus pareant, illæ vero filias sic instituant, ita liberos diligant. Ingressa est itaque media mater, utrinque filias secum habens; quæ virum habebat in medio innuptarum : eratque in medio virginitatis matrimonium, et ipsarum in medio Christus. Sicut igitur radix arboris binis stolonibus utrinque stantibus vallata, sic utrinque beata illa virginibus stipata intrabat, et in aquas illas mittebat, itaque sunt suffocatæ, vel novo potius et inusitato baptismate baptizatæ. Ac si nosse velis clarum illud fuisse baptisma quod gestum est, audi quomodo mortem suam baptisma Christus appellet : filios enim alloquens Zebedæi, «Calicem quidem meum bibetis, inquit, et bap-

» tismo, quo ego baptizor, baptizabimini[1]. » Quo vero baptismo baptizatus est Christus post Joannis baptismum, nisi morte ac cruce? Ut igitur Jacobus non cruci affixus, sed capite truncatus ense, baptismo baptizatus est Christi: sic et istæ licet crucifixæ non fuerint, sed ab aquis necatæ, Christi sunt baptismate baptizatæ. Porro illas mater baptizavit. Quid ais? mulier baptizat? Sane quidem baptismatibus ejusmodi mulieres etiam baptizant, quemadmodum et illa utique et baptizavit, et sacerdos est facta: siquidem victimas ratione præditas obtulit, et animi propositum illi ordinationis locum supplevit, quodque mirum est, non indiguit altari, cum sacrificaret, nec lignis, nec igne, nec gladio; fluvius enim illi omnium loco fuit, et altaris, et lignorum, et gladii, et ignis, eademque res sacrificium extitit, et baptismus evidentior hoc baptismo. Nam de hoc quidem ait Paulus: « Complantati facti sumus similitudini mortis ejus[2]: » de baptismo vero martyrum non jam similitudini ejus ait, sed configurari nos morti ejus[3]. Inducebat itaque filias mater non quasi in fluvium inductura, sed quasi in thalamos illas deduceret: inducebat utraque ex parte tenens dicensque, Ecce ego et puellæ meæ, quas dedit mihi Deus[4]: tu eas mihi dedisti, tibi ego illas commendo, res meas et me ipsam. Itaque duplex fuit mulieris martyrium, imo vero triplex: nam per se ipsam semel, per filias suas bis martyrium passa est: et quemadmodum cum se ipsam immittere debuit, multa illi fuit opus tolerantia, sic et ubi secum puellas traxit, altera tanta indiguit tolerantia, imo vero multo majori. Non enim adeo mulieres solent dolere, cum ipsæ morituræ fuerint, ut cum illarum filiæ passæ hoc fuerint. Itaque graviori per filias hæc martyrio cruciata est, cum ad reprimendam

[1] Matth. XIX, 39. — [2] Rom. V, 6. — [3] Philip. III, 10. — [4] Isaï. VIII, 18.

naturæ vim se accinxit, cum materni amoris flammæ restitit, et intolerabili viscerum conturbationi atque uteri commotioni. Si enim filiam unam quæpiam cernens morientem, acerbam existimat vitam suam; hæc duas filias confertim non intuens morientes, sed ad mortem propria manu trahens, cogita quæ martyria exhiberet ea, quæ id, quod etiam auditu cæteris est intolerabile, reipsa perferret. Ac milites quidem penitus inscii tanquam rursus eas recepturi expectabant, illæ vero cum Christi militibus cœlestibus Angelis jam tum erant; quod custodes non videbant, quippe qui fidei oculos non haberent. Enimvero de matre inquit Paulus, « Salvabitur per filiorum ge» nerationem[1] : » hic autem filiæ per matrem salvæ sunt factæ. Sic nimirum parere matres oportet; hic enim partus illo priori melior est, in quo dolores quidem acerbiores sunt, at majus lucrum percipitur. De illis partus doloribus, quotquot matres fuerunt, noverunt quos dolores illud inurat, cum filias videris mortem obeuntes; ut autem ipsa manu tua cædem perpetres, quam grave sit, exprimi verbis non potest.

VII. At enim qua de causa in judicium non venit mulier? voluit ante pugnam tropæum erigere, ante certamina coronam abripere, ante luctas præmia reportare: non quod tormenta reformidaret, sed ne illæ oculis lascivorum paterent: non metuebat, ne quis latera ipsi effoderet, sed ne quis filiarum corrumperet virginitatem, timebat. Atque hoc eam non illo fuisse timore correptam, et idcirco in judicium non venisse inde manifestum est. Multo graviores in flumine cruciatus toleravit: multo enim gravius est, et acerbius, ut ante dixi, propria viscera, filias, inquam, manu sua demergere, ac suffocari cernere, quam lacerari carnem videre, multoque illi minori opus erat

[1] 1 Tim. II, 25.

philosophia, quam ad tormenta toleranda, ut puellarum tenere dexteras, et ad fluminis fluenta pertrahere secum posset. Neque enim par ad dolorem inurendum momentum affert ab aliis cernere divexatas, et ipsam morti inservire, ipsam fieri necis administram, ipsam filiabus carnificis vices obire; sed hoc multo illo gravius est et intolerabilius. Huic orationi meæ testimonium dicetis omnes, quotquot matres fuistis, quæ partus dolores expertæ estis, ac filias suscepistis. Quomodo puellarum dexteram arripuit? quî fieri potuit, ut manus non obtorpesceret? quomodo non resoluti sunt nervi? quomodo mens de statu dejecta non est? quî potuit ratio iis quæ gerebantur inservire? sexcentis enim tormentis facinus illud acerbius fuit, cum corporis loco ejus anima discruciaretur. Verum quousque tandem ea persequi contendemus, quæ nemo assequi potest? nulla quippe passionis magnitudinem oratio posset exprimere, sed ea sola, quæ experta est, ac decertavit mulier novit, cujusmodi sint ista certamina. Audiant ista matres, audiant virgines; matres quidem, ut filias suas sic instituant; virgines autem, ut ita matribus obsequantur. Non enim tantum laudare convenit matrem, quæ talia jusserit, sed et filias commendare, quæ in ejusmodi rebus paruerint: nam neque mater vinculis eguit ad hostias victimasque, neque juvencæ resilierunt, sed æquali mentis alacritate, et animo eodem martyrii jugum trahentes, sic fluvium sunt ingressæ, calceamentis extra fluminis ripam derelictis, quod ideo fecerunt, ut custodibus ipsis consulerent: tanta erat Sanctarum illarum providentia. Studebant scilicet illis defensionis in judicio ansam relinquere; ne crudelis ille ac sævus judex eos proditionis accusaret, aut quod pecunia corrupti mulieres dimisissent: idcirco calceamenta reliquerunt, quæ militum conscientiæ testificarentur, quod non illis consciis, sed ignorantibus in flumen

sponte prosiliissent. Fortasse non mediocri erga sanctas illas amore exarsistis: cum hoc igitur ardore coram ipsarum reliquiis procidamus, ipsarum capsulas complectamur; multam enim possunt virtutem capsulæ martyrum obtinere, quemadmodum et ossa martyrum vim magnam habent. Neque die tantum hujus festivitatis, sed aliis etiam diebus iis assideamus, eas obsecremus, obtestemur, ut patronæ sint nostræ: multam enim fiduciam obtinent non viventes modo, sed et mortuæ; multoque magis cum sunt mortuæ. Jam enim stigmata ferunt Christi; cum autem stigmata hæc ostenderint, omnia Regi possunt persuadere. Quando igitur tanta illæ virtute pollent, tantaque apud eum amicitia, cum continua velut obsessione ac perpetua illarum visitatione in familiaritatem nos illarum insinuaverimus, ipsarum opera Dei misericordiam impetremus; quam nobis omnibus assequi contingat gratia Domini nostri Jesu Christi, per quem, et cum quo Patri gloria, una cum sancto Spiritu, nunc et semper et in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO

In quatriduanum Lazarum, et de SS. Martyribus Domnina, Bernice et Prosdoce.

Nuper, dilecti, floridam aëris coronam vobis nectentes, et anni tempestatem ceu in tabula sermonis delineantes, non modo nemora ramis ornata, prata florentia, et auras ad vitam revocantes exhibuimus; sed naturam quoque nostram hoc tempore, resurrectionis symbola nactam ostendimus: atque argumentum tempori congruens perqui-

rentes, redivivum Lazarum attraximus. Verum cum promissa complere non possemus, in primo conatu orationis terminum posuimus. Ac cum primo loco quæsivissemus, cur a cæteris Evangelistis prætermissus Lazarus, a Joanne solo memoratus fuisset[1]; respondebamus, Spiritum sanctum, ut commenti suspicionem præcideret, permisisse ut Evangelistæ quæ ad miracula Servatoris pertinerent concordissime describerent; curasse tamen ut alius aliud quidpiam præteriret; quod signum esset perspicuum ipsos neque callide, deditaque opera, unove consensu, neque ad gratiam Evangelia scripsisse; ita ut omnia, cum quidpiam in aliquo deesset, veritatem sine fuco declararent. At cum hæc tunc a nobis satis pertractata fuerint; inspiciamus quænam ex hoc circa Lazarum miraculo discipulis utilitas promanet. Multa de passione sua discipulis sæpe locutus Servator, torpentes illos animadvertebat, ob talem narrationem horrentes, atque infirmitatis potius, quam œconomiæ, prænuntiatam passionem esse suspicantes, utpote humanis adhuc ratiociniis agitatos ac trementes. Quapropter cum jam instaret passionis tempus, et jam proximum esset ut crux defigeretur, Lazarum mortuum suscitat, ut opere discipulos doceat, non infirmitatis esse passionem et crucem; ut præsentibus fidem faciat, se et morti imperare, et terrenis vinculis solutam animam revocare. Atque secundum aliquem scopum spontaneam mortem suam proponit, forteque in Lazaro suam post triduum resurrectionem prius describit, ac de brevissimo illo tempore quo sub terra versaturus erat imbecilles animo consolatur: atque in crucis limine discipulorum metum opportune solvit, docetque illam, quam alteri impertit gratiam, sibi ipsi facile procuraturum esse: ipsisque operibus dubios animi commonefacit, rebus gestis vocem

[1] Joan. XI.

quodammodo adaptans, ipsoque facto sic prope loquens : Assumptam humanitatem divina operatione vacuam nunquam reliqui; verum nunc ut homo, nunc ut Deus, cum naturam subindicans, tum œconomiæ fidem faciens, docensque humiliora ad humanitatem, sublimiora vero ad divinitatem referenda esse, atque per inæqualem hanc operum temperationem, inæqualem naturarum unionem interpretans, ac per potestatem in passiones, voluntarias esse passiones meas declarans; ut Deus per jejunium et inediam quadraginta dierum naturam refrenavi; sed postea ut homo defatigatus esurivi. Utique ut Deus efferatum mare sedavi; ut homo a diabolo tentatus sum : ut Deus dæmonas expuli; ut homo pro hominibus sum passurus. Verum ne suspicemini id per infirmitatem accidere, priusquam mors adveniat, a morte detentum ad vitam revoco : ac postquam divinitatis vim operationemque declaravi, tunc humanitatis antiquum debitum depono; postquam vincula solvi, tunc vinculis alligor : atque rebus ipsis demonstro, me potestatem habere ponendi animam meam, et potestatem habere iterum sumendi eam. Hæc est Servatoris doctrina ipsis operibus exhibita. Nisi enim hoc esset, ac nisi quadam ratione suum in Lazaro miraculum concinnasset, nequaquam nuntiata sibi, dum iter ageret, Lazari infirmitate, «Miserunt» enim, ait, «sorores ejus ad »Dominum, dicentes, Ecce quem amas infirmatur[1]; » nequaquam sane post nuntium hujusmodi cunctatus esset; sed quemadmodum erga Centurionem et Syrophœnissam se gessit, cum illius absentis filium, et hujus pariter absentis filiam sanavit; sic et erga Martham fratris morbum indicantem se gessisset. Nunc vero de industria donec moriatur expectat, fit mora longior, et ex providentia adventum suum differt, ut victoriam de morte reportatam

[1] Joan. XI, 3.

vel ante mortis certamen ostendat : tribusque diebus moratur, ut mortis veritas palam fiat; Judæis vero præsentibus aperiri sepulchrum jubet, ut testes miraculi redderet eos, qui se pellebant. Per orationem autem et Patris invocationem Lazarum suscitat, ne videretur creatoris legibus repugnare. Ac vide mihi rem plane stupendam : Non dixit, Lazare, revivisce; sed quid? «Lazare veni foras[1]; » ut doceret præsentes, ipsum esse qui vocat ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt; ut ostenderet præsentibus, ipsum esse Deum vivorum et non mortuorum; ut demonstraret divinum præceptum a nullo posse obice tardari, simulque præsentibus in memoriam revocaret eum qui dicebat : «Fiat firmamentum. Congregentur aquæ in collectionem unam. Germinet terra herbam fœni. Educant aquæ reptilia animarum viventium, Lazare[2] veni foras : » et hoc ad majorem et firmiorem concurrentium fidem; ut habitus et fasciæ mortem testificarentur, atque obedientia sine mora, metusque a nullo cohibitus Dominicam auctoritatem prædicarent. «Lazare, veni foras : » et solutus erigebatur, et putridus sentiebat, mortuus obediebat, vinctus currebat, qui deflebatur saltabat. Cur clamore nunc utitur Servator? ait quippe Evangelista; « Hæc cum dixisset, voce magna clamavit, Lazare veni foras. » Forte per clamorem futuram resurrectionem subindicavit. Nam «tuba canet, inquit, et mortui resurgent[3]. » Cum multa mihi de hoc argumento dicenda suppetant, ad aliud pertrahor, et a sepulcro in sepulcrum venire cogor. Opportunum est Lazari sepulcrum cum aliis sepulcris comparatum : neque inopportuna, ut videtur, est mors mulierum ad ipsum sepulcrum celebrata. Illic sepulcrum, et hic quoque sepulcrum : sed Lazari sepulcrum apertum Christi potentiam declarat, mulierum vero sepulcrum clausum et tamen

[1] Joan. XI, 43. — [2] Gen. I, 6-9, et XI, 20. — [3] I Cor. XV, 52.

operans, Christi gratiam prædicat. Illic mortuus supra naturam ex sepulcro currit, hic mulieres præter naturam ad sepulcra accurrunt : illic divinæ potentiæ signum, hic generosi animi argumentum. Illic Lazarus ex portis mortis egreditur; hic fœmineum genus portas mortis audacter adit. Illic post mortem resurrectio, hic vita. Illic mors violenter prædatur, hic mors palam calcatur. Illum mors mutuo acceptum, vitæ festinanter restituit; imo potius «acceperunt, inquit, mulieres de resurrectione mortuos »suos[1],» ita jubente Deo; hæ vero ex temporanea vita ad vitam perpetuam transilierunt : mater et filiæ, quæ nos hodie congregaverunt. Mater pia, quæ partum sustinuit, et filiæ partus expertes : mater quæ virginitatem solvit ad partum virginum, mater quæ castitatem peperit, mater quæ secundum legem naturalem virgines enixa est. Qui piis ubique bellum infert Tyrannus, qui barbarica cæde in contribulium sanguinem gladium convertit : Tyrannus ille qui Christum quem nequit videre persequitur : tyrannus qui per ovile se pastorem ipsum deprædari posse confidit; tyrannus qui contra cœlum jaculari tentat, qui dilatato Christi regno invidet. Tyrannus erat is qui persequebatur et cælebs : inaccessæ vero virgines, quæ concertabant. Pecuniæ diripiebantur, patria relinquebatur : eas pudicitiæ et modestiæ amantes trahebant milites, murorum effossores, qui Nabuchodonosoris imaginem, secundum intelligendi rationem, adorare cogebant. Sed quod Babylonica fornax erga Martyrum illam triadem effecit, hic quoque et corporis et animæ vincula solvens, animas liberas ut ad cœlum volarent dimisit. Rem suscepit serpens ille, qui Evam in Paradiso persecutus est, qui simplices innocentesque mores circumvenit : hic cum fluvium cerneret in lavacri piscinam versum, et alveum divino spiritu

[1] Hebr. xi, 35.

perfusum, usque ad ipsum fluvium Beatas illas persecutus, ab aquis illis cum igne spirituali commixtis repulsus est : atque fastum suum animo revolvens, veterum machinarum suarum casum deplorabat : fallaciis opportunas formidolosasque olim mulieres, jam audacter contra mortem decertantes cernebat ; et calcaneum, quem supplantare volebat, a terra in cœlum insilientem videbat. Verum postquam tropæa gestantium mulierum laudes sat prosecuti sumus, atque argumento utilia subinde admiscuimus, vetusque sepulcrum novo sepulcro exornavimus, atque miram resurrectionem cum permanente morte junximus ; viris vero atque mulieribus exempla ad virtutem et pietatem proposuimus, postquam celebrem obitum, et desideratam resurrectionem ostendimus, gratias agamus Christo, qui potestatem habet vitæ et mortis : cui gloria et imperium, una cum Patre et sancto vivificoque Spiritu, in sæcula sæculorum. Amen.

LAUDATIO

Sancti Martyris Juliani.

I. Si tales in terris honores martyribus deferuntur ; postquam excesserint ex hac vita, quales coronæ sanctis eorum capitibus in cœlis nectuntur ? si tanta est ante resurrectionem gloria, quantus post resurrectionem erit splendor ? si tanto eos conservi cultu dignantur, quanta eos Dominus benevolentia complectetur ? Si nos mali conservos, qui recte se gesserunt, sic honoribus afficere novimus ac suspicere, quia pro Christo decertarunt ; quanto magis pater noster cœlestis innumera bona dabit iis, qui pro ipso labores exantlarunt ? Est enim munificus

et benignus : verum non ob hoc ipsum modo ingentes eos honores manent, sed quoniam debitor est ipsorum. Pro nobis martyres mactati non sunt, tamen in honorem illorum convenimus : quod si nos pro quibus mactati non sunt, convenimus, Christus, pro quo sua capita devoverunt, quid non præstabit? si quibus nihil debebat tanta bona dedit, hos, quibus debitor est, quibus donis non remunerabitur? Nihil antea terrarum orbi debebat : « Omnes enim peccaverunt, ait Paulus, et egent gloria » Dei[1]; » imovero pœnam ac supplicium debebat : verumtamen cum pœnam nobis ac supplicium deberet, vitam æternam largitus est. Si quibus igitur supplicium debebat, his regnum dedit; quibus vitam æternam debet, quid non dabit? quibus non eos honoribus cumulabit? si pro illis, qui ipsum oderant, crucifixus est, et sanguinem fudit : pro illis, qui sanguinem pro ejus confessione fuderunt, quid non perficiet? si aversantes ac resilientes ita dilexit ut pro ipsis moreretur, eos qui mensura ipsum maxima dilexerunt; « Majorem enim hac dilectionem » nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis » suis[2], » quanta suscipiet benevolentia? quibus officiis prosequetur? Athletæ quidem certaminum externorum eodem in scammate decertant, et vincunt; victores renuntiantur et coronantur. At isti pietatis athletæ non ita; sed in præsenti quidem sæculo decertant, in futuro autem coronantur : pugnarunt hic cum diabolo atque vicerunt, illic autem victores renunciantur. Et ut esse verum istud intelligatis, nec illos hic coronis donari, verum illic ipsos omnia manere dona, Paulum dicentem audite, « Bonum » certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. In » reliquo reposita est mihi corona justitiæ : » ubi, et quando? « Quam reddet mihi Dominus in illa die, justus ju-

[1] Rom. III, 23. — [2] Joan. XV, 13.

dex[1]. » Hic cucurrit, illic coronatur; hic vicit, illic victor renunciatur. Audistis ipsum hodie quoque clamantem ac dicentem: « Juxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis » repromissionibus, sed a longe eas aspicientes, et salu» tantes[2]. » Cur igitur externis quidem ac profanis athletis simul obveniunt et victoriæ et coronæ, pietatis autem athletis non simul et victoriæ et coronæ, sed tantum post temporis intervallum? Sudarunt, labores hîc exantlarunt, sexcenta vulnera exceperunt, nec statim eis obveniunt coronæ? Nequaquam, inquit, non enim vitæ præsentis natura magnitudinem honoris illius capit : caducum est sæculum præsens, ac breve; infinitum illud, immortale, et æternum. Propterea labores quidem cum brevi ac temporario sæculo isto connexuit, coronas autem æterno atque immortali reservavit, ut et laborum molestia præcidatur, quæ cum temporis brevitate dissolvatur, et perennis ac perpetuus coronarum usus permaneat, qui una cum infinitorum sæculorum illorum immortalitate perduret. Quod igitur majoribus eos honoribus ornare vellet, munus distulit : nec ideo tantum, sed ut pura deinceps voluptate perfundantur. Nam quemadmodum is, qui prius deliciis ac voluptatibus fruitur, ac deinde vexandus est, præsentes delicias ob futurorum malorum expectationem minime sentit : sic ille qui prius pugnat ac decertat, et sexcenta mala tolerat, deinde vero coronatur, præsentium malorum sensum non capit, dum futurorum bonorum spe recreatur. Neque vero labore tantum eos præsenti per hanc futurorum spem levavit, sed etiam quod effecerit, ut ordine prior voluptate esset afflictio : ne vehementer a præsentibus malis, dum ad illa respiciunt, torqueantur. Sic illi etiam, qui pugilatum certant, alacriter vulnera excipiunt, non dolores, sed coronam spectantes :

[1] 2 Tit. IV, 7. — [2] Hebr. XI, 13.

sic et nautæ sexcenta pericula subeuntes, tempestates, et infestum quoddam bellum, ac sævis se belluis, et grassantibus in mari prædonibus objicientes, nihil horum mente versant, sed ad portus ac divitias ex negotiatione colligendas respiciunt : ita et Martyres sexcenta mala tolerantes, corpore variis tormentis conciso, nihil istorum spectabant, sed cœlo, et bonis, quæ inde sperantur, inhiabant. Atque ut intelligatis ea, quæ natura sua gravia sunt et intoleranda, spe futurorum levia reddi ac facillima, præfectum talium bonorum dicentem audite, « Id » enim quod in præsenti est momentaneum et leve tribu» lationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum » gloriæ pondus operatur nobis [1]. » Quo tandem pacto quæso? « Non contemplantibus nobis, quæ videntur, sed » quæ non videntur. »

II. Hæc autem non abs re dicta sunt a me, sed propter vos : ut cum aliquem in hac vita deliciis ac voluptatibus perfruentem videritis, sed illic postea puniendum, non eum propter præsentes delicias beatum, sed propter futurum supplicium miserum prædicetis. Rursum ubi quempiam eorum, qui multo illic honore decorandi sunt, afflictione ac tribulatione, atque innumeris malis in hac temporali vita videritis obsideri, ne propter præsentia mala deploretis, sed felicem judicetis, ac beatum propter repositas ipsi in infinitis illis sæculis coronas censeatis. Hunc itaque sanctum Cilicum natio tulit, quæ Paulum etiam tulit : civis enim illius fuit, et uterque nobis inde minister Ecclesiæ prodiit. Postquam autem pietatis apertum est stadium, et ad certamina tempus ipsum vocavit, in sævam incidit belluam, quæ tum judicium exercebat. Ac videte commentum : cum enim eum forti animo præditum videret, neque posse supplicii vehementia rigidum

[1] 2 Cor. IV, 17.

illud animi robur infringi, in procrastinationes illum conjicit, ac dilationes, introducens identidem, et educens. Non enim uno die cum audisset, illi caput abscidit, ne supplicii brevitas faciliorem illi cursum redderet : sed diebus singulis introducebat, educebat, interrogationes adhibebat, mille tormenta minitabatur, adulatoriis verbis alliciebat, omnes machinas admovebat, et immotum illud fundamentum concutere nitebatur. Anno integro per universam illum Ciliciam circumducebat, ignominiaque afficiebat : imovero, quod minime arbitrabatur, illustriorem reddebat Martyrem, vociferabatur ipse quoque cum Paulo, « Deo autem gratias qui triumphat nos in » Christo, odorem notitiæ suæ manifestat per nos in omni » loco[1]. » Ut enim unguentum, quandiu quidem uno in loco situm est, solum illum aërem odore inficit : cum autem in multa fuerit loca dispersum, omnia sua virtute complet : ita nimirum et in Martyre accidit. Circumagebatur enim tum temporis ut inurendus ignominia, sed contrarium eveniebat, illustrior illa transvectione fiebat athleta, cunctosque Cilicum regionis incolas suæ virtutis æmulatores reddebat. Circumagebatur quoquoversus, ut ejus certamina non ex fama solum discerent, sed et ipsum coronatum victorem contuerentur spectatores, quantoque longiores illi circuitus stadii curriculaque reddebat, tanto illustriores cursus omnes fiebant : quanto majora illi scammata proponebat, tanto mirabiliora certamina efficiebat : quanto afflictionem temporis diuturnitate protendebat, tanto probatiorem patientiam ejus reddebat. Nam et aurum, quo diutius cum ignis natura versatur, purius evadit : quemadmodum et tum sancti anima tempore examinata magis refulgebat, nec aliud quiddam, quam tropæum adversus se ipsum ac diabolum, Martyrem

[1] 2 Cor. II, 14.

circumferebat, crudelitatis Gentilium argumentum, Christianorum pietatis indicium, virtutis Christi maximum signum, incitamentum et consilium fidelibus, ut alacri animo in iisdem certaminibus perseverarent, divinæ gloriæ præconem, talium certaminum disciplinæ magistrum. Cunctos enim ad imitationem sui non voce tantum suadens, sed factis ipsis tuba clariorem mittens vocem, cohortabatur. Et quemadmodum cæli non emissa voce Dei gloriam enarrant[1], sed dum aspectus sui splendore spectatorem in admirationem conditoris traducunt: ita nimirum et Martyr ille Dei gloriam enarrabat, cum cœlum esset ipse quoque multo isto lucidius, quod videmus. Non enim ita cœlum astrorum chori splendidum reddunt, ut Martyris corpus splendidius vulnerum sanies reddidit. Atque ut Martyris vulnera cœlo infixis astris splendidiora esse discatis, advertite. Ad illud quidem cœlum, ac stellas cum homines respiciunt, tum dæmones: sed ad hujus etiam vulnera homines quidem respiciunt fideles, dæmones autem oculos contra non audent attollere: quin etiam si spectare conentur, continuo luminibus orbantur, nec possunt exilientem inde fulgorem sustinere. Hoc ego non ex iis tantum quæ olim acciderunt, sed ex iis etiam, quæ hodieque fiunt, comprobabo. Sume enim quempiam a dæmone correptum ac furentem, et ad sanctum illud sepulchrum deduc, quo reliquiæ Martyris continentur, tum resilientem plane atque fugientem videbis. Ut enim si per prunas incessurus esset, sic ab ipso vestibulo statim exilit, et ne oculos quidem adversus ipsam thecam audet attollere. Quod si nunc tanto post tempore, cum pulvis et cinis est factus, suspicere in monumentum non audent, nec in nuda sancti ossa; minime dubium est, quin tum quoque, cum illum san-

[1] Psal. XVIII, 1.

guine purpuratum videbant, vulneribus undique amplius, quam solem radiis refulgentem, perculsi fuerint, et oculis læsi recesserint.

III. Vides ut astris cœlestibus Martyrum vulnera splendidiora sint, ac mirabiliora, majorique virtute polleant? Sanctus itaque in medium producebatur, et acerba undique supplicia circumstabant, metus futurorum, labor præsentium, dolor ingruentium, eorum quæ expectabantur formido: tanquam enim belluæ quædam immanes carnifices corpus ejus circumsidentes latera effodiebant; carnem deradebant; ossa denudabant, viscera ipsa interiora pervadebant. Attamen cum cuncta pervestigarent, thesaurum fidei deprædari minime valuerunt. Enimvero in regum ærariis, ubi aurum aliæque copiosæ sunt opes reconditæ, si parietes solum perfoderis, si fores reseraveris, continuo thesaurum objectum vides: at hic in sancto isto Christumque continenti templo contrarium accidebat. Perfodiebant muros carnifices, pectoraque disrumpebant, et reconditas opes nec cernebant, nec rapere poterant; sed quod evenit Sodomitis, ut ad domus Lot januam quidem ipsam starent[1], aditum vero non invenirent: sic nimirum et isti, cum corpus Martyris undequaque scrutarentur, thesaurum tamen deprehendere, fideique divitias exhaurire non valebant. Talia sunt animæ sanctorum recte facta, quæ nec auferri, nec vinci possunt, in animæ fortitudine tanquam in asylo quodam et sacro loco recondita; ut nec oculi tyrannorum ea cernant, nec manus carnificum rapere possint: sed licet ipsum cor dissecent, cui præcipue credita est animæ fortitudo, licet in minuta frusta concidant, ne sic quidem opes exhauriunt, sed eas ampliores etiam reddunt. Hujus rei causa Deus est, qui animas tales inhabitat: qui

[1] Gen. XIX, 13.

vero Deo bellum inferat, fieri nequit unquam, ut victor evadat, sed necesse est, ut ludibrio habitus, turpiterque superatus abscedat. Propterea tum quoque contra, quam usuvenire soleat, accidebat : ubique siquidem a factis verba superantur, tum vero sermones actionibus prævalebant : Quomodo? Admovebant ignem illi, et ferrum et tormenta; admovebant pœnas, supplicia, flagella; perfodiebant undique latera : et qui patiebatur inexpugnabilis manebat. Loquebatur ille tantum, simplicemque vocem emittebat, et opera sermo vincebat. Exiliebat ex Martyris ore vox sancta, simulque cum ipsa lumen radio solari splendidius eliciebatur. Hujus tantum est lumen, quantum inter cœlum et terram interjacet intervallum, imovero ne hoc quidem integrum potest pervadere, siquando tectum, vel murus, vel nubes, vel aliud quoddam corpus intercesserit, sed obstruitur, ac discluditur septis ejusmodi, ne ulterius feratur. Vox autem Martyris ex illa sancta lingua prosiliens in cœlum subsiliit. Prætervecta est cœlum cœli; viderunt eam Angeli, locoque cesserunt; Archangeli, et viam dederunt; Cherubim et aliæ Virtutes sursum ipsam deduxerunt, nec prius recesserunt, quam ad ipsum thronum regium adduxissent. Post hanc autem vocem cum vidisset is, qui tum judicium exercebat, se temere cuncta et incassum esse machinatum, seque contra stimulum calcitrare, atque adamantem percutere, quid facit? Eo tendit deinceps, ut victas manus dare videatur, et Martyrem ex hac vita subducit. Mors enim Martyrum eorum, qui ipsos enecant, est aperta clades : eorum autem, qui necantur, clara victoria. Tu vero mihi considera, quo pacto sævum quoddam et acerbum genus mortis ejus excogitaverit, quod et tyranni crudelitatem, et Martyris fortitudinem demonstrare posset. Quodnam igitur illud supplicii genus? Al-

lato sacco, et arena completo, cum in eum scorpiones, viperas, et dracones injecisset, cum illis et sanctum injecit, et in mare demisit. Erat ergo Martyr cum bestiis, et rursus cum bestiis conclusus erat vir justus. Rursus autem dixi, ut veterem vobis in memoriam revocarem de Daniele narrationem. Illum quidem in lacum incluserunt, hunc autem in saccum injecerunt : illi tum lapidem imposuerunt, hic saccum consuit, et justo carcerem angustiorem effecit. At ubique Sanctorum corpora bestiæ reverentur, in eorum ignominiam et condemnationem, qui cum ratione sint ornati, et humanæ naturæ conditione digni habiti, feritatem illarum summa sua immanitate superant : qualem hunc quoque tyrannum fuisse conjicere possumus. Videre erat stupendum miraculum, nec eo minus, quod in Daniele contigit. Nam sicut cum post multos dies e lacu leonum ascendentem illum vidissent [1], tum mirati sunt Babylonii; sic et animam Juliani, cum e sacco et fluctibus ascendentem in cœlum viderent Angeli, mirati sunt. Daniel binos leones subegit, ac vicit, sed sensibiles : hic leonem unum, sed spiritualem subegit, ac vicit. Hostis quippe noster diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret [2] : at fortitudine Martyris superatus est, venenum siquidem peccati deposuerat ; quapropter hunc minime devoravit ; idcirco nec leonem, nec iram bestiarum reformidavit.

IV. Vultis et aliam quamdam veterem referam narrationem, ubi et justus et bestiæ? Diluvii Noë atque arcæ recordamini : tum enim quoque justus et bestiæ simul fuerunt. At Noë quidem ingressus homo est, et egressus est homo : Julianus autem ingressus quidem est homo, sed Angelus est egressus : ille de terra ingressus est, et in terram est rursus egressus : hic de terra in saccum ingressus

1 Dan. VII. — 2 1 Petr. V, 8.

est, et de sacco in cœlum est profectus. Accepit eum mare, non ut occideret, sed ut coronaret, et post coronam nobis sanctam istam arcam Martyris corpus reddidit: hanc in hunc usque diem retinemus, quæ sexcentorum bonorum est thesaurus. Etenim Martyres nobiscum Deus partitus est: cum animas sibi sumpsisset, corpora nobis quodammodo largitus est; ut perpetuæ virtutis monumenta sancta horum ossa teneamus. Nam si bellatoris arma cruentata quis cernens, clypeum, hastam, et loricam, licet omnium sit ignavissimus, statim exilit, exardescit, et ad bellum promptus exit, atque a conspectu armorum sumit animum, ut easdem actiones aggrediatur: nos qui non arma, sed corpus ipsum cernimus sancti, quod dignum habitum est, ut ob Christi confessionem cruentaretur, licet omnium simus timidissimi, qui possumus non prompto esse animo, cum hic aspectus velut ignis quidam in mentem nostram incidat, et ad idem nos certamen invitet? Propterea sanctorum corpora usque ad tempus resurrectionis apud nos deposuit Deus, ut maximæ philosophiæ materiam haberemus. Verumenimvero ne Martyris laudes linguæ nostræ imbecillitate minuantor, sed agonothetam Deum expectent: qui eos coronat, ille et collaudabit. Laus enim eorum, non ex hominibus est, sed ex Deo; nam et hæc ipsa, quæ diximus, non ut illustriorem redderemus Martyrem, diximus, sed ut vos promptiores efficeremus. Nos vero laudibus omissis omnem ad vos orationem convertamus, quin potius Martyrum laudes non possunt omitti, cum in Ecclesia quis de rebus utilibus verba facit. Sed animum advertite; pravam enim et inveteratam consuetudinem excindere statui hodierno die, ut non solum ad Martyres accedamus, sed etiam Martyres imitemur. Honos quippe Martyrum est, non si ad eos tantum procedamus, sed præ hoc si fortitudinem ipsorum æmulemur. Quamobrem

prius exponenda est prava ista consuetudo: nam ignoto morbo facile non est adhibere medicinam: ideo vulnus prius detego, deinde medicamentum appono. Quænam igitur illa est prava consuetudo? Nonnulli eorum, qui hic hodie congregati sunt; absit enim ut totam Ecclesiam crimine tali condemnem, præ socordia quadam ac simplicitate die crastino derelictis nobis Daphnen properant, ut quæ colligimus hodie cras effundant, et quæ ædificavimus, destruant. Ne igitur absque fructu huic concioni interfuerint, ubi de his pauca disseruerimus, orationi finem imponemus. Quid, quæso, properas ad suburbium civitatis? Ecce suburbium Jerusalem illius, quæ sursum est; ecce Daphne spititualis: illic fontes aquarum, hic fontes sunt Martyrum: illic cupressi arbores infructuosæ, hic reliquiæ sanctorum sunt, ac radices in terra plantatæ, quæ ramos in cœlum protendunt. Vis-ne ramorum etiam istorum fructum intueri? Aperi oculos fidei, tum subito mirabilium tibi fructuum naturam ostendam. Non enim pomorum, aut nucum, nec aliud quiddam eorum quæ corrumpuntur, et pereunt, ramorum est fructus: sed corporum mutilatorum sanatio, et peccatorum remissio, abolitio vitii, morborum animæ curatio, oratio continua, fiducia apud Deum, spiritalia cuncta, bonisque cœlestibus redundantia. Hi fructus semper decerpti, semper pullulant, nec unquam suos cultores deficiunt. Atque arbores quidem, quæ nascuntur in terra, semel in anno fructum ferunt, quod si non decerpseris, adventante hyemis tempore corrupto ac dilabente fructu proprium decorem amittunt: hæ vero hyemis nesciæ sunt, et æstatis, non temporum subjacent necessitati, nec suis fructibus nudatæ possunt videri, sed eumdem perpetuo decorem obtinent: non eas unquam corruptio, vel mutatio tempestatum attingit. Quam multi siquidem, ex quo plantatum est corpus istud

in terra, sexcentas sanationes ex hoc sancto loculo decerpserunt, nec fructus defecit. Messuerunt segetem, nec consumptæ sunt spicæ; e fontibus hauserunt, nec exinaniti sunt latices, sed perennis est quædam scaturigo, nunquam deficiens, sed eo, quod haustum est, copiosius semper miraculum manans effundit. Neque vero tantum miracula operatur, sed philosophari etiam suadet. Sive enim dives sis, ac superbias, et elato sis animo; cum huc veneris ac Martyrem intuitus fueris, quantumque sit inter divitias tuas, et hujus opulentiam discrimen, tecum ipse reputaveris; elatos animos subito deprimes, et deposito fastu, ac tumore, multa cum animæ sanitate discedes: sive pauper ac despectus tibi esse videaris, cum huc veneris et divitias Martyris videris, contemptis et irrisis sæcularium divitiis, multa instructus philosophia recedes; etsi contumeliæ, etsi damna, etsi verbera infligantur: cum te nondum tanta passum esse, quanta sanctus hic Martyr pertulit, videris, magnam hinc capies consolationem. Vides cujusmodi radicum istarum sint fructus? Ut consumi nequeant? ut spirituales sint? ut ad animam ipsam pertingant? Non prohibeo, ne quis in suburbium abeat, sed ne crastino die, prohibeo: quam tandem ob causam? Ne damnationi sit obnoxia delectatio; ut voluptas sit pura, damnatio vero non subrepat. Licet enim alio die, et voluptati indulgere, et eximi peccato. Quod si nunc etiam placeat voluptate perfundi, quid jucundius hoc conventu? Quid theatro spirituali gratius, membris tuis, tuorum fratrum congressu? At etiam corporalis mensæ vis fieri particeps: hic soluto conventu licet juxta Martyrium sub ficu, vel vite diversanti, etiam corpori recreationem indulgere, et condemnatione conscientiam liberare. Martyr enim e propinquo spectatus, et cum sit vicinus, ipsique mensæ astet, voluptatem in peccatum effundi non sinit: sed

tanquam pædagogus aut pater optimus oculis fidei conspectus risum comprimit; indecoras voluptates circumcidit, lascivos omnes insultus carnis tollit, quos illic non licet evadere. Quid ita? Quia nimirum saltantium virorum chori die crastino suburbium occupabunt: at ejusmodi hominum conspectus sæpenumero illum etiam, qui temperanter gerere se voluerit, sensim ad ejusdem turpitudinis imitationem impellit: ac tum maxime cum in medio illorum diabolus adfuerit. Adest enim a meretriciis cantilenis, a verbis obscœnis, a diabolica pompa vocatus. At tu hujusmodi pompæ nuntium remisisti, teque Christi cultui mancipasti die illo, quo sacris mysteriis dignus habitus es. Recordare itaque verborum illorum et pacti conventi, et ne illud violes cave.

V. Libet autem et ad eos, qui adsunt nec illuc abierunt, verba facere, atque his salutem illorum commendare; siquidem medicus ad ægrotum ingressus, pauca cum jacente colloquitur: quæ vero pertinent ad medicamenta, et alimenta, reliquamque curationem, vocatis ejus propinquis, omnia illis injungit. Cur id tandem? quia nimirum æger quidem non protinus admonitionem admittit; sanus autem magna cum diligentia iis quæ dicuntur attendit: idcirco et cum istis vobis etiam colloqui statui. Præoccupemus crastino die portas: obsideamus vias: viri viros, fœminæ fœminas de jumentis detrahamus: reducamus huc: neque erubescamus: ubi salus est fratris, pudor non est. Si illos non pudet ad iniquam illam pompam prodire, multo minus pudere nos debet illos ad sacram istam solemnitatem revocare. Cum de salute fratris agitur, nihil recusemus. Quando enim Christus propter nos mortuus est, nos propter illos oportet cuncta tolerare. Licet alapas impingant, licet maledictis incessant, retineto, nec prius desistito, quam ad sanctum Martyrem eos re-

duxeris : licet ad prætereuntium judicium provocandum sit, audiant, qui volent : dic, Salvum facere volo fratrem : pereuntem animam cerno, neque cognatione junctos possum contemnere : reprehendat, qui volet : accuset, qui volet : imovero nemo reprehendet ; omnes laudabunt : omnes amplectentur. Non enim pecuniarum causa, nec ut propter odium privatum me ulciscar, nec ob aliam rem quampiam sæcularem contendo, pugnoque, sed fraternæ salutis gratia : quis hæc non approbabit? quis non laudabit? Nulla carnis cognatione junctos nos propinquorum amantiores, quam patres, cognatio spiritualis effecit. Si velitis etiam Martyrem nobiscum assumamus : non enim erubescit venire ad fratrum salutem. Objiciamus eum ipsorum oculis : reformident præsentem : revereantur rogantem et obsecrantem : non enim erubescit etiam rogare : nam si Dominus ejus naturam nostram rogat ; « Pro » Christo, inquit Paulus, legatione fungimur tanquam » Deo rogante per nos, reconciliamini Deo[1], » multo magis servus hoc faciet : unum ipsum contristat solum perditio nostra ; unum exhilarat, salus nostra, et idcirco nihil ejus gratia suscipere recusat. Neque nos igitur erubescamus, neque supervacaneum esse ducamus. Si enim venatores loca prærupta, montes, et barathra, et invia quæque loca pervadunt, seu leporem, aut capream, aut aliud quippiam ejusmodi, seu volucres etiam istas plerumque sylvestres venari velint : tu qui non bestiam vilem, sed fratrem spiritualem, propter quem mortuus est Christus, a perditione revocaturus es, non jam montes et saltus, sed portam solum egredi refugis, et erubescis? quam tandem, quæso, veniam obtinebis? Non audis sapientem quemdam monentem, ac dicentem, « Est confusio adducens » peccatum[2]? » Sed ne reprehendat quispiam, times? trans-

[1] 2 Cor. v, 20. — [2] Eccli. iv, 25.

fer in me culpam, qui dixi; dic ita jussisse doctorem: ego paratus sum cum illis, qui reprehendunt, disceptare, ac rationem reddere. Imovero neque vos, neque nos quisquam reprehendet, tametsi valde sit impudens: sed laudabunt omnes, ac nos curæ studiique nomine commendabunt, non in patria tantum nostra, sed et ii qui vicinas habitant urbes, quod apud nos sit tanta vis charitatis, tantus ardor amoris in fratres. Sed quid ego homines dico? ipse Angelorum nos Dominus collaudabit. Cum itaque propositam mercedem noverimus, ne venationem negligamus, neque soli die crastino revertamur, sed unusquisque prædam secum habens adveniat. Si illa tantum hora veneris, qua quisque domo egressus in viam se dat, eumque ad hujus loci visitationem traduxeris, nulla deinceps erit difficultas: sed post lapsum temporis multam ille quoque tibi gratiam habebit, et vos cæteri omnes laudabunt, et efferent; quodque omnium maximum est, multa vobis ob isthæc cœlorum Dominus conferet præmia, et lucrum istud et laudem augebit. Quæstum igitur animo versantes, quem inde colligimus, ante urbem omnes effusi comprehensos fratres nostros huc reducamus: ut crastino etiam die plenum nobis theatrum reddatur, ac conventus sit perfectus: ut propter hoc studium nostrum ac diligentiam hic adhibitam in æterna tabernacula sanctus Martyr multa cum fiducia nos recipiat: quam utinam consequi nobis omnibus contingat per gratiam et benignitatem Domini nostri Jesu Christi, per quem et cum quo Patri gloria, una cum sancto et vivifico Spiritu, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

LAUDATIO

Sancti martyris Barlaam.

I. Ad sacram istam solemnitatem, festumque beatus nos Barlaam convocavit: non ut ipsum laudemus, sed ut ipsum æmulemur: non ut laudum simus auditores, sed ut præclarorum ejus facinorum fiamus imitatores. In sæcularibus quidem rebus, qui ad magistratus summos provehuntur, haud alios unquam ejusdem honoris prærogativæ consortes vellent cernere: livor enim illic et invidia dividunt charitatem: in spiritualibus vero non ita, sed contrarium penitus evenit: tunc enim maxime honoris proprii sensum capiunt martyres, cum suos conservos ad bonorum suorum consortium viderint pervenisse. Itaque si quis martyres laudare velit, martyres imitetur: si quis religionis athletas celebrare præconiis velit, illorum labores æmuletur: hoc nihilo minorem, quam propria recte facta, martyribus afferet voluptatem. Atque ut intelligas tunc eos præcipue sua bona sentire, cum in tuto nos viderint collocatos, remque illam maximo sibi honori ducere, Paulum dicentem audi; « Nunc vivimus, si vos statis » in Domino[1]. » Et vero Moyses ante hunc Deo dicebat, « Si » quidem dimittis eis peccatum, dimitte: sin autem, dele » me de libro, quem scripsisti[2]: » cœlestem honorem non sentio propter istorum calamitatem: corporis quædam connexio est et structura cœtus fidelium: quid ergo caput coronari prodest, dum pedes torquentur? Et quî fieri

[1] 1 Thess. III, 8. — [2] Exod. XXXII, 32.

potest, dicet aliquis, ut Martyres imitemur? non enim persecutionis est tempus. Equidem id etiam scio : persecutionis quidem tempus non est, at martyrii est tempus : luctarum ejusmodi tempus non est, at coronarum est tempus : non persequuntur homines, at persequuntur dæmones : non vexat tyrannus, at vexat diabolus tyrannorum omnium sævissimus : non objectas prunas conspicis, at cupiditatis conspicis flammam accensam : illi prunas calcarunt, tu naturæ pyram calca : illi cum bestiis pugnarunt, tu iram immitem et indomitam belluam frena : illi adversus intolerabiles dolores steterunt, tu absurdas pravasque cogitationes, quæ in corde tuo pullulant, vince : ita martyres imitabere. « Nunc enim nobis non est colluctatio » adversus carnem et sanguinem : sed adversus principes, » adversus potestates, adversus mundi rectores tenebra» rum harum, contra spiritualia nequitiæ[1]. » Ignis est cupiditas naturæ, ignis inextinctus ac perennis, canis est rabidus et insanus : licet millies eum propellas, millies impetum facit, nec absistit : sæva quidem prunarum est flamma, verum hæc vehementior est flamma cupiditatis. Nunquam inducias belli hujus obtinemus : nunquam pugnæ cessationem obtinemus, dum in hac vita versamur, sed perpetuum est certamen, ut et splendida fiat corona. Propterea Paulus nos semper armat, quia belli est tempus, quia vigilat semper hostis. Vis-ne intelligere cupiditatem non minus quam ignem urere? audi Salomonem dicentem, « Ambulabit quis super prunas ignis, et pedes » non comburet? Sic qui intrat ad mulierem proximi sui, » et qui tangit eam, non erit innoxius[2]. » Vides ut natura cupiditatis, naturam ignis æmuletur? sicut enim fieri nequit, ut qui tangit ignem, non uratur : ita formosorum vultuum aspectus igne celerius lascive intuentem animam

[1] Ephes. VI, 12. — [2] Prov. VI, 28.

corripit; et velut accensu facilis quædam materies, ita corpora speciosa lascivorum oculis sunt objecta. Quamobrem aspectum exteriorem cupiditatis igni non oportet in alimentum offerre, sed omni ex parte cohibere illum, cogitationibus piis extinguere, atque ulterius grassantem deflagrationem refrenare, nec animi nostri constantiam sinere supplantari. Sane quidem voluptas omnis, quo tempore perturbationes prævaluerint, solet animum igne vehementius inflammare, nisi quis fortiter cum tolerantia fideque adversus singulas perturbationes decertet : quo pacto beatus atque generosus athleta Christi Barlaam fecit, dum manus ipsius torquetur, integram in dextera pyram gestans, nec dolori cedens, sed ita affectus, ut minus quam statua doloribus obnoxius esset. Imovero dolebat ille quidem, ac patiebatur; corpus enim erat, quod subjacebat, non ferrum : sed dolens ac patiens, incorporearum virtutum in mortali corpore philosophiam præ se ferebat.

II. Verumenimvero martyrium ejus altius exorsus narrabo, ut manifestior fiat historia. Tu vero malitiam diaboli considera : quosdam quidem sanctorum in sartagines impulit, quosdam autem in lebetes immisit igne vehementius bullientes : et horum quidem latera laniavit, illos autem in mare demersit : alios bestiis objecit, alios in fornacem injecit; et horum compages membrorum divulsit, illorum adhuc viventium pelles detraxit : aliorum cruentatis corporibus prunas subjecit, unde scintillæ prosiliebant in ulcera, fera quavis acerbius vulnera mordentes aliis alia graviora supplicia excogitabat. Postquam igitur hæc omnia derisa vidit, et eos qui passi hæc fuerant, cum ea multa facilitate, ac præstantiori virtute superassent, cæteris qui secuturi eos essent et in certamina eadem descensuri, magnam confidentiæ occasionem attulisse; quid

agit? novum insidiarum genus excogitat: ut incogitatum et insolitum supplicium dejiciat martyris animum, atque percellat. Quod enim auditum est et cognitum, licet intolerabile sit, expectatione meditatum facile in contemptum venit: quod autem est inopinatum, licet leve sit, id præ cæteris omnibus est intolerandum. Esto igitur novum certamen: esto inusitatum machinamentum, ut nova et inusitata ejus species perturbatum facile athletam supplantet. Quid ergo facit? sanctum e carcere vinctum educit. Etenim hoc quoque malitiæ illius fuit, quod statim a principio graves machinas non admoverit, nec horrenda supplicia intulerit, sed a minoribus pugnam iniverit: quid ita? ut siquidem ii, qui depugnabant, vincerentur, turpis fieret eorum clades, quod ne exiguis quidem restitissent: sin autem superiores essent ac vincerent, cum in minoribus prius eorum afflictæ vires essent, a majoribus expugnari facile possent. Idcirco minora prius adhibuit, ut sive expugnaverit, sive non expugnaverit, res præter votum non succedat: sive enim expugnavero, inquit, ipsos derisero: sin autem non expugnavero, infirmiores ad futura reddidero. E carcere igitur ipsum educit: ille vero tanquam generosus athleta multo tempore in palæstra exercitatus exibat: palæstra siquidem martyri carcer erat: ibique seorsum cum Deo colloquens ab illo cuncta luctationis artificia discebat: ubi enim talia vincula, ibi et Christus adest. Itaque egrediebatur longiori carceris habitatione robustior factus; egressum autem illum cum in medium diabolus per eos, qui ipsius improbitati famulabantur, adduxisset, non ad equuleum alligavit, non carnificibus cinxit: hæc enim eum percupere, ac præmeditatum esse jampridem videbat: sed insolens quoddam ac novum, nec unquam formidatum machinamentum admovet turri, quo facile possit deturbari. Hoc enim est, quod in omnibus

studet maxime, ut supplantet potius, quam ut dolore torqueat sanctos. Quodnam igitur illud est machinamentum? Cum super aram extendere manum supinam jussissent, prunas et thus manui imposuerunt, ut si doleat ac manum invertat, perinde illi factum imputent, ac si sacrificaverit atque transgressus lapsus fuerit. Vides quam versutus sit diabolus? at vide, quo pacto is, qui comprehendit sapientes in astutia eorum, irrita illius machinamenta reddiderit, et insidiarum diligentiam malitiæque vafritiem in auctarium et cumulum gloriæ martyris amplioris verterit. Nam cum innumeris rebus malitiose perpetratis, adversarius deinde victus abscesserit, tum illustrior evadit athleta pietatis: id quod etiam hic evenit. Beatus enim Barlaam nec inclinatam nec inversam manum tenens permansit, quasi ex ferro conflatam haberet: quamvis si conversa foret manus, ne sic quidem martyris id crimen fuisset.

III. Hic mihi diligenter animum omnes advertite, ut intelligatis, tametsi dextera fuisset inversa, non tamen idcirco victum eum existimandum fuisse: quid ita? quia nimirum, ut de illis, quibus latera deraduntur, aut qui alia quapiam ratione torquentur, judicamus, ita hic quoque judicium ferendum est. Nam si quidem cesserint, ac sacrificarint, tum in imbecillitatem illorum culpa transfertur, quod cum dolores minime ferrent, sacrificarint: si vero, cum in tormentis perseverassent, doluerint illi quidem ob ea, quæ patiebantur, at religionem non prodiderint, nullum eis a quoquam propter hos dolores crimen impingitur: quin potius amplius eos idcirco efferimus, ac laudamus, quod doloribus affecti toleraverint, nec abnegarint. Et hic igitur, siquidem, cum uri se non ferret, beatus Barlaam sacrificaturum se promisisset, victus esset: si vero non cedente illo manus inversa fuisset, non jam hoc martyris animi crimen esset: non enim ex volun-

tatis infirmitate, sed naturæ nervorum suo vigore destitutæ, quod inviti etiam Sancti manus ab igne fuisset inflexa, istud contigisset. Quemadmodum enim iis, quibus deraduntur latera, non crimini vertimus, quod eorum caro dissecetur : imo ut propius exemplum adducam, sicut eos, qui febri, aut spasmo laborant, nemo accusaverit, quod illis manus incurventur : non enim id eorum ignaviæ culpa fit, sed quod humorem ardore morbi depascente præter naturam compago nervorum contrahatur : ita nec sanctum hunc, si conversa manus esset, accusare quis potuisset. Si enim febris invito etiam ægroto membra contrahere natura sua consuevit, ac distorquere; multo magis hoc impositæ dexteræ prunæ etiam martyre non cedente præstare potuerunt : verumtamen non præstiterunt; ut ex abundanti cognoscas gratiam Dei fuisse, quæ simul aderat, et corroborabat athletam, ac naturæ defectum corrigebat : nec in hoc ipsa quidquam sua conditione et infirmitate dignum passa est : sed quasi ex adamante concreta esset, manus illa permanebat immota. Quis tum id cernens non obstupuisset? quis non cohorruisset? spectabant cælitus Angeli, contemplabantur Archangeli, præclarum erat spectaculum, quod et humanam plane naturam excedebat. Quis enim videre non optasset hominem decertantem, nec ea, quæ sunt hominum patientem? qui altare idem, et victima, et sacerdos factus esset? Quapropter et duplex fumus ascendebat, hic quidem thuris incensi, ille vero liquefactæ carnis : atque hic erat illo suavior fumus, et hæc ipsa præstantior illa fragrantia. Et accidebat idem quod et in rubo; sicut enim rubus ille ardebat, et non comburebatur, sic et hic ardebat quidem dextera, sed anima non incendebatur : conficiebatur corpus, at fides non consumebatur : caro fatiscebat, at alacritas animi non fatiscebat. Et prunæ quidem cum volam manus perforassent,

deorsum cadebant, at animæ fortitudo non concidebat : sed manus quidem consumpta est et diffluxit; caro siquidem erat non adamas; anima vero rursus alteram manum requirebat, ut et in illa tolerantiam exhiberet. Et quemadmodum generosus miles in hostes impressionem faciens, cum adversantium sibi phalangem conciderit, gladiumque continuorum vulnerum crebritate confregerit, deinde conversus alterum requirit, quod eum nondum cædis hostium satietas ceperit : sic nimirum et beati Barlaam anima cum dæmonum phalanges concidendo manum consumpsisset, alteram dexteram requirebat, ut in illa quoque animi alacritatem ostenderet. Noli enim mihi dicere unam illum exposuisse manum tantum : sed hoc potius, quam illud cogita, qui manum tradidit, eum caput etiam exposuisse, ac latera dedisse, et igni, bestiis, mari, præcipitiis, cruci, rotæ, atque omnibus, quæ unquam fando sunt audita, suppliciis objecisse, cunctaque perpessum esse, si minus experimento, animi quidem certe proposito. Nam nec ad certas se ac definitas pœnas offerunt martyres, sed ad incerta supplicia se accingunt : non enim est in eorum potestate animus tyrannorum, neque terminum illis modumque præscribunt, sed quibuscumque malis eos afficere inhumanus ac belluinus eorum animus desiderarit, tot tantaque illi prodeunt perpessuri : nisi forte interim fatiscens corpus inexpletam in medio tyrannorum cupiditatem fregerit. Tabefiebat ergo caro, at animi propositum alacrius fiebat, quod splendore carbones ipsos superabat, et multo amplius emicabat : spiritualis siquidem intus ignis accensus erat multo ardentior igne isto ; idcirco flammam externam ille minime sentiebat, quod fervidus illum et ardens Christi charitatis ignis intus inflammaret.

IV. Hæc ne audiamus tantum, dilectissimi, sed et imitemur : quod enim a principio dicebam, nunc etiam dico :

ne hac tantum hora, qua hic versamur, celebretur martyr, sed et domum abiens unusquisque sanctum deducat, et in ædes suas vel in cor suum potius per eorum, quæ dicta sunt, recordationem introducat. Suscipe illum, ut ante dictum est, et in corde illum tuo protensam manum habentem siste : suscipe victorem coronatum, nec unquam ex mente tua exire permitte. Idcirco vos etiam ad ipsos sanctorum Martyrum loculos adduximus, ut ipse vos conspectus ad virtutem quodammodo incitet, et ad eumdem vos zelum accingatis. Nam militem quidem præstantissimi cujuspiam bellatoris excitat etiam fama ; multo autem vehementius intuitus et aspectus, ac præsertim si ipsum fortissimi bellatoris tentorium ingressus sanguinolentum ensem viderit, caput hostis jacens, spolia sublime pendentia, recentem cruorem ex manibus ejus stillantem, qui tropæum erexit, ubique lanceas et clypeos, et arcus, et omnem aliam armaturam jacentem. Idcirco nos etiam hic convenimus : tentorium enim est militare martyrum tumulus : ac si fidei oculos aperueris, hic justitiæ loricam jacentem intuebere, scutum fidei, galeam salutis, ocreas Evangelii[1], gladium spiritus, ipsum diaboli caput in terram projectum. Cum enim hominem correptum a dæmone juxta Martyris sepulcrum videris supinum jacentem, ac se ipsum persæpe laniantem, nihil aliud nisi mali caput amputatum vides. Namque Christi militibus hæc arma nunc etiam adjacent ; et quemadmodum bellatores fortissimos cum suis sepeliunt armis Imperatores, ita fecit et Christus, cum suis eos armis sepelivit : ut etiam ante resurrectionem gloriam omnem virtutemque Sanctorum ostenderet. Cognosce igitur spiritualem ipsorum armaturam, et maximis perceptis utilitatibus hinc discedes. Multum et tibi cum diabolo bellum est, dilectissime, multum in-

[1] Ephes. VI, 12.

quam, magnum et perenne. Disce igitur luctationes, ut victorias imiteris : aspernare divitias, ac pecunias, et omnem reliquam sæculi pompam : ne beatos judices eos, qui divites sunt, sed beatos eos judica, qui martyrium patiuntur : non eos qui in deliciis, sed qui in sartaginibus versantur : non eos, qui opiparæ mensæ assident, sed eos, qui in lebete torrentur : non eos, qui diurnis in balneis, sed eos, qui in diris sunt fornacibus : non eos, qui olent unguenta, sed eos, qui fumum ac nidorem usti emittunt : hic multo illo præstantior et utilior est odor; siquidem ille ad supplicium illos qui eo fruuntur, hic autem ad præmia coronasque cœlestes abducit. Atque ut intelligas malam rem esse delicias, usumque unguentorum, et ebrietatem, et vinum immodice sumptum, et opiparam mensam, audi quid dicat Propheta ; « Væ dor»mientes in lectis eburneis, affluentes deliciis in stratis »suis, et comedentes hœdos de gregibus, et lactentes »vitulos de armentis. Qui bibunt vinum defæcatum, et »primis unguentis unguntur[1]. » Quod si hæc Veteris Testamenti tempore prohibebantur, multo magis tempore gratiæ, ubi major est philosophia. Hæc cum ad viros, tum ad mulieres a me sunt dicta : commune siquidem est stadium ; non propter sexus diversitatem divisus est Christi exercitus, sed unus est cœtus. Possunt et fœminæ loricam induere, ac clypeum opponere, telumque jaculari, cum martyrii tempore, tum etiam alio, quod fiduciam ingentem requirat. Et sicut optimus sagittarius, qui recte collimans a chorda sagittam emiserit, omnem hostium conturbat aciem ; sic et sancti martyres atque adeo cuncti veritatis bellatores, qui adversus insidias diaboli fraudesque depugnant, tanquam a chorda quadam, a lingua verba bene collimantes emittunt, eaque tanquam tela

[1] Amos. vi, 4.

per aërem volantia, cum invisibiles dæmonum in phalanges inciderint, omnem eorum aciem conturbant: quod utique et beato Barlaam evenit: nudis enim verbis tanquam volantibus sagittis emissis, totum diaboli exercitum perturbavit. Hanc et nos jaculandi solertiam imitemur: nonne illos, qui a theatris descendunt, videtis molliores effectos? id vero in causa est, quod iis studiose, quæ ibi fiunt, attendant. Nam cum oculorum inversiones, manuumque contorsiones, ac pedum gyros, et omnium simulacrorum, quæ in distorsione circumacti corporis apparent, imagines in mentibus suis defixerint, deinde discedunt. Annon igitur indignum est, ut illi tantam in animæ suæ pernicie procuranda sollicitudinem exhibeant, ac perennem eorum, quæ illic sunt gesta, memoriam conservent, nos autem, quos isthæc imitatio pares Angelis redditura est, ne æquale quidem illis studium ad ea, quæ dicta sunt, conservanda conferamus? Ne, oro, obtestorque vos, ne salutem nostram ita negligamus, sed mentibus nostris omnes, martyres conditos teneamus, una cum lebetibus, una cum aliis suppliciis, et sicut pictores imaginem sæpe fumo, ac fuligine, longoque tempore inobscuratam detergunt, ac mundant; sic tu sanctorum martyrum utere memoria, dilectissime: cum obrepentes sæculares curæ tuam mentem obscurarint, eam per martyrum memoriam deterge. Si enim hanc in anima tua memoriam conservaris, non opes suspicies, non paupertatem deplorabis; non gloriam et potentiam laudabis, nihil denique ex rebus humanis, nihil eorum, quæ splendida sunt, magnum esse quiddam arbitrabere, nihil eorum, quæ molesta sunt, intolerandum; sed cum his omnibus superior evaseris, perpetuum ex imaginis hujus contemplatione capies documentum. Nam qui milites in bellis ac præliis strenue se gerentes quotidie spectat, non

deliciarum unquam cupiditate tenebitur, non delicatam et mollem vivendi rationem in pretio habebit, sed asperam, et rigidam, atque ad certamen compositam. Quæ enim societas est ebrietati cum pugna? curæ abdominis cum studio fortitudinis? unguentis cum armis, bello et comessationibus? Miles Christi es, dilectissime; armare: non comere: athleta es generosus: viriliter age, non concilia venustatem. Ita Sanctos istos imitemur; ita fortes bellatores, coronatos athletas, Dei amicos honoribus prosequamur; et cum per eamdem cum illis viam incesserimus, easdem cum illis coronas consequemur: quas nobis omnibus utinam obtinere contingat gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri gloria una cum Spiritu sancto, in sæcula sæculorum. Amen.

LAUDATIO

Magnæ et sanctæ martyris Drosidis, *et de memoria mortis.*

I. Diligentes pastores, ubi per longam hyemem viderint radios Solis affulsisse, diemque calidiorem reddidisse, pecudes e caulis excitas ad pascua consueta deducunt: hos imitatus et bonus iste pastor sacrum hunc gregem, ac spirituale Christi ovile ad hæc spiritualia pascua Sanctorum eduxit. Nam exsatiantur quidem et pecudes, dum ad præsepia stant, verum ubi fuerint e caulis egressæ, multo majorem ex campis utilitatem percipiunt, dum in terram pronæ multa cum voluptate dentibus gramen detondent, aërem purum respirant, et claros splendidosque

radios solis spectant, et juxta lacus, fontes, et flumina saltitant : neque vero mediocriter eas terra delectat, floribus omni ex parte decorata. Sed non illis tantum, verum etiam nobis hoc multam utilitatem parit : licet enim intus spiritualibus cibis referta proposita nobis esset mensa, tamen hæc ad Sanctos istos egressio nescio quo recreat nos solatio, et utilitatem nihilo recreatione minorem parit, non quod purum aërem respiremus, sed quod ad præclara generosorum istorum virorum facinora oculos convertamus, non quod juxta fluminum fluenta, sed quod juxta Spiritus sancti donorum fluenta saltemus, non quod in terram proni dentibus herbam tondeamus, sed quod virtutes Martyrum decerpamus, non quod ornatam floribus terram cernamus, sed quod corpora donis spiritualibus affluentia contemplemur. Ac singulæ quidem Martyrum Ecclesiæ lucrum non exiguum præbent iis, qui apud eas congregantur, sed præ cæteris omnibus ista : simul enim atque vestibulum quis ingressus est, et confestim in oculos undique multitudo sepulcrorum incurrit, et quocumque respexerit, capsulas, memorias, et thecas defunctorum intuetur. Neque vero mediocriter nobis prodest ad inserendam animis nostris modestiam ac philosophiam hoc spectaculum tumulorum. Animus enim sive segnis sit, hoc aspectu commotus, statim percellitur : sive diligens sit et excitatus, diligentior redditur : sive paupertatem quis lamentetur, ex hoc statim aspectu consolationem percipit : sive divitiis intumescat, humilis fit et contrahitur. Hic enim aspectus sepulcrorum unumquemque spectatorum cogit invitum de sua morte philosophari, utque nihil in hoc mundo stabile esse censeat ; persuadet, seu molestum sit, seu jucundum, porro is cui persuasum hoc fuerit, non facile peccati laqueo capietur. Propterea sapiens admonet quispiam dicens : « In omnibus sermonibus tuis

» memorare novissima tua, et in æternum non peccabis[1] : » et alter quispiam his consona loquitur, dum ita consulit : « Præpara in exitum opera tua, et præpara te ad iter[2] : » non quod de sensibus subjecto itinere verba faciat, sed de discessu ex hac vita. Nam si perpetuo ac singulis diebus, quam incertus sit obitus, præmeditemur, haud facile peccata committemus : sed neque rebus hujus vitæ splendidis atque magnificis intumescere, neque molestis deprimi poterimus aut turbari, cum incertus utrarumque sit finis. Sæpe namque qui hodie vivit, ne ad vesperam quidem est superstes. Itaque si in urbe remansissemus, non admodum verisimile est nos talias meditaturos ac philosophaturos fuisse, at extra pomœrium egressos, et ad hæc sepulcra venientes, atque hanc defunctorum multitudinem spectantes necesse plane fuit, vellemus nollemus, hoc conspectu admonitos has cogitationes animo volvere, ac sublimiores fieri, dum illas volvimus, omnemque erga res sæculares affectum exuere. Neque vero tantum ejusmodi cogitationes animum nostrum subibunt, sed et sufficienti cohortatione concitabimur, ut ad æternam patriam nostram festinemus, ad eamque nos comparemus, et omnia nobis ad illam profectionem necessaria præparemus, cum sciamus, quamcumque rerum nostrarum hic reliquerimus, eam nobis detrimentum allaturam. Nam quemadmodum qui longum iter viator conficit, et in patriam suam redire festinat, quodcumque reliquerit in hospitio, plane amittit, ejusque jacturam facit : sic nimirum et nos quascumque res nostras hic dimittentes abierimus, earum omnium jacturam faciemus : quam ob causam nobiscum ferre quasdam oportet, quasdam ante nos illuc transmittere. Est enim via præsens vita, neque stabile quidquam habet, sed res ejus molestas, et jucundas pertransimus. Quam

[1] Eccli. vii, 40. — [2] Prov. xxiv, 27.

ob causam hunc præ ceteris omnibus locum diligo, quod non tempore collectæ solum, sed et absque collecta huc venienti horum mihi verborum memoria refricetur, dum semotis arbitris multa cum tranquillitate oculos meos per hæc sepulcra circumfero, quorum conspectu animus meus ad defunctos, et ad illorum statum traducitur.

II. Propterea nimirum et generosum hunc patrem laudo; quod arrepta serenæ diei occasione nos huc eduxerit, præcedente nos viamque nobis monstrante beata Droside; cujus memoriam celebramus. Nam præter ea, quæ dicta sunt, majorem ex loco possumus fructum decerpere. Cum enim aliis capsulis prætermissis ad Martyrum thecas venimus; sublimius efferuntur nobis animi, fortior fit anima; major alacritas, fides ardentior. Cum igitur labores, certamina, præmia, palmas, coronasque Sanctorum istorum nobiscum reputamus, altera nobis humilitatis occasio rursus occurrit. Sive enim ab aliquo præclara facinora sint patrata, nihil se magnum gessisse arbitrabitur, si suam virtutem cum illorum certaminibus comparaverit: sive nihil magnum bonumve præstiterit, nequaquam de sua salute desperabit, cum a fortitudinis istorum exemplo sibi sentiat cohortationem adhiberi, ut ad studium virtutis se traducat, secumque cogitet; accidere aliquando posse, ut et ipse fortasse Dei benignitate adjutus tales aliquos saltus edat, et in cœlum confestim ascendat, summamque apud Deum fiduciam et gratiam obtineat, ac de his aliisque multo pluribus philosophantes possumus hinc discedere. Martyrum quippe mors fidelium est exhortatio, Ecclesiarum fiducia, Christianismi confirmatio, mortis destructio, resurrectionis demonstratio, dæmonum ignominia, diaboli accusatio, philosophiæ doctrina, ad res sæculi hujus spernendas adhortatio, et ad futuras desiderandas via, solatium in malis, quibus obsidemur, occasio

patientiæ, materia tolerantiæ, bonorum omnium radix, fons, et parens : ac si placet, horum singula demonstrabimus, dicemusque, qua ratione fidelium sit exhortatio, Ecclesiarum fiducia, demonstratio resurrectionis, et reliqua omnia, quæ nunc dixi. Cum igitur ineunda sunt nobis certamina cum gentilibus, ac de dogmatibus pugnæ, nostramque illi fidem accusant, cum cæteris hoc etiam illis objiciamus, Martyrum, inquam, mortem, dicentes, Quis persuasit istis, ut præsentem vitam contemnerent? Nam si mortuus est Christus, nec resurrexit, quis hæc supra naturam præclara gessit facinora? Ut enim probent humanæ virtutis hoc non esse, tot millibus a tam longo tempore non virorum tantum, sed et mulierum, et virginum innuptarum, et puerorum parvorum persuadere, ut vitam præsentem negligant, et audacter se bestiis offerant, ignem aspernentur, omne pœnarum ac suppliciorum genus despiciant, atque ad futuram vitam festinent, nihil argumentis nostris indigebunt, sed se ipsos interrogabunt, et sufficientem ex iis quæ dicta sunt demonstrationem assument. Nam ex quo tempore Christus advenit, infideles fuerunt Imperatores, fuerunt et fideles, sed infideles plerique ad barathra et rogos et prærupta loca, et maria, et bestiarum furorem, ac varia suppliciorum et pœnarum genera fideles abducebant, et omnibus modis fidem ex illorum animis evellere conabantur, et nihil perfecerunt, sed irrisi abierunt, dum fideles quidem omnibus modis vexarentur, at fides amplius cresceret. Nullus autem ex piis imperatoribus unquam adductus est, ut torqueret, ac suppliciis cogeret ab errore discedere. Nihilominus tamen sponte diffluit, ac perit, ut veritatis robur agnoscas, et mendacii imbecillitatem, cum et hoc sponte ac nullo insultante pereat, hæc autem per eos, a quibus impeditur, augeatur, atque in immensam sublimitatem attollatur.

Hujus autem rei causa est quod vivat Christus, et in Martyrum animabus operetur. Si quando igitur dixerint, ipsum minime resurrexisse, hæc ex illis sciscitemur, et quis ista perfecerit? Num, quæso, mortuus aliquis? Atqui tam multi fuere mortui, nec ullus talia præstitit. At enim magus et præstigiator erat? Atqui multi magi et præstigiatores fuerunt, et omnes silentio involvuntur, nec ullæ ipsorum uspiam reliquiæ restant, sed una cum ipsorum vita illorum quoque præstigiæ sunt extinctæ: Christi vero religio singulis diebus augetur, ac merito sane. Non enim magicis artibus fiebant, sed virtute divina, quæ gerebantur, ideoque non pereunt. Imovero non ex hoc tantum argumenta duco potentiæ ejus, quod augeatur, sed quod in bonum et ad salutem vitæ nostræ: siquidem post ejus adventum ex belluis homines facti sunt terrarum incolæ, vel potius ex hominibus Angeli, omnes qui cum veritate illi adhæserunt. At decepti sunt, et seducti Martyres, inquit, atque idcirco vitam præsentem neglexerunt. Deinde priores non persuaserunt secundis, neque secundi tertiis, sed quanto magis progrediebantur persecutiones, tanto etiam majora præclarum illud facinus incrementa capiebat: nec ullus tanto tempore fraudem agnovit. Quis hæc rationi consentanea judicet? Quod si decepti sunt, quî fit, ut eorum pulverem dæmones pertimescant? quî fit, ut eorum etiam tumulos fugiant? Neque enim id eis accidit, quod mortuos dæmones reformident. Ecce namque mortui sunt ubique terrarum innumeri, et illis assident, ac multos videre possumus a dæmone correptos, qui in desertis ac sepulcris degunt: ubi vero Martyrum defossa sunt ossa, inde tanquam ab igne quodam intolerando supplicio resiliunt, ac virtutem ipsos intus flagellantem clara voce divulgant.

III. Atque hinc quidem ostensum est, indicium esse

dæmonum infirmitatis mortem Martyrum: porro stuporem ac pervicaciam illorum hac eadem re maxime revinci, inde constabit. Cum enim isti, nempe Martyres, corpori ac naturalibus obnoxii necessitatibus, atque ingenti dolorum ac molestiarum multitudine circumsessi caducam vitam agentes, et in terris degentes, ita præsentem vitam spernere videantur, propter suam in Deum, a quo creati sunt, charitatem: illi vero et carnis expertes, et ab omni hoc dolore molestiaque immunes, ita contumeliosi fuisse atque in suum benefactorem ingrati cernantur, quæ tandem illis excusationis aut veniæ spes relinquetur? Nulla plane, cum istorum virtus illorum nequitiam summopere condemnet. Non enim homines, tantum homines, et qui diligentiores sunt, negligentiores condemnant, sed etiam ipsos dæmones diligentia istorum damnat. Atque hoc declarabat Paulus, cum diceret: « Nescitis, quoniam Ange»los judicabimus ? quanto magis sæcularia[1] ? » quibus verbis angelos diaboli significat desertores. Et quomodo illos judicabimus? quæret aliquis. Nonquidem sedentes, et rationem ab eis exigentes, sed diligentia nostra illorum socordiam condemnantes. Quod quidem et ipse indicans dicebat: « Et si in vobis judicatur mundus[2] : » Non dixit coram vobis, sed per vos. Quemadmodum cum dicit, Viri Ninivitæ surgent, et condemnabunt generationem istam[3], non hoc dicitur, quasi Ninivitæ rationem exigant a Judæis, qui tum increduli fuerunt, sed quod ab illorum fide istorum incredulitas condemnetur. Possumus etiam non mediocriter a Martyribus ad virtutem, ac rerum hujus sæculi contemptum acquirendum adjuvari. Nam cum istos videris vitam omnem aspernari, quamvis omnium sis stupidissimus, ac negligentissimus, majores animos concipies, ac delicias contemnes, pecuniam despicies, et in cœlis

[1] 1 Cor. vi, 3. — [2] Ibid. — [3] Luc. xi, 32.

versari concupisces. Quod si morbo sis detentus, maximam tibi patientiæ occasionem præbebunt Martyrum passiones: quod si paupertate premaris, sive aliis quibusvis ærumnis vexeris, quoties oculos ad acerbitatem tormentorum, quæ illi sustinuere, convertes sufficientem malorum omnium, quibuscumque vexeris, consolationem percipies. Propterea maxime commemorationes diligo Martyrum, diligo et amplector, atque omnes quidem, sed tum præcipue, cum mulierum certamina proponuntur. Quanto enim infirmius est vas[1], tanto major est gratia, tanto illustrius est tropæum, tanto insignior est victoria, non ob imbecillitatem sexus athletarum, sed quod per ea, quibus vicerat inimicus, nunc etiam vincatur. Per virginem olim Adamum diabolus interemit, per virginem deinde Christus diabolum superavit: et ille gladius, quem ipse in nos exacuerat, caput draconis amputavit, quod in Davidis quoque duello contigit. Nam quemadmodum Goliathi caput ense barbarico justus ille currens abscidit, ita nunc etiam fit. Per mulierem vicit, per mulierem superatus est. Hoc illius antea telum erat, hoc illius nunc cædis factum est instrumentum, hoc vas apparuit insuperabile. Peccavit illa prior, et mortua est: ista mortua est, ne peccaret. Illa tum futilis promissi spe inflata Dei leges violavit, hæc vitam præsentem contempsit, ne fidem in suum benefactorem ejuraret. Quam igitur deinceps sperare poterunt excusationem viri, si molles sint et ignavi, quam vero veniam, cum fortiter ac viriliter se gerant mulieres? cum adeo se generose ad certamina pietatis accingant? Namneque sexus, nec ætas, neque aliud quidquam potest impedimentum objicere, si adsit alacritas animi, et zelus, et ardens fides, hisque omnibus Dei nobis gratiam conciliemus, quod beata nimirum ista præstitit. Fuit enim

[1] 1 Petr. III, 7.

illi corpus imbecillum, et obnoxius sexus injuriæ, et junior ætas : verumtamen horum omnium imbecillitatem adveniens gratia occultavit, ubi generosam animi alacritatem offendit, et constantem fidem, et animam ad subeunda pericula præparatam.

IV. Nihil enim est, nihil plane potentius est eo, qui magno cum studio Dei timorem habeat in mente defixum, sed quamvis ignes, quamvis ferrum, quamvis bestias, quamvis aliud quidvis minentur hostes, omnia nullo negotio contemnit, quod utique beata ista Drosis etiam fecit. Postquam enim rogum tyrannus accendit : neque enim in barathrum illam præcipitem egit, neque capite truncavit, ne supplicii brevitas facilius illi certamen redderet: sed animo ejus cupiens terrorem incutere, atque indomitam ejus mentem rogi aspectu superare, in medium illum protulit. Cum igitur rogum accendisset, ac fornacem inflammasset, atque in summam altitudinem attolleretur, hæc cum cerneret beata Martyr, inflammabatur ipsa quoque atque amore Christi ardebat, triumque puerorum memor secum ipsa reputabat, se in societatem certaminum illorum venire, sibique easdem cum illis coronas imponi. Et quemadmodum furiosi nihil eorum, quæ cernuntur, prout est, vident, sed sive exacutum gladium viderint, in ipsum facile præcipites irruunt, sive rogum, sive barathrum, sive præcipitium, sive pelagus, sive aliud quidvis, intrepide se in cuncta projiciunt : sic et ista furore non tali correpta, absit, sed alio quavis prudentia honestiori, Christique amore correpta, nihil eorum quæ sunt oculis subjecta spectabat, sed in cœlum translata, illucque jam mente commigrans omnia mala contemnebat, et ignem non ignem, sed rorem esse ducebat. Quamobrem rogum illum ego et fontem aquarum limpidissimum, et tincturam quamdam eximiam, et fornacem conflatoriam

appello. Nam quemadmodum in fornace aurum, sic et illius beata anima per rogum illum purior reddebatur. Liquefiebant enim carnes ejus, et ossa torrebantur, exurebantur nervi, et corporis sanies undique defluebat: at animæ fides firmior et splendidior fiebat. Atque illi quidem hæc videntes ipsam perire censebant: hæc vero amplius expurgabatur, et quemadmodum aurum, imperitus qui astat, et liquefieri videt, ac diffluere, cumque cinere commisceri, perire existimat, et corrumpi: artifex autem, et qui probe ista novit, ac ratione purius scit illud effici, ac post exustionem ipsum omni ex parte splendidum extrahit et componit: sic nimirum et isti evenit: infideles quidem cum liquefieri ac diffluere carnem ejus viderent, in cinerem illam et pulverem abire censebant: at fideles exacte noverant eam ita liquefactam sordes omnes deponere, atque immortalitatem adeptam splendidiorem ascendere. Imo in ipso rogo ante resurrectionem miro quodam modo vincebat adversarias potestates: siquidem igne resolutæ carnes, cum strepitum ederent, illas quam facillime in fugam vertebant. Et quemadmodum generosus miles æreis armis circumdatus ipso etiam armorum stridore timidioribus terrorem incutit adversariis: sic nimirum et tunc beata Drosis pellis stridore potestates illas fugabat. Neque vero hac ratione tantum, sed et alia rursus nihilo ista minori. Nam simul atque rogum ingressa est, et fumus in altum ascendens aërem occupavit, dæmones per aërem volantes suffocabat omnes, diabolum abigebat, et ipsam naturam aëris abstergebat. Cum enim fumo idolorum inquinatus fuisset, in locum illius fumus alter ascendebat, ut illatas ab illis sordes abstergeret. Sane quidem fontis comparatio præclare convenit illi rogo. Nam quemadmodum si in fonte vestem exuisset, et corpus abluisset, ita corpus suum in illa flamma facilius quam ves-

tem quamvis exuens, et animam nitidam reddens ad sponsum suum ab Angelis stipata properabat. Si enim Lazarum illum ulceribus plenum Angeli ad sinum Abrahæ abduxerunt : multo magis istam abeuntem stipabant, et tanquam ex sacro quodam conclavi, ac thalamo nuptiali assumptam ex fornace ad cœlestem sponsum deducebant. Qua vero de causa tincturam etiam rogum illum appellavi ? Quod nimirum tanquam mirabili quadam infecta tinctura cum purpura regia facta esset, ad cœlestem Regem mitteretur, ac multa cum fiducia sedes illas cœlestes intraret, quod fiebat, cum invisibili manu sua Christus sanctum Martyris caput teneret, et tanquam aquis illam flammis immergeret. O mirabilem rogum ! qualem intus thesaurum habebat, pulverem illum ac cinerem auro quovis pretiosiorem , et quibusvis unguentis fragrantiorem , gemmis quibusvis cariorem. Quod enim nec divitiæ nec aurum præstare queunt, hoc reliquiæ Martyrum præstant : siquidem aurum neque morbos unquam depulit, neque mortem abegit : ossa vero Martyrum utrumque perfecerunt, illud quidem nostrorum majorum ætate, hoc vero nostra etiam contigit. Ac de his ita non solum nos, sed justi etiam, qui ante Christi adventum vixerunt, exacte philosophari noverunt, quo tempore cunctis ex Ægypto excedentibus, et aliis quidem aurum, aliis vero argentum evehentibus, Moyses opum quarumvis loco Joseph ossa sumens ea detulit ac thesaurum maximum et innumeris bonis redundantem secum domum vexit.

V. Sed dicet fortasse quispiam : Qua vero de causa ex Ægypto in Palæstinam transferebat ? Siquidem dum Martyrum memoria celebratur, talia præsertim examinentur necesse est. Multi enim sepulturæ suæ diligenter providentes, cum propinquis suis mandent, ut si forte alibi eos mori contingat, in patriam suam translatos illi sepe-

rimus, hanc nobis historiam objiciunt: cumque nos dixerimus nihil interesse sive domi quis, sive peregre sepulturæ mandetur, respondent: Cur igitur, si nihil interest, assumpta Joseph ossa in Palæstinam transtulit Moyses? Ego vero majus aliquid dicam: non solum Moyses accepit, sed ille etiam moriens hoc præcepit: hoc enim profecto est majus. « Visitatione enim, inquit, visitet vos Deus, et as-»portabitis ossa mea[1]. » Cur igitur et ille dixit, et iste paruit? siquidem res est disquisitione digna. Quid ais? Ergo-ne Patriarcha, qui vitam præsentem aspernabatur, et omnia contemnebat, quo dignus non erat mundus, qui peregrinus et inquilinus erat, qui cœlestia quotidie mente versabat, qui supernam Jerusalem spectabat, ille dum viveret quidem, ob Dei timorem et patria et libertate privatus est, et in carcerem est conjectus, nec illis insidiis est inflexus: postquam autem jam jam moriturus erat, ita de minutis rebus istis erat sollicitus, ut istius suorum ossium translationis tantam curam gereret, ac tanto ante tempore reliquias suas advehi jubebat, quis hoc asseverare tandem audeat? Quod enim lucrum, aut quæ utilitas obveniebat ex hac ossium transvectione defuncto? cur ergo mandavit? Non quod de ossibus esset sollicitus, sed hoc dicere possumus, eum sibi ab Ægyptiorum impietate timuisse. Nam quoniam multis magnisque illos affecerat beneficiis, atque illos aluerat, adjuverat, adversus famem solatium illis attulerat maximum, et quæ nemini unquam innotuerant, ipse primus ac solus patefecerat, et in medium protulerat, atque somniorum interpretatione non solum famem prædixerat, sed etiam sufficiens adversus illam remedium præparaverat, ita repletis Ægypti horreis, ut nemo illius adventu se premi sentiret: ne igitur propter beneficiorum magnitudinem Deus post obitum censere-

[1] Gen. L, 24.

tur, cum illi barbari facile ex hominibus Deos facerent: omnem ut occasionem impietatis auferret, domum transferri ossa præcepit. Hæc igitur una est occasio: sed et alteram possumus indubitatam afferre. Siquidem ex sacris illam scripturis etiam confirmare licet. Quæ tandem illa est? Sciebat ille, quod audiverat a patre, cum ab avo transmissum ad se sermonem ille didicisset, futurum, ut ad multos annos servituti subjicerentur, et affligerentur ab Ægyptiis. « Erit enim semen tuum peregrinum in terra » aliena, et servituti subjicient illud, et affligent quadrin- » gentis annis[1], » aiebat Deus ad Abraham. Ne igitur tam longi eos temporis tæderet, et ærumnas minime ferentes de reditu desperarent, animisque conciderent, maximo illis tradito spei pignore prædixit fore, ut ossa reveherentur, ut illi cum animis suis reputarent, nisi certo et sine ulla dubitatione sibi persuasisset justus futurum, ut omnes revertamur, nequaquam de suis ossibus præcepisset, atque ita demonstrationem haberent certissimam, spemque firmissimam suæ in patriam reversionis. Atque hoc verum esse, et idcirco de suis ossibus prædixisse illum, non quod de sepultura sollicitus esset, at quod illorum impietati remedium vellet adhibere, audi quibus verbis Paulus testetur: « Fide Joseph moriens de egressione filiorum Israël » meminit, et de ossibus suis mandavit[2]. » Quid est hoc, fide? Quasi diceret, quæ post multos annos erant eventura, prævidebat, ac fore, ut posteri patriam suam recuperarent. Ut igitur hoc significaret, utrumque prædixit, ac videre erat rem miram et incredibilem, cum ossa in egressione transferrentur. Nam qui effecerat Joseph, ut in Ægyptum descenderent, ipse rursus eos redeuntes antecedebat, et ad patientiam ac spem futurorum instruebat. Cum enim reliquias ante oculos positas cernerent, omnis-

[1] Gen. xv, 13. — [2] Hebr. xi, 22.

liant: deinde cum illorum idcirco pusillanimitatem irriseque illius historiæ hoc pacto recordarentur, atque apud se cogitarent ipsum a fratribus insidias esse passum, in lacum missum, et capitis discrimen adiisse, carcere conclusum fuisse, atque alia cuncta, quæ illi contigerant: deinde vero post illa omnia Regem illum esse factum, ac principem totius Ægypti; tantæque ditioni curatorem ac præfectum fuisse præpositum, in spem certissimam erigebantur fore, ut a malis, quibus semper opprimi solebant, liberarentur, cum ab ossibus justi docerentur neminem unquam fuisse derelictum, qui in Deum credidisset, et ipsius auxilium expectasset. Licet enim res adversæ quædam et contra votum interim acciderint, dum ejus promissa sperantur, et intervenerint, tamen optato fine sperantes fraudare non poterunt, sed eveniet illud omnino ex sententia divina quod prædictum fuit, et illustriores reddet eos, qui patienter expectant omnia, quæ a Deo fuerint constituta. Propterea de ossibus suis mandavit.

VI. Ne igitur adeo de nostra in patria sepultura simus solliciti, neque mortem metuamus, sed peccatum. Neque enim mors peccatum peperit, sed peccatum mortem nobis procreavit: mors autem in remedium peccati conversa est. Mortem enim non esse metuendam, sed peccatum, audi quibus verbis doceat Propheta: « Pretiosa in conspectu » Domini mors Sanctorum ejus[1]; » et alibi, « Mors pecca» torum pessima[2]. » Vides eos qui ad res suas attenti sunt maximam etiam ex ea posse utilitatem percipere: qui vero desides sunt et inertes, eis rem illam in partem supplicii obvenire? Neque vero sine causa hunc instituo sermonem, sed quoniam multos audio sæpenumero de mortis generibus verba facientes, et quædam, quæ ignominiosa non sunt, sibi probro ducere, quædam crimine digna non

[1] Psal. cxv, 5. — [2] Id. xxxii, 22.

vituperare : propterea controversiam hanc statui hodierno die disceptare. Est enim oportunus hic philosophandi modus et mirifice cum Martyrum convenit solemnitate. Multos enim dicentes audivi, Ille peregre mortuus est ignominiosius quam canis, nullo ex propinquis præsente, neque sepulcro condente : sed vix paucis vicinis se mutuo invitantibus ex pecunia quadam corrogata obvolutus sepulturæ mandatus est. Ne igitur hæc nobis negotium facessant, operæ pretium fuerit opinionem istam corrigere. Non enim hoc est cane miserius mori, mi homo, sed cane miserius mori est in peccato mori, non peregre vitam finire. Noli enim mihi commemorare hominem, qui in deaurato lecto gestetur, qui prosequente tota civitate, qui populis collaudantibus, cui sericæ vestes, et auro intertextæ liberaliter admodum insternantur : hoc enim aliud nihil est, quam lautiorem vermibus mensam apponere. Ne igitur hunc mihi ostendas, sed hunc ipsum, qui tanto cum honore deducitur, illo die mihi velim ostendas, quo in excelso tribunali Christus sedebit, cum ille judicio sistetur, vocabitur, rationem reddet eorum quæ dixerit, quæ fecerit, quæ cogitaverit. Tunc enim illi ne unus ex hac multitudine patrocinabitur, neque supplicio illum ac pœnis eximet, neque auxiliabuntur ei clamores ac laudes istæ, sed vultu in terram demisso, trepidus et pudore suffusus propter objecta sibi crimina abducetur, et a malignis spiritibus ad æterna tormenta cum gravissimo dentium stridore, frustra lamentans, et propter intolerabiles dolores plangens trahetur. Ac talia quidem erunt, quæ illis in altera vita contingent, sed neque toleranda sunt, quæ in hac geruntur. Siquidem post laudes illas publicas, aut pretio comparatas, aut a timore aliquo profectas, omnes audiet accusantes, et in triviis, in foro, in ædibus, in popinis, in aliis officinis, in via, in agris, et ubique singulos

viatores proximis cum timore narrantes ac dicentes, qualia passurus sit mala, quibus suppliciis mulctabitur, quibus nunc erit subjiciendus tormentis. Quid illi profuit hæc vita? quem fructum ex avaritia collegit? Aliis pecunias suas relinquens abiit, at ipse secum assumptis peccatis sepultus est, ac multi undique accusatores compatiuntur illis quos ille affecit injuria, licet ab eo læsi non fuerint. Nam quemadmodum, cum aliqui beneficiis afficiuntur, etiam illi quibus nihil confertur, gratulantur illis, et benefactorem collaudant: ita cum infertur quibusdam injuria, illi etiam, qui nihil læsi sunt, compatiuntur afflictis, eumque vituperant, qui injuriam intulit. Idcirco dixit: «Mors peccatorum pessima,» cum propter hujus vitæ obtrectationes, tum propter alterius tormenta. Hic igitur ille est, qui cane miserius moritur: at justis ita non evenit; sed licet in deserto, licet nemine obvolvente, licet nemine præsente vitam finiat, sufficientes exequias ex hac vita discedens habet, fiduciam apud Deum: et admodum honorifice præsentibus Angelis, ejusque animam deducentibus effertur, quemadmodum ex Lazaro ante demonstravi, atque innumeros vitæ suæ laudatores relinquens: quod si liberos reliquerit, omnes qui civitatem incolunt illis succurrent, et eorum curam gerent, ut paternæ benevolentiæ gratiam illis rependant. Qui vero peccatis et rapinis obstrictus defunctus est, sive relictis liberis ex hac vita decesserit, inimicitiarum suarum hæredes illos deseruit, et inter inimicos reliquit: sive sine liberis vitam finierit, ex ædificiis, ex aliis possessionibus, quas ex rapina et fraudibus acquisivit, æternam accusationis materiam derelinquit. At non ita justus, sed et cum moritur, maximam utilitatem percipit, cum ex propriæ virtutis recordatione de omnibus vivis bene mereatur, et meliores eos reddat, quemadmodum et improbus hac etiam ratione punitur.

Non enim tantum, dum vivunt, sed etiam cum moriuntur, multos lædunt, cum avaritiæ suæ pignora et indicia ubique derelinquant. Quæ cum explorata nobis sint, non eos qui peregre, sed eos qui peccatorum rei moriuntur, miseros censeamus, neque eos qui domi, atque in lecto, sed eos qui cum virtute ex hac vita discedunt, beatos prædicemus, ac virtutem sectemur, vitium fugiamus. Illa enim et viventibus et morientibus prodest : istud vero ex utraque parte lædit, dum et hos probro afficit, et ad supplicia abducit æterna. Deus autem, qui beatæ isti, quæ nos hodierno die congregavit, ut certamen iniret, et luctaretur, et vinceret, et ut ornaretur corona, concessit, nobis etiam simul omnibus in illo die, postquam hujus vitæ cursum absolverimus, ejusque mandata et leges observaverimus, ut in æterna possimus sanctæ hujus tabernacula intrare, concedat, et immortalibus bonis potiri, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri gloria, una cum Spiritu sancto, in sæcula. Amen.

SERMO

De *sancto Hieromartyre* Phoca *et contra hæreticos, atque in Psalm.* 141. Voce mea ad Dominum clamavi : voce mea ad Deum deprecatus sum.

I. Splendida nobis hesterno die facta est civitas, splendida, et illustris; non quia columnas, sed quia martyrem habuit cum pompa incedentem, qui ad nos ex Ponto advenit. Vidit vestram hospitalitatem, et vos benedictione cumulavit; laudavit animi vestri alacritatem, et eos, qui advenerant, benedixit. Beatos illos, qui convenerant,

prædicavi, quique suavis ejus odoris participes fuerant, et eos qui aberant, miseros appellavi: verumtamen ne damnum eorum fiat irreparabile, rursus ipsum altera die prædicamus: ut et ii qui ob negligentiam abfuerunt, a martyre impertitam duplicent diligentia benedictionem. Etenim quod sæpenumero dixi, hoc quoque dicere non cessabo; non pœnas peccatorum repeto, sed ægrotantibus medicinam paro. Abfuisti heri? saltem hodie adesto, ut eum in proprium videas locum deduci: vidisti eum per forum ductum? cerne jam ipsum per mare navigantem: ut elementum utrumque ejus benedictione repleatur. Nemo ab hac sacra solemnitate absit: non virgo domi remaneat: non mulier ædibus se contineat: exhauriamus urbem, et nos ad sepulcrum Martyris conferamus; nam et Imperatores una nobiscum choreas ducunt. Quamnam igitur veniam meretur privatus, cum regia palatia deserant Imperatores, et Martyris sepulcro assideant? talis nimirum est virtus martyrum, ut non modo privatos, sed eos etiam qui diademata gestant, sagena concludat. Hæc gentilium est ignominia, hæc erroris ipsorum opprobrium, hæc dæmonum perditio, hæc nostra nobilitas, et Ecclesiæ corona. Exulto cum martyribus, et præ lætitia tripudio, dum pratorum loco tropæum ipsorum intueor; quoniam pro fontibus sanguinem effuderunt: illorum ossa consumpta sunt, at illorum memoria in dies fit recentior. Ut enim fieri nequit ut sol extinguatur; ita neque ut martyrum memoria pereat: ipse enim Christus pronuntiavit, « Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non præ» teribunt[1]. » Verum martyris quidem laudes ad conveniens usque tempus expectemus: nam et de illis satis multa dicta sunt propter eorum studium, qui congregari debuerant, et festivitatis diem celebrem reddere, quod

[1] Matth. XXIV, 35.

enim hesterno die dixi, etiam hodie rursus dico : martyri quidem gloria nulla ex multorum præsentia comparabitur, vos autem benedictionem lucrifacietis, ex eo quod ad Martyrem accesseritis. Quemadmodum enim is, qui oculos in solem convertit, astrum ille quidem splendidius minime reddit, sed oculos suos illuminat : ita nimirum et is, qui Martyri honorem defert, clariorem illum non efficit, sed ipse ab illo sibi benedictionem lucis accersit. Iterum mare Ecclesiam efficiamus cum lampadibus illuc prodeuntes et ignem humectantes, et aquam igne complentes : nemo pelagus reformidet : mortem Martyr non reformidavit, et tu aquam pertimescis? Sed in hanc quidem sententiam satis multa jam diximus : age ergo ex his etiam quæ hodie recitata sunt, consuetam mensam vobis apponamus : licet enim corpora vestra coarctentur, tamen animus exercitetur : neque enim vestram coarctationem, sed animi vestri alacritatem specto : gubernatori quoque mare fluctibus agitatum jucundum est, et doctori Ecclesia turbis undans. Non enim in aquis est istis salsugo, non scopulus, neque belluæ, sed mare ac pelagus odore suavi redundans : hic navigia, quæ non a terra in terram, sed a terra in cœlum trajiciunt : quæ non pecunias gerunt, non aurum, non argentum? sed fidem, et charitatem, et zelum, et sapientiam.

II. Age itaque navem diligenter emittamus, quæ nunquam perit, nunquam naufragium patitur. Sed iis, quæ dicuntur, attendite diligenter : psalmus siquidem hodie in aciem contra hæreticos nos educit : non ut illos stantes prosternamus, sed ut jacentes erigamus. Ejusmodi namque nostrum est bellum : non ex vivis mortuos reddit, sed ex mortuis vivos efficit, mansuetudine, ac multa redundans benignitate. Non enim factis insector, sed verbis persequor; non hæreticum, sed hæresim : non hominem

aversor, sed errorem odio prosequor, et avellere conor. Non est mihi bellum susceptum cum substantia; Dei siquidem opus est substantia; sed corrigere mentem volo, quam diabolus corrupit. Sic et medicus dum ægrotum curat, non corpus oppugnat, sed corporis vitium tollit. Sic igitur ego quoque, si cum hæreticis bellum gessero, non cum hominibus bellum gero, sed errorem expellere volo, ac putredinem expurgare. Mihi consuetum est persecutionem pati, non persequi: vexari, non vexare. Sic et Christus vincebat, non cruci affigens, sed cruci affixus; non alapis cædens, sed alapis cæsus. « Si male locutus sum, inquit, testimonium perhibe » de malo: si autem bene, quid me cædis[1]? » Dominus orbis terrarum apud servum Pontificis se purgat etiam alapis in ore cæsus, unde prodiit verbum, et mare frenavit, et quatriduanum Lazarum a mortuis excitavit: unde malum fugiebat: unde ægritudines et peccata solvebantur: hoc est miraculum crucifixi. Nam cum fulmina vibrare posset, ac terram concutere, servique manum arefacere, nihil horum fecit: et se purgat, et superat benignitate, te erudiens, ut cum homo sis, nunquam excandescas: licet cruci affigaris, licet alapam accipias, ut eadem dicas quæ dominus tuus, « Si male locutus » sum, testimonium perhibe de malo: si autem bene, » quid me cædis? » Ac vide ipsius benignitatem, quo pacto quæ servorum quidem suorum sunt vindicet: quæ vero sua sunt, prætermittat. Propheta quondam fuit, qui Regem impie agentem redarguebat: et cum accessisset, dixit, « Altare, altare, audi[2]. » Nam quoniam Rex Jeroboam sacrificium idolis offerens stabat, tum veniens Propheta cum altari colloquitur. Quid agis, o Propheta? hominem dimittis, et cum altari colloqueris? Ita est, inquit, quare?

[1] Joan. XVIII, 23. — [2] 3 Reg. XIII, 2.

Quandoquidem homo magis expers sensus ac stupidior lapide factus est, omitto illum et cum isto colloquor : ut intelligas audire lapidem, et hominem non audire. « Audi, » altare, audi, » et subito ruptum est altare. Extendit manum suam Rex, cum Prophetam vellet corripere, neque potuit illam ad se reducere. Vides, ut altare potius, quam Rex audierit? vides, ut omisso eo qui ratione præditus erat, id quod erat rationis expers sit allocutus : ut per istius obedientiam illius stuporem malitiamque corrigeret? Fractum est altare, et Regis malitia fracta non est. Ac vide, quid acciderit : extendit manum suam Rex, ut Prophetam comprehenderet, et continuo manus ejus exaruit. Quoniam altaris supplicio melior factus non est, propria pœna obedientiam Dei docetur. Ego quidem tibi parcens volui in lapidem iram effundere : quando autem lapidis magisterio non es eruditus, tu supplicium excipe. Et extendit manum suam, et e vestigio exaruit. Stabat deinceps tropæum Prophetæ, et Rex contrahere ipsam non poterat. Ubi diadema? ubi vestes purpureæ? ubi loricæ? ubi clypei? ubi exercitus? ubi lanceæ? jussit Deus, et omnia illa perierunt. Circumstabant Satrapæ, qui succurrere minime poterant, at plagæ tantum spectatores erant redditi. Et extendit manum suam Rex et exaruit : quando arida facta est, tunc fructum tulit. Considera mihi exemplum, quod occurrit in ligno, quod in paradiso fuit, et in ligno, quod fuit in cruce. Sicut enim lignum illud, cum esset viride, mortem peperit, lignum vero crucis, cum aridum esset, vitam genuit; sic et in manu Regis accidit : quando viridis erat, tunc impietatem peperit : quando arida facta est, tunc obedientiam produxit : vide facta Dei mirabilia : sed quod dicebam, quando alapis ipse cædebatur, nihil mali cædenti inferebat : quando autem servus injuriam passurus erat, Regem punivit : ut te doceat ea quidem quæ Dei sunt

vindicare, quæ vero propria sunt prætermittere. Sicut enim ego mea prætermitto, tua vero vindico : sic et tu mea vindica, tua vero prætermitte. Verum arrigite mihi aures vestras : ubi enim certaminum tempus est, auditoribus est opus, quibus arrectæ sint aures, et attentæ, ut diligenter advertatis, quo pacto ligem, quo pacto solvam adversariorum delicta : quo pacto lucter, quo pacto feriam. Nam si illi qui in theatro sedent duobus certantibus oculos suos, et corporis staturam extendentes proni prospectant, ut certamina videant probri plena ; ut certamina videant, quæ imitari probrosum est : multo magis nos oportet audiendis scripturis divinis aures attentas præbere. Si enim laudas athletam, cur non fis athleta? sin autem fieri athletam probrosum est, cur istorum laudes imitaris? At ejusmodi non sunt hic certamina, sed communia cunctis et utilia, tum dicentibus, tum audientibus. Cum hæreticis namque decerto, ut et vos athletas efficiam ; ut, non modo dum psallitis, sed et dum colloquimini, linguam eorum compescatis. Quid igitur ait Propheta? « Voce mea ad Domi- » num clamavi : voce mea ad Deum deprecatus sum [1]. » Adverte; num certaminum occasionem præbere videtur, quod dictum est? vide quo pacto nectam coronam, et certaminum materiam parem. « Voce mea ad Dominum cla- » mavi : voce mea ad Deum deprecatus sum. » Hic tu mihi hæreticum voca, sive adsit, sive non adsit. Si enim adsit, a voce nostra doceatur : si non adsit, a vobis, qui audieritis, discat. Sed, quod dicebam, non persequor ipsum præsentem, sed ipsum excipio persecutionem passum, non a me, sed a propria conscientia, juxta eum qui dixit : « Fugit impius nemine persequente [2]. » Mater est filiorum suorum Ecclesia, quæ et istos excipit, et peregrinis sinum expandit. Commune theatrum erat arca Noë, sed Eccle-

[1] Psal. CXLI. — [2] Prov. XXVIII, 1.

sia melior est etiam quam ista. Nam bruta quidem animalia illa recipiebat, et bruta conservabat : hæc autem bruta recipit, et transmutat. Exempli gratia, si intraverit vulpes hæreticus, ipsum ovem efficio ; si intraverit lupus, ipsum agnum efficio, quantum in me situm est : sin autem noluerit, non id vitio meo fit, sed ex ipsius improbitate : quandoquidem Christus etiam duodecim discipulos habuit, et unus factus est proditor : verum non a Christo, sed ab animo suo vitiato : quandoquidem et Elisæus discipulum habuit avarum, at non ab imbecillitate doctoris, sed a discipuli negligentia[1]. Equidem semina jacio : si terra sis pinguis semen excipiens, etiam segetem reddis : sin autem petra sis sterilis, nullo meo vitio id fit : sive audieris, sive non audieris, spirituale tibi carmen occinere, vulnera mitigare non desinam : ne in illo die audiam, « Serve male, oportuit te committere pecuniam » meam numulariis. Voce mea ad Dominum clamavi : voce » mea ad Deum deprecatus sum[2]. »

III. Quid ais hæretice? de quonam dicit hæc Propheta, et quem Dominum ac Deum appellat? de una enim persona fit sermo. Illi siquidem in suum caput scripturas adulterantes, ac perpetuo argumenta adversus salutem suam perquirentes, in perditionis barathrum se ipsos detrudere se non animadvertunt. Filium enim Dei neque qui laudat, clariorem efficit : neque qui blasphemiis et contumeliis afficit, lædit : non enim indiget laude nostra natura incorporea : sed quemadmodum is qui splendidum solem dicit, lucem illi non addit; neque qui dicit tenebrosum, substantiam ejus imminuit, sed propriæ cæcitatis indicem profert sententiam : ita qui filium Dei, filium non dicit, at creaturam, insaniæ suæ prodit argumentum : qui vero substantiam ejus agnoscit, probitatem suam ostendit : et

[1] 4 Reg. v. — [2] Matth. xxv, 26.

nec iste beneficiis ipsum cumulat : nec ille quidquam ipsum lædit : sed hic quidem pro salute sua, ille vero adversus salutem suam dimicat. Verum, ut dicebam, scripturas adulterantes, alia quidem prætervolant : quærunt autem, num alicubi argumentum aliquod offendant, quod ipsorum morbo suffragari ac favere videatur. Neque mihi tu dixeris in causa esse Scripturam : non Scriptura, sed ipsorum improbitas est in causa : quandoquidem mel quoque dulce est; at qui æger est, acerbum illud arbitratur : verum non mellis culpa, sed infirmitatis est crimen. Ita qui furiosi sunt, quæ videntur, non cernunt : at eorum quæ videntur culpa non est, sed mentis vitiatæ furiosi hominis. Cœlum Deus creavit, ut opus contemplemur, et opificem adoremus : at Gentiles opus Deum fecerunt : verum non opus, sed illorum improbitas est in causa : et quemadmodum improbus a nemine juvatur, ita probus a se ipso etiam juvatur. Quid Christo par? at ab eo non adjutus est Judas : quid diabolo nequius? at Job corona redimitus est; et neque Judam Christus adjuvit, quia is erat improbus; neque Job diabolus nocuit, quia hic probus erat. Hæc ego dico, ut nemo scripturas accuset, sed eorum improbitatem, qui ea, quæ recte dicta sunt, male interpretantur. Nam et diabolus ex scripturis cum Christo disputabat : atqui non est in causa scriptura, sed ea mens, quæ recte dicta male interpretatur. Dum enim Filium Patre minorem esse volunt ostendere, inusitata nomina curiose perquirentes circumeunt, deque verbis illis (Deus et Dominus) aiunt, Deum Patrem esse, Filium Dominum, et nomina dividunt : vocem quidem «Deus» Patri, vocem autem «Dominus» Filio tribuunt : ut qui deitatis distributores sint, et tanquam hæreditatis divisores. Scriptura Filio dicit «Dominus?» ain tu, hæc dicit? numquid Psalmum non audisti ad unam personam hodie dicentem :

«Voce mea ad Dominum clamavi : voce mea ad Deum » deprecatus sum[1]?» itaque et Dominum, et Deum ipsum appellat. Utrum Deum esse vis, Filium, an Patrem? plane Patrem dices hæc nomina indicare. Igitur Deus est Filius et Dominus Pater. Quid ergo nomina dividis, et hoc quidem illic adjicis, illud autem hic dividis? Et vero Paulus ait (utinam Paulum audires, et beatus esses :) «Nobis ta» men unus Deus Pater, ex quo omnia : et unus Dominus » Jesus Christus, per quem omnia[2]:» num Filium Deum vocavit? quid ergo? Dominum. Cur enim, quæso, splendidius est nomen Deus, quam Dominus; aut Dominus, minus quam Deus? attendite, obsecro, diligenter. Si ergo unum esse illa, Dominus et Deus, ostendero, quid dices? Nomen Deus majus esse dicis, Dominus autem minus? audi prophetam dicentem : «Iste Dominus, qui fecit cœ» lum : iste Deus, qui terram condidit[3].» Dominus cœlum, et Deus terram. Hic in eadem persona et nomen Dominus, et nomen Deus posuit. Et rursus, «Audi Israël, Dominus » Deus tuus Dominus unus est[4].» Bis Dominus, et semel Deus : ac primum Dominus, et deinde Deus, et rursus Dominus : quod si hoc deterius esset, illud autem majus, non de magna substantia, majorique vocabulum minus posuisset primum, sed majori dicto contentus fuisset, neque minus attribuisset. Num ea, quæ dixi, intellexistis? iterum doceo : non enim hoc spectaculum est ad ostentationem, sed doctrina ad compunctionem : non ut inermes abeatis, sed ut armati recedatis. Nomen Deus majus esse dicis, hæretice, et minus esse nomen Dominus? ostendi tibi Prophetam dicentem, Dominus qui fecit cœlum : Deus qui condidit terram. Moysem tibi rursus ostendo dicentem, «Audi Israël, Dominus Deus tuus Dominus unus est.» Quomodo unus, si duo sunt nomina, hoc quidem minoris,

[1] Psal. CXLI. — [2] 1 Cor. VIII, 6. — [3] Isaï. XLV, 18. — [4] Deut. VI, 4.

illud vero substantiæ majoris? non enim utique se ipsa major et minor est substantia, sed æqualis et connexa. «Dominus Deus tuus Dominus unus est.» En ostendo tibi nomen Dominus hoc esse idem, quod Deus: in summa autem si Dominus minus, Deus autem majus, quodnam ejus esse nomen debuit? Dominus minus, an Deus majus? si dicat: Quodnam est nomen meum? quid ais, hæretice? an nomen Dominus filii, nomen autem Deus Patris est tanquam magis proprium? si nomen Dominus, quod est minus, denotare ipsum ostendero, quid facies? «Cognos-»cant, quia nomen tibi Dominus[1],» inquit Propheta. Num dixit Deus? tametsi cur, si majus est Deus, non dixit Propheta, Cognoscant, quia nomen tibi Deus? si enim hoc quidem ejus proprium ac peculiare Deus, illud vero Dominús, alienum ab eo tanquam inferius; cur dixit, «Cognoscant, quia nomen tibi Dominus,» illud parvum, minus, et inferius numine ac dignitate: neque dicit illud magnum et sublime, quod dignum est substantia? Atqui ut intelligas hoc parvum non esse, nec deterius, sed eamdem vim habere, «Cognoscant, inquit, quia nomen »tibi Dominus: tu solus altissimus super omnem terram.»

IV. At nondum a pugna discedis, sed ais rursus «Deus» majus esse, «Dominus» autem minus. Si filium majori nomine appellatum indicavero, quid dices? num pugnam finies? num a contentione desistes? num tuam salutem agnosces? num ab insania recedes? intellexisti, quid dixerim? quandoquidem nomen «Domi-»nus» filio tribuunt, «Deus» autem Patri ut majus. Si igitur majori nomine Filium appellatum indicavero, pugna confecta est: tuis enim armis te subigo, tuisque pennis te supero. Tu dixisti «Deus» majus, «Dominus» autem minus esse nomen: demonstrare volo minus Patri non convenisse,

[1] Psal. LXXXII, 12.

si major erat, et majus Filio non convenisse, si Filius minor erat : audi Prophetam dicentem, « Hic est Deus nos-» ter : non æstimabitur alius ad eum. Adinvenit omnem » viam scientiæ. Post hæc in terris visus est, et cum ho-» minibus conversatus est[1]. » Quid ad hoc respondes? num his verbis contradicis? at non potes : veritas enim permanet, quæ splendorem suum emittit, et oculos hæreticorum credere ipsi recusantium excæcat. Quamquam longa sunt certamina, et multus est æstus; major tamen est oratio, atque incommoda superat auditorum, æstumque mitigat rore doctrinæ : et quando semel aut iterum in hebdomada congregamur, auditorem negligentem esse non oportet : si enim ex hoc loco excesseris, ac dixerit quispiam : Qua de re doctor disseruit? subjicies, adversus hæreticos. Si dixerit tibi, qua de re egit? neque menti occurrerit, maxima erit ignominia : sin autem dixeris, ipsum pungis : et sive sit hæreticus, ipsum corrigis : sive negligens sit amicus, ipsum pellicis; sive etiam mulier lasciva, efficis temperantiorem : nam et mulieri reddere rationem debes : « Mulieres enim, inquit, in Ecclesia ta-» ceant : si quid autem volunt discere, domi viros suos in-» terrogent[2]. » Si domum ingressus fueris, et ex te mulier sciscitetur, Quid mihi ab Ecclesia retulisti? Responde illi, Non carnes, nec vinum, nec aurum, nec mundum, quo corpus ornetur; at sermonem, quo sapientior mens reddatur. Cum in congressum mulieris veneris, mensam illi spiritualem appone : dic primum dum adhuc recens est memoria : perfruamur spiritualibus, ac deinde sensibili mensa perfruamur. Etenim si res nostras ita disponamus, Deus etiam aderit in medio nostri : cum ut mensam benedicat, tum ut nos coronet. Nos quidem pro his omnibus gratias agamus ipsi Patri cum Filio ac Spiritu sancto, nunc et semper et in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Bar. III, 23. — [2] I Cor. XIV, 24.

LAUDATIO

S. Protomartyris et Apostolæ Theclæ.

Præclaras nobis sanctorum imagines Spiritus sancti gratia memorias annuas ipsorum erexit, et actiones progressu temporis in oblivionem venientes perpetuo recentes conservat. Etenim unusquisque cum tanquam in imaginem in memoriam inciderit, actionum pulchritudinem contemplatur, et insidentes memoriæ imagini spectat actiones. Ac mihi videor hodierno die beatam illam puellam tanquam in imagine stantem memoriæ contemplari, et hac quidem manu de voluptatibus, illa vero de periculis reportatam coronam protendentem; atque hac quidem virginitatem, illa vero martyrium Domino universorum offerentem. Erat igitur in ipsa etiam virginitas, quæ illis, qui rem accurate perpendunt, magnum quoddam martyrium ante martyrium videtur. Sunt enim crudeles quidam carnifices corporis voluptates; imovero carnificibus crudeliores: nam vinculis torquent non manufactis: per oculos animam vulnerant: per aures mentis rigori atque constantiæ luxuriæ faces admovent: aspero flagello intellectum flagellant, novis subinde præliis nos lacessunt. Quando quis oculis cæcitatem indixerit, ne formas spectent, tum id quod clausum est, reserant voluptates et lascivis per aures cantilenis resolvunt: quando in aures cantibus meretricis occlusas inciderint, tum libidinose cogitationibus ornatæ illudunt: quando illas per omnia, ut paucis complectar, vigilantes superaverimus, dormientes umbratili

pugna divexant: ita nos perpetuis et in orbem redeuntibus præliis urgent, quæ neque cum sole excitantur, neque cum nocte sopiuntur. Porro si juventutem etiam aggressæ fuerint, tum vero ignis cum igne miscebitur; stipula cum fornace jungetur. Facile namque voluptatibus juventus incenditur: quippe quæ pinguior olei in morem et aptior sit ad inflammationem, ut ad temperantiæ labores delicatior: quæ nimirum omnia beatæ virgini longum martyrium virginitatem reddebant; quæ cum voluptatibus, ut cum bestiis martyr pugnabat: cum cogitationibus, ut ille cum cruciatibus, luctabatur: cum libidinum imaginationibus quasi cum tormentis carnificum congrediebatur: sed ab illo tamen multiplici ac domestico bello victoriam reportabat: siquidem igne naturali ardentior illi erat ignis animi, et sanctus. Enimvero puellæ natura cedebat, et quæ apud alios dominatur, et ad coitum furit, apud Theclam virginitatem exercebat. Parentes vero cum filiæ inita cum virginitate pacta non nossent, neque fœderis nuptiarum cum illa jungendi causa Christum Dominum de cœlo dextram dedisse, multis eam, verbosisque commonitionibus ad conjugium incitabant: at enim jam aures puellæ Pauli carmine personabant: « Quæ non est nupta, cogitat, » quæ Domini sunt: ut sit sancta et corpore et spiritu[1]. » Virginitatis extemplo corona dabitur: hoc illam primum sollicitudinis genus afficit: sollicita enim est benedictionis plena sollicitudine: sollicita est cura liberiori quavis incuria; ut sit sancta et corpore, et spiritu. Nihil est illi commune cum terra: nulla cum connubialibus necessitatibus est cognatio; quale est fornicantem sponsum tolerare, suspiciones falsas sustinere, procedendi sæpe utiliter in publicum potestate privari, de alimentis inquirere, ornatam zelotypiæ obnoxiam esse, despicatui duci, priusquam

[1] 1 Cor. VII, 34.

pepererit, quasi quæ nondum uxor facta sit; ubi pepererit, ob pignora in crimina incurrere. Partu edita est quæpiam femina? quod natus non sit masculus, tetricum maritus vultum gerit: adjectus est et masculus? editus est fœtus? sed qui formosus non est: eleganti est forma uterque? tanquam de pulchris acerbior cura incessit: depulsi sunt a lacte? rursus anxietas educationis succedit: cum sani fuerint, metus ne ægrotent: cum ægrotaverint, formido ne moriantur: cum mortui fuerint, metus ne deinceps tanquam prole carens contemnatur: cum mortui non fuerint, ut de viventibus, gravior sollicitudo incumbit; unde liberis ad institutionem sumptus: unde conjugalis fœderis apparatus; unde vestimentorum decor; unde famulorum unicuique distributio: quænam ex bonis majori attribuet; quo pacto minoris invidiam mitigabit. « Quæ non est » nupta cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta et corpore, » et spiritu. » Non matrimonii naturam traduco: est enim illud generis providentia communis, sed conjugatorum curas divulgo: carnalibus curis cœlestes curas antepono: pulchro id, quod pulchrius est, præfero. Virgo etiam pœna, qua Eva mulctata est, superior evasit: illud enim, « Ad » virum tuum conversio tua, et ipse tui dominabitur[1]: » in eas, quæ virorum dominatu non premuntur, invalidum est: illud, « In doloribus paries filios, » in eas quæ virginitatem colunt, otiosum est: nam quæ minime parit, a gravium partus dolorum sententia est immunis. Jam virgo futuræ vitæ pignoribus oblectaris: jam familiaris est tibi sanctificatio resurrectionis. « In resurrectione enim, in» quit, neque nubunt, neque nubuntur[2]: » propterea hujusce rei plane ingens est lapsus, quandoquidem et recte factum est ingens: ideo virginitatem colentis scelestior est, quam meretricis lascivia: non enim par est ratio corrup-

[1] Gen. III, 16. — [2] Matth. XXII, 30.

tionis virginitatem colentis, atque meretricis: non par ratio corruptionis privatæ feminæ, ac reginæ: non par est ratio furti vasis sacris usibus destinati, ac vulgaris. Vas enim est sacris usibus destinatum virgo, purpurea vestis, quam alteri non licet, quam regi universorum adaptari; sponsa, quæ virgineas nuptias semper retinet. O beatas nuptias, quarum torus est virginitas! harum causa beatæ martyri tot discrimina fuere subeunda. Viderat quippe sponsi pulchritudinem, et ab ejus contuitu non avellebatur. Instabat mater, quæ ad nuptias impellebat: at illa sponsum cœlestem his vocibus compellabat, « Ad te levavi » oculos meos, qui habitas in cœlo[1]. » Accedebat procus nuptiali eam colloquio titillans: at illa se cum Christo tacite conjungebat dicens, « Adhæsit anima mea post te[2]: » confluebant adulationibus captantes propinqui: at illius menti Paulus contestans obversabatur: « Despondi te uni » viro virginem castam exhibere Christo[3]: » supplicabant servi cum lacrymis, at illa sponso amatorie concinebat: « Quis nos separabit a charitate Christi[4]? terrebant judices pœnis, at omnes illa magno animo proculcans clamabat, « Principes non sunt timori bonis operibus, sed ma» lis[5]. » Cum vero statuas virginitatis etiam in viis erigi martyri oporteret, talis quædam puellæ est exorta tentatio. Liberata judicio, Pauli prædam sectabatur, et rumorem secuta ducem viis, quæ ad Paulum ferebant, sese est ausa committere. Porro diabolus puellam observabat, et cum iter agentem observasset, hostem immittit in puellam procum, virginitatis tanquam in deserto prædonem. Cumque jam iter perficeret, generosæ virgini admissarius a tergo procus et acer indagator; captam eam esse jam inclamabat; difficiles undique angustiæ urgebant; robustus

[1] Psal. CXXII, 21. — [2] Id. LXII, 9. — [3] 2 Cor. XI, 2. — [4] Rom. VIII, 35. — [5] Id. XIII, 3.

erat, qui bellum inferebat; infirma, cui bellum inferebatur. Ubinam aliquod illi a perfugio illo perfugium? Tum vero in cœlum conversa virgo ad eum, qui omnibus ubique ipsum invocantibus adest, cum lamentis clamabat, « Domine Deus meus in te speravi[1]. »

SERMO

In commemorationem S. Bassi: *habitus est sermo de timore, et de verbis illis*, Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde[2].

I. Nos quidem par erat[3], postquam in vos tantus de moae fons orationis effusus est, et cum hoc tempore, atque a præcedentibus sacerdotibus ac doctoribus copiosa vobis spiritualis est instructa mensa, pauperculas nostrorum verborum stillas reprimere, cum præsertim diuturna corporis ægritudine, ac vocis imbecillitate, atque adeo curis sibi succedentibus præpediti simus, o Christi amantes auditores : sed quoniam inexplebili concionum sacrarum amore correpti nos ad dicendum invitatis, age Salvatoris gratia bene juvante paucis probitati vestræ, quæ tempori quadrent et conveniant, apponamus. Hoc enim et nobis qui dicimus, et vobis qui auditis aptius est, opinor, qui ratione ac mente vobis quæ meliora sunt et utilia comparatis. Ac sanctus quidem et celebris Martyr et Episcopus Bassus, qui sacrum nobis hunc conventum hodie congregavit, iis præmiis, quæ suis promeruit certaminibus, jam potitur,

[1] Psal. VII, 2. — [2] Matth. XI, 19. — [3] Vide D. Guillon, tom. XV, p. 479-481.

nec ulla nostrarum laudum collatione vel pensione nunc indiget, sed pro nobis, ut solet ad Dominum preces fundit, utpote qui propter agonem martyrii, loquendi libertate gratiaque plurimum valeat, et immortalitatis corona donatus sit, quam etiam Christus fidelibus præparavit. Copiosa sunt enim ut testatur Apostolus, Dei dona, qui et olim Martyrum munera iis, qui sincere ipsum invocant, dilargitus est, et nunc præcipue cum annua paulo post memoria timoris illius celebranda sit, et ad Deum laudandum ob terribiles illas minas benigna et misericors ira Dei nos provocet. Vidimus enim revera furorem ex quo benignitas coruscabat, cum nos undique timor terræ motus obsideret, cum creaturas omnes concuti cerneremus, ac pavimentum magno impetu quassari; Salvator autem miserationum suarum nequaquam oblivisceretur, cum acerbum interitum expectaremus, cum nostras ædes continuo sepulcra nostra futuras putaremus, cum agitatione detenti locum modumve perfugii nullum reperiremus, cum ad medium diei pervenientes nequaquam visuros nos vesperam speraremus, cum sursum appensus gladius immineret, ac deorsum beneficentia se cum precibus strenue gereret, cum una voce populi, Domine miserere, clamarent, et Dominus miserationibus flecteretur: qui enim intuitu solo commovet, manu trementem creaturam sedavit. Cur non paucis ista complector? quo tempore, nisi Dominus Sabaoth adjuvisset nos, paulo minus habitasset in inferno anima nostra[1]. Quem enim non stupore defigit magnitudo misericordiæ Salvatoris? quos animos ad gratias agendas non incitant, quæ tum acciderunt, neque solum quæ tum temporis, sed etiam quæ deinde ac paulo ante nobis occurrerunt? Terræ firmamenta commovit, ædium fundamenta concussit, domus tan-

[1] Psal. XCIII, 17.

quam onerariæ naves in maris fluctibus jactabantur, judiciales oculos tantum ostendit, et perinde ac si mediis in aquis versaremur, agitabamur omnes. Multus erat timor, ac multis partibus copiosior est timore misericordia. Cum enim creaturam agitaret, non evertit, cum universa concuteret, non solo æquavit, neque tota creaturarum pulchritudine terram nudavit. Sola tecta concussit, ut hoc pacto solum admoneremur, at interitus ne gustum quidem nos voluit delibare. Tantum ejus in nos commiserationis est pelagus. Sed et quod terræ columnas concusserit, hoc ipso de nobis sollicitum ac misericordem se prodidit. Vidit enim prævaricatores nos esse, atque irritare illum solere, vidit rapinas adamare : vidit nos domum domui jungere, et agrum cum agro copulare, ut proximo quidpiam auferamus. Vidit orphanorum nequaquam misereri, neque judicio viduarum operam dare. Vidit a doctoribus contraria fieri eorum, quæ facienda dicebant, vidit turbidis theatrorum spectaculis addictos discipulos, Ecclesiasticum ordinem ac concinnitatem probro afficere, vidit in nequitia et invidia vivere, vidit fraudem cum invidia copulare, vidit simulationis procellas simpliciores tanquam navigia submergere, vidit animi proposito necare, vidit quantum possumus injuriam inferre, vidit naufragium pati charitatem, fraudem vero in hoc vitæ pelago navigationis secundum cursum tenere, vidit a veritate resilire, atque mendacio adhærere ; denique ut uno verbo dicam, vidit mammonæ potius quam Domino servire, sicque terram trementem nobis tanquam pædagogum pueris admovit, et indulgentis matris viscera exhibuit, quæ sæpenumero pendentem ab ubere filium suum ac plorantem ab illa volens abducere consuetudine, parvum illum lectulum vehementer concutit, non ut stupore percellat infantem, sed ut terreat : sic nimirum et

Dominus universorum, qui terrarum orbem manu gestat, illum concutit, non ut evertat, sed ut eos qui insolenter se gerunt, ad salutem convertat.

II. Neque vero quisquam reprehendat, quod cum indulgente matre Dominum comparaverimus, quandoquidem in Evangeliis se ipsum Dominus ipse cum gallina contulit dicens : « Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis Prophetas, » et lapidas eos, qui ad te missi sunt, quoties volui congre» gare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos » suos, et noluisti [1] ? » Terram igitur expertem animæ benignus Deus commovit, ut eam quæ anima prædita est, ab inordinatis motibus revocaret : carnis interitum comminatus est, ut nobis ab animæ exitio caveamus. Vides, o pie Christiane, quanta sit creatoris erga nos misericordia? vides benignitatem ex comminationibus effulgere? vides miserationem prævenire indignationem? vides sententiam bonitate superari? Neque id sane mirum : ipse nunc etiam mitis ac benignus est Dominus noster, more solito de salute nostra sollicitus, qui clara voce clamat in Evangeliis, ut paulo ante nobis legebatur : « Venite, dis» cite a me, quia mitis sum, et humilis corde [2]. » O quanta creatoris est demissio! nec tamen creatura reveretur. Venite, discite a me, quando advenerit dominus ad servos, qui prolapsi fuerant, consolandos. Ita se gerit erga nos Christus, misericordiæ specimen edit, cum peccatorem puniri oporteret, cum eorum genus omne delere, qui ipsum irritaverant, mansuetis reos verbis alloquitur. « Ve» nite, discite a me, quia mitis sum, et humilis corde. » Deus humilis est, et homo sublimis : mansuetus est judex, et reus superbus : humilem artifex vocem mittit, et lutum quasi rex quispiam loquitur. « Venite, discite a me, quia » mitis sum, et humilis corde. » Non flexerunt vos, quæ

[1] Matth. XXIII, 37. — [2] Id. XI, 29.

præcesserunt, non exorarunt vos, quæ deinde, quæque paulo ante acciderunt, quemadmodum tunc, nunc etiam creaturam cum commovisset, rursus eam misericordia usus firmavit; « Venite igitur, discite a me, quia mitis » sum, et humilis corde. » Non flagellum gestat, quo verberet, sed naturam, qua medeatur. Venite atque ineffabilem benignitatem videte. Quis herum minime verberantem non diligit? quis judicem reo supplicantem non miratur? Omnino verborum humilitas te in admirationem traducit: opifex sum, et opus meum diligo: faber sum, et ei parco, quem fabricatus sum. Si meæ dignitatis jure summo utar, collapsam naturam humanam minime liberabo, et immedicabili morbo laboranti nisi lenia medicamenta adhibeam, convalescere illa minime poterit: nisi benigne atque humaniter tractem, necatur: si minas solum intentem, interimitur. Idcirco jacenti emplastra lenitatis appono: plurimum ex commiseratione me submitto, ut eam lapsam erigam. Jacentem et abjectum a lapsu non excitat ille qui stat, nisi manum et ipse demittat. « Venite, discite » a me, quia mitis sum, et humilis corde. » Non ad ostentationem verba profero, rerum experientiam vobis exhibui, quia mitis sum, et humilis corde, ex eo statu collige, in quem devenisse me vides. Formam intuere meam, et quæ sit dignitas mea, cum animo tuo reputa, meque adora, quod tua causa me demiserim. Cogita unde profectus sim, et quo in loco tecum colloquar, cum mihi cœlum sedes esset, nunc te alloquens versor in terris. Sursum glorificor, et ut longanimis non irascor, quia mitis sum et humilis corde. Nisi mitis essem Regis filius, matrem servam non elegissem: nisi mitis essem, invisibilis et visibilis substantiæ opifex, peregre ad vos non venissem. Nisi mitis essem, involutus fasciis non fuissem, qui sæculorum sum pater. Nisi humilis essem, paupertatem præsepii non

subiissem, qui creaturæ possideo divitias universæ. Nisi mitis essem, non cum jumentis versarer is, quem neque Cherubim possunt intueri. Nisi mitis essem, nunquam ego qui expuendo cæcis lumen infundo, ab improborum labiis consputus essem. Nisi mitis essem, nunquam ego, qui servos manumitto, servilem alapam tolerassem. Nisi mitis essem, dorsum meum ad flagella pro mancipiis sustinenda non præbuissem. Sed cur ego, quod majus est, non profero? nisi mitis essem, cum alii pati deberent, non utique ego qui nihil debebam, mortis pro illis debitum exsolvissem. Ego vero exsolvi, ut pro illis qui deorsum apud inferos detinebantur, mulctam supplicii numerarem. Non enim vivorum tantum rex sum, sed etiam dominus mortuorum. Propterea viam utramque dispensationis insistens veni. Homo apparui, factus sum et ad modicum tempus mortuus, ut omnibus etiam qui sub terra erant, incorruptionis meæ donum impertirem. « Venite, discite a me, quia mitis » sum, et humilis corde. » Ab animi proposito, non a natura est vilitas mea. Inaccessibili substantia præditus sum, sed mente, quæ se ad omnes extendit. Venite, discite a me, quia mitis sum, et humilis corde, non dignitate. Modicus sum, si spectes animi propositum, non si potentiam. Angelis terribilis sum propter potentiam : hominibus propter animi propositum sum humilis. « Venite, discite a me, » quia mitis sum, et humilis corde. » Non pro naturæ meæ conditione loquor : sed prout misericordiam meam decet, verba facio. Multo mihi carior est mansuetudo, quam potestas. Rex sum ego, qui te alloquor : magna quidem virtute polleo, sed nolo potentia, quæ mihi suppetit, tuam imbecillitatem perterrefacere. Non dico, Venite, discite a me, quia dominus sum, ego qui dominor creaturis, qui respicio terram, et efficio ut tremat, qui cœlum metior palmo, et terram pugno teneo : sed, « Venite, discite a me,

» quia mitis sum, et humilis corde[1]. » Ita sum mitis : peccasti tu, et ego flagellis sum cæsus. Ita sponte sum humilis. Veni ego, ut eos qui servitute premebantur, in libertatem vindicarem, et ipsi me liberatorem alapis ceciderunt simul, et in crucem sustulerunt, qui servitute premebantur, et postea patrem meum pro ipsis rogans dicebam : « Pater dimitte illis : non enim sciunt, quid faciunt. Ve» nite igitur, discite a me, quia mitis sum, et humilis » corde[2]. » Venite, supplico et precor, non me pudet supplicare, servos meos orare contentus sum, ne cogar punire. Venite, discite a me mansuetudinem prius, quam terribilem potentiam spectetis. Venite, nunc medeor, paulo post rationes subducam. Nunc parco, paulo post sententiam feram : nunc sum misericors, paulo post justus judex apparebo. Venite, discite a me, quia mitis sum, et humilis corde. Vel mansuetudinem honorate, vel potentiam pertimescite. Venite, præoccupate faciem meam in confessione. Tempore quippe mansuetudo ista mea discriminata est.

III. Ad hanc solam vitam præsentem pertinet, ut longanimitatis meæ specimen edam : veniet tempus, quo mansuetudinis hujus meæ porta claudetur. Veniet tempus, quo lacrymæ peccatorum stillantes nihil proderunt : veniet tempus, quo undique clangentes tubæ secundum adventum meum indicabunt : quando terram percurrentes universam Angeli multa mortuorum millia in judicium adducent : quando tribunal meum collocabitur, et super cœlestes Virtutes vectus incedam : quando principatus et potestates venientis latus stipabunt : quando regni mei luminaria mundum universum illuminabunt : quando libri aperientur eorum, quæ unusquisque gessit in vita : quando legis observatio exigetur, et dæmonum exactum ratiocinium pro-

[1] Isaï. XL, 12. — [2] Luc. XXIII, 34.

feretur : quando reus sistetur, cui sola opera poterunt patrocinari : quando cogitationes accusabunt, et conscientia convincet : quando maligni spiritus verba judicis attendent : quando fornax sententiam judicis expectabit : quando verbum illud, Miserere, jam non amplius clamanti proderit. Venite igitur antequam fores miserationum mearum occludam; antequam vitæ nundinas finiri contingat, antequam vitæ spectaculum præterierit. Præstitutum enim tempus finis sæculi est in januis, venite, priusquam incipiam judicare. Si enim jam sedens incipiam judicium exercere, non amplius condonabo. Propterea fatuarum virginum exemplum patefeci[1], quarum vitæ lampades, quod oleum justitiæ non haberent, extinctæ sunt, et quo pacto fores illis conclavis sponsi occlusæ sint, quo pacto pulsantibus illis ex interiori ædium parte responderim, « Nescio vos, » quibus verbis judicis vocem, qua peccatores alloquetur, expressi. Si ergo dominicam benignitatem, fratres, ex Salvatoris verbis didicimus, ne judicem spernamus, qui mitibus verbis nos ante judicii tempus alloquitur, ne pœnitentiæ occasionem amittamus : bonis operibus et eleemosynis animas nostras vestiamus : unusquisque nostrum ad vitam æternam adipiscendam necessarium comparet commeatum, ab iniquis actionibus abstineamus. Si enim fidem nostram inconcussam in bonis operibus conservemus, creaturæ nobiscum inconcussæ permanebunt. Animas nostras castitate decoremus, et puræ fidei inæstimabilem margaritam tuto nobis insuper acquiramus, antequam vitæ nostræ tempus elabatur, antequam figura mundi, et flos gloriæ, et omnes terrenæ deliciæ tollantur et pereant, incorruptum judicem nobis conciliemus. Ipse enim est, qui dicit : « Vivo ego, dicit Domi» nus, nolo mortem peccatoris, sicut converti eum et vi-

[1] Matth. xxv, 1.

» vere[1]. » Si punire cuperet peccatorem, taceret : misereri vult, propterea monet : parcit, idcirco hortatur : prædicendo terret te, ne reipsa in periculum incidas. Deus enim cum minatur, servare vult : cum vero silet, statuit castigare. Possumus ex aliorum experimentis hoc discere. Comminatus est Ninivitis, et pepercit : tacuit apud Sodomitas, et punivit. Coronas præparavit, nisi tormenta nobis ipsis inferamus. Cupit gehennam otiari : cupit tenebrarum carcerem claudere : cupit iram omnem diabolo reservare : cupit judex sedere, non ut aliquos puniat, sed ut omnes coronet. Cum igitur talem dominum habeamus : præripiamus benignam illam vocem, pareamus dicenti : « Venite, » discite a me, quia mitis sum et humilis corde[2], » ut et optabilem illam, ac felicem vocem audire mereamur dicentem : « Venite, benedicti patris mei, possidete paratum » vobis regnum[3] : » quo nos omnes utinam potiri contingat gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri gloria una cum Spiritu sancto, in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO

Cum episcopus martyrum diem ruri celebratum abiisset, habitus est in urbe sermo in martyres, et de compunctione cordis et eleemosyna.

I. Heri Martyrum dies fuit, sed et hodie Martyrum dies est. Atque utinam semper diem Martyrum celebraremus. Si enim illi, qui insano theatrorum amore ducun-

[1] Ezech. XVIII, 32. — [2] Matth. XI, 29. — [3] Id. XXV, 34.

tur, et Circenses ludos ad stuporem usque mirantur, nunquam turpibus illis spectaculis satiantur : multo æquius est, ut Sanctorum festivitatis celebratio nobis satietatem et fastidium nunquam pariat. Illic pompa est diabolica, hic festivitas christiana : illic exultant dæmones, hic Angeli choreas ducunt : illic animarum pernicies, hic salus eorum omnium, qui congregantur. At habent illa quamdam voluptatem ? Non sane tantam, quantam ista. Quæ enim, quæso, voluptas temere et quoquo modo currentes equos cernere ? hic vero non jugum brutorum animalium spectas, sed Martyrum mille currus, et Deum qui curribus istis præsidet, atque in cœlum iter agit. Ut enim intelligas Sanctorum animas Dei currum esse, audi Prophetam dicentem : « Currus Dei decem millibus multi» plex, millia lætantium [1] » Quod enim supernis Virtutibus dono dedit, hoc et naturæ nostræ largitus est. Super Cherubim sedet, sicut ait Psalmus : « Ascendit super Che» rubim et volavit [2] : » et rursus, « Qui sedes super Cheru» bim, et intueris abyssos [3] : » hoc etiam nobis rursus contulit. Sedet super illos, in nobis habitat. « Inhabitabo enim » et inambulabo in vobis [4]. » Illi facti sunt currus, nos templum fiamus. Vides cognationem honoris ? vides quo pacto pacificarit quæ in cœlis sunt, et quæ in terra [5] ? Itaque nihil ab Angelis differimus, si velimus : sed quod in exordio sermonis dicebam, heri Martyrum dies, et hodie Martyrum dies, non eorum qui apud nos sunt, sed eorum qui in villa : imovero illi quoque apud nos sunt. Nam in sæcularibus quidem negotiis a se invicem dissident civitas et villa : in iis autem quæ ad religionem pertinent, communicant et uniuntur inter se invicem. Noli enim barbaram ipsorum linguam spectare, sed animum ipsorum philoso-

[1] Psal. LXVII, 18. — [2] Id. XVII, 11. — [3] Dan. III, 55. — [4] Levit. XXVI, 12, et 2 Cor. VI, 16. — [5] Coloss. I, 20.

phia excultum. Quid enim linguæ communio prodest, si animi sint divisi? quid vero diversitas linguæ nocet, si fide jungamur? Hac ratione neque villa deterioris conditionis quam civitas, cum in eo, quod bonorum caput est, æqualem honorem sortiantur. Propterea quoque Dominus noster Jesus Christus non in urbibus versabatur[1], et villas vacuas ac desertas relinquebat, sed peragrabat civitates et castella prædicans Evangelium et sanans omnem languorem et omnem infirmitatem. Hunc et communis pastor noster ac doctor imitatus nos deseruit, et ad illos profectus est: imovero non deseruit nos, cum ad illos abiit, quippe qui ad fratres nostros abierit. Et quemadmodum cum Macchabæorum festum celebraretur, in urbem villa omnis effusa est: ita cum Martyrum, qui illic quiescunt, festum ageretur, nunc urbem totam ad illos oportuit se transferre. Propterea namque non in urbibus tantum collocavit Martyres Deus, sed etiam in villis ipsis, ut ex diebus festis commercii et colloquii necessaria nobis occasio detur: atque adeo plures in villis, quam in urbe. Inferiori enim abundantiorem honorem impertiit Deus[1], quod imbecillior sit pars illa, propterea majori eam subsidio cultuque dignatus est. Nam ii quidem qui urbes incolunt, assidua doctrina fruuntur: at qui degunt in agris, non tanta largitate potiuntur. Itaque doctorum penuriam Martyrum abundantia solatus est Deus[2], et ita disposuit, ut plures apud illos Martyres sepelirentur. Illi doctorum quidem linguam perpetuo non audiunt, sed Martyrum vocem e sepulcro resonantem et ipsos alloquentem, quæ multo majori virtute pollet. Atque ut intelligatis majori pollere virtute Martyres etiam silentes, quam nos qui loquimur; multi sæpenumero dum apud multos de virtute verba faciunt, nihil profecerunt: alii vero etiam tacentes ob vitæ

[1] Luc. XIII. et Matth. IV, 24. — [2] 1 Cor. XII, 25.

integritatem et splendorem multa egregia facinora patrarunt : itaque multo amplius Martyres hoc fecerunt, non quidem lingua efformatam vocem mittentes, sed illam quæ ex rebus ipsis multo clarius resonat, quam quæ ore profertur, qua nimirum totum genus humanum alloquuntur his verbis utentes : Respicite in nos, qualia passi fuerimus mala. Quid enim passi sumus , qui ad mortem damnati sumus, ac vitam æternam adepti sumus? Digni habiti sumus, qui propter Christum corpora poneremus : quod si nunc illis nos non exuissemus, paulo post etiam inviti temporariam hanc illorum vitam amissuri eramus. Si non advenisset martyrium , eaque nobis abstulisset, at communis naturæ nostræ mors nos invasisset, eaque plane dissolvisset. Propterea Deo gratias agere non cessamus, quod ejus beneficio nobis contigerit, ut morte, quæ omnino nobis oppetenda erat, ad nostrarum salutem animarum uteremur, quodque rem necessario debitam tanquam donum aliquod, ac summi genus honoris a nobis acceperit. At enim molesta sunt et acerba tormenta? sed brevi temporis momento feruntur : quæ vero per illa voluptas acquiritur, sempiternis sæculis coæva durat : imovero ne brevi quidem temporis momento molesta sunt tormenta illis, qui futura respiciunt, et ad certaminis præsidem ac remuneratorem aspirant. Siquidem beatus etiam Stephanus quia Christum oculis fidei spectabat, propterea lapidum imbres non respiciebat[1], sed illorum loco præmia coronasque numerabat. Tu igitur a rebus quoque præsentibus oculos tuos ad futura converte, ac ne brevem quidem capies sensum malorum.

II. Hæc et his plura dicunt Martyres, multoque melius, quam nos persuadent. Nam ego quidem si nihil habere molestiæ tormentum dicam, fide dignus minime videor,

[1] Act. VII, 55.

dum ita loquor : nihil quippe difficile verbis hoc pacto philosophari : at ex ipsis operibus erumpentem vocem Martyr emittens, neminem habet, qui contradicat. Et quemadmodum fieri solet intus in balneis, ubi calidarum aquarum fervet lavacrum, nec descendere quisquam audet : quandiu quidem se invicem verbis cohortantur, qui ad oram balnei sedent, nemini tamen persuadent : ubi vero quispiam ex illis aut manum demiserit, aut laxato pede totum corpus confidenter immiserit, quamvis tacens multo melius quam qui multa verba facerent, eos qui superiori loco sedent adducet, ut in lavacrum audeant insilire : sic etiam fit in Martyribus. Hic enim loco lavacri aquæ propositus est rogus. Ergo qui foris circumstant, licet innumeris verbis cohortentur, non admodum commovent : ubi vero Martyr unus non pedem, non manum tantum demiserit, sed totum corpus injecerit, tum ipsa rerum experientia vehementius quam cohortatione vel consilio quovis impellit, et ex animis circumstantium timorem expellit. Videtis, ut potentior sit quamvis tacentium vox ista Martyrum? Propterea nobis illorum corpora dereliquit Deus : propterea cum olim vicerint, necdum tamen resurrexerunt, sed certamina quidem a tam multo tempore subierunt, resurrectionem vero nondum sunt consecuti, nondum propter te, ac propter tuam utilitatem, ut cum illum athletam tibi ante oculos posueris, ad eumdem cursum exciteris. Nam isti quidem nullum detrimentum ex dilatione patiuntur : at tibi maximam hæc occasio utilitatem parit. Siquidem illi postea recipient, licet nunc non recipiant : quod si eos de medio nunc abripuisset Deus, multa nos cohortatione solatioque privasset, quod ex Sanctorum istorum sepulcris ab hominibus cunctis percipitur. Atque ea quæ dicimus, vos vestro testimonio comprobatis. Sæpe namque quantumvis minaremur, blandiremur, terreremus,

cohortaremur, non tanta estis ad orandum animi alacritate commoti nec excitati : cum vero ad Martyrum Ecclesiam vos contulistis, nemine consulente, solo Sanctorum conspecto sepulcro copiosos lacrymarum fontes effudistis, et inter orandum fervore non mediocri exarsistis. Atqui mutus summo cum silentio jacet Martyr : quid ergo tandem est, quod conscientiam pungit, efficitque, ut lacrymarum scatebræ tanquam ex fonte prosiliant? Quod nimirum Martyres mente versetis, et rerum ab illis gestarum vobis memoria refricetur. Nam quemadmodum pauperes, ubi divites alios viderint in dignitatibus constitutos, satellitio stipatos, multis honoribus ab Imperatore cumulatos, dum melius egestatem suam ex aliorum prosperitate cognoscunt, ingemiscunt : ita nos quoque dum quantam apud universorum Regem Deum fiduciam habeant Martyres, recordamur, quantoque splendore, et quanta gloria fulgeant, nostraque nobis in memoriam peccata redeunt, dum penuriam nostram melius ex illorum opibus animadvertimus, dolemus et angimur, dum intelligimus, quanto ab illis intervallo superemur : atque hoc est, quod nobis lacrymas elicit. Propterea nobis hic corpora reliquit Deus, ut si quando negotiorum turba, curarumque sæcularium multitudo menti nostræ caliginem multam offuderit, sive ex domesticis sive publicis ex negotiis, qualia multa nasci solent impedimenta; tum relicta domo ex urbe egressi, his tumultibus vale dicentes ad Martyrum Ecclesiam nos conferamus, aura illa spirituali fruamur, multarum occupationum obliviscamur, quiete nos oblectemus, cum Sanctis versemur, pro salute nostra præsidem certaminum ipsorum ac muneratorem oremus, multas preces fundamus, atque horum omnium opera cum onus conscientiæ deposuerimus, multa cum animi voluptate domum iterum revertamur. Nihil aliud sunt Martyrum capsulæ, quam

securi portus, ac spiritualium laticum fontes, inviolati opum thesauri, qui nunquam exhauriuntur. Et quemadmodum portus dum multis fluctibus circumfusas naves excipiunt, in tuto eas collocant : sic nimirum et Martyrum capsulæ, dum sæcularibus negotiis circumfusas animas nostras excipiunt, in multa illas tranquillitate, ac securitate constituunt : et quemadmodum gelidarum fontes aquarum afflicta laboribus et calore defessa corpora recreant : sic nimirum et istæ pravis inflammatas affectibus animas refrigerant, et obscœnam cupiditatem, invidiam exedentem, iramque ferventem, et si quid aliud ejusmodi negotium facessit, solo aspectu sedant et extingunt. Enimvero thesauris etiam longe sunt potiores : siquidem pecuniarum thesauri multa illis, a quibus inventi fuerint, creant pericula, cumque multas divisi in partes fuerint, divisione minuuntur : hic vero nihil tale est, sed expers periculi est inventio : neque diminutionem affert divisio, planeque contrarium evenit, quod sensilium rerum thesauris. Nam illi quidem, ut ante dixi, si multas dissecti in partes fuerint, minores fiunt : isti vero cum in multos fuerint distributi, tum suam magis opulentiam ostendunt. Talis quippe rerum est spiritualium natura, distributione crescit, et divisione multiplicatur. Non ita nos prata delectant, dum rosas violasque spectandas suppeditant, ac Martyrum tumuli, dum nunquam marcescentem et indissolubilem spectatorum animis afferunt voluptatem.

III. Thecas igitur illas cum fide complectamur, inardescamus mente, gemitus profundamus. Multa sunt a nobis admissa delicta, et magna sunt nostra peccata : propterea multa medicina, et diligenti confessione indigemus. Effuderunt sanguinem sancti Martyres, oculi tui lacrymas tibi effundant; possunt et lacrymæ peccatorum rogum extinguere. Lacerata fuerunt illis latera, carnifices vide-

bant circumstantes : id ipsum tu quoque adversus tuam conscientiam præsta. Rationem tanquam incorruptum judicem in solio mentis colloca, et quæ a te commissa sunt, omnia profer in medium, severas ac terribiles præficiens cogitationes peccatis, obscœnos animi motus castiga, ex quibus peccata sunt nata, et acriter acerbeque torqueantur. Si nos ita ad judicium in nosmetipsos exercendum comparemus, tremendum illud tribunal evitabimus. Ut enim scias eum, qui se ipsum nunc judicat, et admissorum peccatorum severam a se rationem exigit, pœnas in futurum minime daturum, audi testantem id Apostolum : « Si enim nosmetipsos judicaremus, non utique a Domino judicaremur[1]. » Reprehendens enim eos, qui indigne mysteriorum fiebant participes, ita dicebat : « Qui manducat, et bibit indigne, reus erit Corporis et Sanguinis Domini. » Ejus autem verborum hic sensus est : Quemadmodum illi, qui Jesum crucifixerunt, inquit, sic et illi qui indigne fiunt mysteriorum participes, pœnas dabunt. Neque vero severitatem orationis illius quisquam condemnet. Regia vestis est corpus dominicum : porro et qui regiam purpuram dilaceravit, et qui manibus immundis inquinavit, pari eam contumelia affecerunt; quamobrem et pari supplicio plectuntur : ita fit et in corpore Christi. Judæi quidem illud clavis in cruce disruperunt, tu vero dum in peccatis, et immunda lingua ac mente vivis : quam ob causam et idem tibi supplicium imminere dixit Paulus, et adjicit dicens : « Ideo inter vos multi infirmi, et imbecilles, et dormiunt multi. » Deinde, ut ostendat fore, ut qui peccatorum rationem a se ipsis exigunt in hac vita, et in sua delicta judicium exercent, nec amplius in eadem recidunt, facile possint tremendam illam et implacabilem sententiam futuram evadere, adjunxit

[1] 1 Cor. xi, 31.

dicens : « Etenim si nosmetipsos judicaremus, non utique » judicaremur : nunc autem dum judicamur, a Domino » corripimur, ut non cum mundo damnemur. » Nostram igitur mentem torqueamus, lascivas cogitationes castigemus, maculas nostras lacrymis abstergamus : magnus ejusmodi planctuum fructus est, magnum subsidium et solatium. Ut enim risui ac deliciis magnum supplicium imminet, sic et perennis planctus solatium parit. « Beati » quippe, « qui lugent, quoniam consolabuntur[1]. Væ illis qui » rident, quoniam ipsi flebunt[2]. » Idcirco etiam Paulus tametsi nullius sibi conscius peccati esset, in lacrymis et luctu tempus omne traducebat. Quis hoc dicit? ille ipse vir beatus : « Per triennium, inquit, nocte et die non ces- » savi cum lacrymis monens unumquemque vestrum[3]. » Ille per triennium, nos saltem ad mensem unum : ille nocte et die, ille propter aliena peccata, nos saltem propter nostra delicta : ille nullius rei sibi conscius, nos saltem ut nostram conscientiam onere pressam levemus. Qua vero de causa plorat? Cur non docet, et admonet tantum, sed et lacrymas adjungit? Quemadmodum pater indulgens, qui filium habet unigenitum morbo correptum, medicamenta non admittentem, sed rejicientem, assidens illi blanditur, deosculatur, amplectitur, omnique genere blanditiarum flectere conatur, ac persuadere, ut medicinæ remediis morbum velit depellere : sic et Paulus toto dispersos orbe terrarum fideles tanquam unigenitum filium amore complectens, cum plurimos videret in peccata prolapsos, et immedicabilibus animi morbis correptos, deinde reprehensionis et castigationis medelam non admittere, sed repudiare, ac resilire, lacrymis eos detinebat, ut cum gementem ac lugentem illum cernerent, ipso ejus aspectu commoti medicinam ferrent, ac depulsa ægritudine pris-

[1] Matth. v, 4. — [2] Luc. vi, 25. — [3] Act. xx, 31.

tinam valetudinem recuperarent : propterea monens semper lacrymabatur. Quod si tantam alienorum peccatorum curam gerit Paulus, quanto nos animi studio par est ad nostrorum emendationem incumbere? Magna enim vis est tristitiæ secundum Deum, prodestque plurimum : quod cum nobis Hesaïas vellet exponere, ita dicebat, vel potius Deus per Hesaïam : «Propter peccatum ad modicum con» tristavi eum[1]. » Ne pro meritis quidem, inquit, delictorum ab eo pœnas exegi. Nam in recte factis quidem remunerandis Deus præmiis suis modum excedit : cum autem peccata castiganda sunt, præ nimia sua benignitate modico supplicio delicta vindicat, idque ut hoc loco innueret dixit, «Propter peccatum ad modicum contristavi eum, » et vidi, quia contristatus est, et ambulavit tristis, et » vias ejus sanavi. »

IV. Vides ut celerrima sit, et summa utilitas pœnitentiæ? Cum parumper eum propter peccata castigassem, inquit, quoniam mœstum illum ac tristem esse factum vidi, etiam modicam illam pœnam condonavi : adeo promptus ac paratus est, ut reconcilietur nobiscum Deus, et perexiguam tantum occasionem requirit. Præbeamus igitur illi occasionem amoris erga nos, et a peccatis nos immunes conservare nitamur : quod si forte supplantati fuerimus aliquando, cito consurgamus, ac delicta nostra vehementer lugeamus, ut gaudium secundum Deum consequamur. Si enim eo quod contristatus esset, et ambularet mœstus, Deum sibi reconciliavit : qui etiam lacrymas addit, eumque maxima cum animi contentione vocat, quid non præstabit? Scio vestram mentem inflammatam esse : verum ut foras egressis nobis ardor iste non refrigescat, sed in nobis illum foveamus, hoc agamus. Fertilis est ager mentis vestræ, semina suscipit, et confestim spicas pro-

[1] Isaï. LVII, 17.

ducit, non indiget dilatione vel tempore : sed inimicum vestrum reformido. Extra Ecclesiam stat diabolus, quippe sacrum istud in ovile non audet intrare. Ubi enim Christi grex est, lupus non comparet, sed foris stat, quod pastorem reformidet. Si egressi hinc fuerimus, ne statim nos ad intempestivos congressus, aut otiosa colloquia, et inutiles occupationes traducamus : sed dum recens adhuc viget in nobis eorum, quæ dicta sunt, memoria, domum properemus, et cum uxore ac liberis sedens unusquisque accurate, quæ audiverit, meditetur. Quod si domum regredi nolitis, vobis amicos colligite, atque in communionem eorum quæ audieritis eos vocantes privatim considete, atque unusquisque proferens quæ potuit memoria tenere, rursus alteram doctrinæ sacræ lectionem instituite, ne frustra hic interfuisse concioni videamini. Lucerna quippe sunt Dei mandata[1] : siquidem mandatum legis est lucerna, et lux, et vita, et correptio, et disciplina : porro qui lucernam accendit, non in foro residet, sed domum properat, ne ventorum incursu ignis extinguatur, neve longa mora flammam absumat : ita nimirum et nos faciamus. Nobis Spiritus sanctus suam doctrinam accendit, egressi ergo, atque audito sermone repleti sive amicum, sive propinquum, sive domesticum, sive alium quemvis nobis videamus occurrere, prætereamus, ne si cum illo colloquamur de rebus inutilibus ac superfluis, doctrinæ nobis interim extinguatur ignis, sed in mente tanquam in domo vigeat, et in sublimi ratione tanquam in candelabro quodam succensus cuncta, quæ domi sunt, illuminet. Absurdum enim est si domum quidem vesperi sine lucerna et lumine esse ferre nequeamus, animam autem expertem doctrinæ cernamus. Hinc nobis multa peccata nascuntur, quod non celeriter animæ lucernam accendamus : hinc

[1] Prov. VI, 23.

fit, ut singulis diebus offendamus, hinc fit ut temere, et perfunctorie multa mente comprehendamus, quod audita verbi divini lectione, priusquam extra Ecclesiæ vestibulum pedem efferamus, ea confestim abjiciamus, et extincto lumine in tenebris ambulemus. At enim si forte contigerint isthæc antea, ne deinceps amplius fiant : sed accensam in mente lucernam semper habeamus, et animam potiusquam domum exornemus. Hæc enim hic remanet, at illa nobiscum assumpta hinc discedimus, propterea plus in eam sollicitudinis impendendum est. Jam vero nonnulli sunt adeo infelices ac misere affecti, ut ædes quidem aureis laquearibus, et tesserulis pavimento distincto, floridis picturis, columnarum splendore, aliisque cunctis exornent, animum autem in deteriori statu quam desertum hospitium derelinquant, luto, fumo ac multo fœtore completum, planeque desertum. Cæterum ideo contingunt hæc omnia, quod nobis doctrinæ lucerna perpetuo non accendatur : propterea quæ fructuosa sunt, contemnimus ; quæ vero nullius pretii sunt, in illa diligenter incumbimus. Hæc non ad divites tantum, sed etiam ad pauperes a me sunt dicta. Nam et illi cum domos suas pro suis viribus frequenter exornent, animam suam neglectam et abjectam manere permittunt : quam ob causam et communem utrisque propono doctrinam commonens consulensque, ut contemptis hujus vitæ negotiis totum studium in rerum spiritualium ac fructuosarum curam conferamus. Intueatur pauper viduam[1], quæ duos obolos erogavit, neque paupertatem arbitretur negotiationi eleemosynæ ac benignitatis impedimentum objicere. Jobum sibi ponat ob oculos dives, et sicut ille non pro se, verum pro pauperibus omnia sua bona possidebat, ita et ipse faciat :

[1] Luc. XXI. 2.

propterea namque se illis privari patienter tulit, quod antequam reipsa spoliaretur a diabolo, jacturam se illorum posse facere meditatus esset. Et tu igitur opes contemne, dum adsunt, ut cum aliquando ablatæ fuerint, nequaquam dolore frangaris. Expende illas in res utiles, dum suppetunt, ut cum ereptæ fuerint, duplex tibi quæstus obveniat, tum ob paratam tibi mercedem, quod eas optime expenderis, tum ob acquisitam ex earum contemptu philosophiam et patientiam, quæ tibi tum erit usui, cum illis fueris destitutus. Propterea namque χρήματα pecuniæ vocantur, ut illis utamur, ut decet, non ut eas defodiamus : possessiones propterea dicuntur, ut nos eas possideamus, non ab illis possideamur. Dominus es pecuniarum multarum, noli ergo illis servire, quorum dominum te constituit Deus. Non servies autem, si ut decet, illas expendas, non humi defodias. Nihil ita lubricum est, ut divitiæ, nihil ita mutabile est, ut opes. Quando igitur adeo instabilis est illarum possessio, ac celerius illæ quam volucris a nobis avolant, et injustius quam fugitivus quivis aufugiunt : quo tempore domini illarum sumus, illis utamur, ut decet, quo possimus ex instabilibus pecuniis stabilia nobis bona comparare, ac reconditum nobis in cœlis thesaurum possidere, quo nobis omnibus utinam potiri contingat, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, per quem et cum quo Patri gloria simulque Spiritui sancto, nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

HOMILIA

In Martyres.

Martyrum festa non ex dierum circuitu solum, sed etiam ex eorum animo qui ea celebrant, æstimantur. Exempli causa. Imitatus es Martyrem? virtutem ejus æmulatus es? philosophiæ ipsius vestigiis institisti? etiam cum festum non esset Martyris, festivitatem Martyris celebrasti. Honor quippe Martyris, imitatio est Martyris. Ut enim qui scelera committunt, etiam in festivitatibus sine festo sunt et profani: sic qui virtutem exercent, etiam cum nulla est solemnitas, festum celebrant: siquidem conscientiæ puritate festum exprimitur. Hoc etiam indicans Paulus dicebat: « Itaque festum celebremus non in fermento veteri malitiæ et nequitiæ, sed in azymis sinceritatis et veritatis[1]. » Sunt igitur azyma apud Judæos, sunt et apud nos: verum apud illos quidem azymum est ex farina confectum: apud nos autem vitæ puritas, et conversatio ab omni nequitia aliena. Qui ergo ab omni sorde ac macula puram vitam suam conservat, quotidie festum celebrat ac solemnitatem, licet nec in die nec in templis Martyrum; sed domi sedeat. Potest enim apud se unusquisque festum Martyrum celebrare. Atque hæc a me dicuntur, non ut ad Martyrum sepulcra non accedamus: sed ut accedentes cum ea qua decet alacritate animi veniamus, et non solum illorum diebus, sed alio quoque tempore pietatem eamdem præ nobis feramus. Quis enim hodierno die non cœtum nostrum miretur, splendidum istud theatrum, cha-

[1] 1 Cor. v, 8.

ritatem ferventem, affectum ardentem, indomitum amorem? Ita tota propemodum civitas huc commigravit, et neque servum domini timor retinuit, neque pauperem egestatis necessitas, neque senem ætatis imbecillitas, neque mulierem sexus mollities : non divitem fastus opum, non magistratum superbia potestatis; sed amor Martyrum hac omni sublata inæqualitate, naturæ imbecillitate, ac paupertatis necessitate, tantam multitudinem una catena devinctam huc attraxit, et affectu in Martyres quasi pennis subvectos, velut ad vitam in cœlis agendam incitavit. Siquidem omni lasciviæ luxuriæque perturbatione superata, Martyrum amore succensi estis. Ut enim cum primum radii Solis oriuntur, aufugiunt feræ, seque latibulis suis abscondunt : ita cum menti nostræ Martyrum lumen affulserit; omnia vitia morbique se occultant, ac splendida philosophiæ flamma succenditur. Sed ut non solum hoc tempore, verum etiam semper, et postquam solutum fuerit hoc spirituale theatrum, flammam istam conservemus, cum eadem animi devotione domum recedamus, neque nos popinis ac lustris, ebrietati et comessationibus addicamus. Noctem convertistis in diem per sacras istas vigilias : nolite rursus diem in noctem per ebrietatem et crapulam ac meretricios cantus convertere. Honorasti Martyres, dum affuisti, dum audivisti, dum studium præ te tulisti : honora etiam illos modeste domum recedendo : ne quis ubi te parum decore gerentem viderit in popina, te non propter Martyres venisse dicat, sed ut vitium augeres, ut improbæ cupiditati servires. Hæc non eo dico, ut deliciis perfrui vetem, sed ut peccata committi vetem : non quod bibere vetem, sed ut ebrium fieri vetem. Non enim malum est vinum, sed immodicus ejus usus est pravus. Ac vinum quidem Dei donum est, usus autem immodicus diaboli est inventum. « Servite igitur Domino in

» timore, et exultate ei in tremore[1]. » Vis deliciis frui? domi fruere, ubi licet in ebrietatem incidas, multi sunt, qui te possunt obtegere : non in popina, ne spectaculum fias præsentibus, et scandalum cæteris. Atque hæc ego dico, non quod ebrium fieri domi jubeam, sed quod in popinis versari prohibeam. Perpende quam ridiculum sit, post ejusmodi conventum, post vigilias, post sacrarum auditionem Scripturarum, post divinorum participationem mysteriorum, et post spiritualem largitionem, virum aut mulierem totos dies in popinis transigentes videri. An nescitis quantum ebriis supplicium immineat? siquidem e regno Dei expelluntur, et ineffabilibus bonis excidunt, atque in ignem æternum ablegantur. Quis hæc dicit? Beatus Paulus; « Neque avari, inquit, neque ebriosi, neque » maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt[2]. » Quid ebrio miserius fieri potest, qui ob exiguam voluptatem, tantas regni delicias amittit? Imo vero ne voluptate quidem ulla frui potest ebrius. Siquidem in temperato usu voluptas consistit, in immodico autem, stupor et sensuum privatio. Porro qui sentire nequit, ubi sedeat aut jaceat, quî poterit voluptatis in potu sensum capere, qui ne solem quidem ipsum ob densam ebrietatis nebulam possit intueri, quomodo lætitia fruatur? Tantæ nimirum ipsum occupant tenebræ, ut ad illam discutiendam caliginem ipsi radii non sufficiant. Semper quidem, dilectissimi, malum est ebrietas, præcipue vero festo Martyrum die. Nam præter peccatum contumelia est maxima, et stultitia, sacrorumque eloquiorum contemptus : quam ob causam et duplicem pœnam meretur. Si ergo postquam ad Martyres accessisti, postquam hinc discesseris, ebrietati vacaturus es, melius est, ut domi maneas, nec indecore te geras, neque Martyrum solemnitatem probro afficias, neque

[1] Psal. II, 11. — [2] 1 Cor. VI, 10.

proximo sis offendiculo, neque mentem obsideas, neque peccata tibi accumules. Venisti ut homines tormentis laceratos videres, cruore stillantes, vulnerum examine decoratos, qui præsenti vita exuti, ad futuram evolarunt: da operam ut athletis istis dignus evadas. Contempserunt illi vitam, tu delicias contemne. Abjecerunt illi vitam præsentem : tu ebrietatis amorem abjice. Sed deliciis frui cupis? asside sepulcro Martyris, lacrymarum illic fontes effunde, animam contere, benedictionem a sepulcro ejus refer; ejusque patrocinio fretus in precibus, narrationibus certaminum ipsius legendis te frequenter exerce, loculum amplectere, capsulæ reliquiarum affixus esto : non ossa Martyrum tantum, sed et ipsorum sepulcra et capsulæ benedictionibus multis scatent. Sanctum oleum sume, totumque tuum corpus inunge, linguam, labra, cervicem, oculos, nec unquam in ebrietatis naufragium incides. Siquidem oleum odoris suavitate Martyrum tibi certamina in memoriam revocat, et omnem lasciviam refrenat, atque in multa detinet patientia, animique morbos expugnat. Verumenimvero in hortis versari cupis, in pratis, et viridariis? Ne jam id facias, cum tantus astat populus, sed alio die. Hodie namque luctarum tempus est, hodie spectaculum est certaminum, non deliciarum aut voluptatum. Venisti huc, non ut te ipsum pigritiæ dedas, sed ut certare discas, pancratio vincere, et homo cum sis, dæmonum invisibilium vires infringere. Nemo quippe venit ad palæstram, ut deliciis vacet, neque cum tempus luctarum ingressus fuerit, formam suam excolit, aut cum acies ordinanda est, mensas exquirit. Ne igitur tu quoque cum ad animæ fortitudinem, ac mentis vigorem spectandum adveneris, ad tropæum novum et admirabile, pugnam inusitatam, ad vulnera et prælia, et pancratium hominis, ne dæmonum actiones introducas, et post mirum et tre-

mendum hoc spectaculum ebrietati ac deliciis te ipsum addicas, sed collectis animæ lucris domum deinde revertere, atque ipso tui conspectu testare omnibus a Martyrum te spectaculo redire. Nam quemadmodum qui a theatris descendunt, facile omnibus innotescunt, perturbati, confusi, emolliti, et eorum quæ illic facta sunt simulacra gestantes : ita et eum qui a spectaculo Martyrum revertatur, facile ab omnibus oportet agnosci ex aspectu, ex habitu, ex incessu, ex compunctione, ex mentis collectæ attentione, ignem spirantem, modestum, contritum, sobrium, vigilantem, et interiorem temperantiam ac philosophiam corporis moribus propalantem. Sic igitur ad urbem revertamur, cum ea qua par est modestia, cum incessu composito, cum prudentia et continentia, cum placido tranquilloque aspectu. « Amictus enim viri, et risus » dentium, et ingressus hominis enuntiabit de illo[1]. » Ita semper a Martyribus revertamur, ab unguentis spiritualibus, a cœlestibus pratis, a novis mirisque spectaculis, ut et ipsi multam facilitatem experiamur, et cæteris libertatem conciliemus, ac futura bona consequamur, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cum quo Patri simulque Spiritui sancto gloria, imperium, honor et nunc et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

LAUDATIO

Martyrum Ægyptiorum.

I. Benedictus Deus, quando etiam ex Ægypto Martyres,

[1] Eccli. XIX, 26.

ex Ægypto illa cum Deo pugnante ac insanissima, et unde impia ora, unde linguæ blasphemæ, ex Ægypto martyres habentur, non in Ægypto tantum, nec in finitima vicinaque regione, sed ubique terrarum. Et quemadmodum in annonæ summa ubertate cum viderint urbium incolæ majorem, quam usus habitatorum postulet, esse copiam, ad peregrinas etiam urbes transmittunt; cum ut suam comitatem ac liberalitatem ostendant, tum ut, præter horum abundantiam, cum facilitate res, quibus indigent, rursus ab illis sibi comparent : sic et Ægyptii, quod attinet ad religionis athletas, fecerunt : cum apud se multam eorum Dei benignitate copiam cernerent, non ingens Dei munus sua civitate concluserunt, sed in omnes terræ partes bonorum thesauros effuderunt; cum ut suum in fratres amorem ostenderent, tum ut communem omnium dominum honore afficerent, ac civitati suæ gloriam apud omnes compararent, totiusque orbis esse metropolim declararent. Nam si frivolæ quædam ac minimi pretii occasiones, quæque ad hanc tantum vitam nobis conferunt, largitiones, hunc multis urbibus honorem acquirere potuerunt; nonne eam potius, quæ nihil ex caducis et corruptibilibus rebus largitur, sed viros, qui urbibus, quæ illis obvenerint, post obitum etiam præstant securitatem, præ omnibus æquum est hac honoris prærogativa donari? Sanctorum enim horum corpora quovis adamantino et inexpugnabili muro tutius nobis urbem muniunt, et tanquam excelsi quidam scopuli undique prominentes, non horum, qui sub sensus cadunt, et oculis cernuntur hostium impetus propulsant tantum, sed etiam invisibilium dæmonum insidias, omnesque diaboli fraudes subvertunt, ac dissipant, non minus facile, quam si fortis vir aliquis ludicra puerorum subverteret ac prosterneret. Ac cætera quidem quæ ab hominibus fiunt machinamenta, sicut muri, fossæ, arma, mi-

litum copiæ, et quæcumque ad incolarum securitatem excogitantur, ab hostibus possunt pluribus aliis multoque majoribus machinis ipsorum repelli : cum vero Sanctorum corporibus fuerit civitas communita, licet innumeras illi pecunias expendant, urbibus, quæ ipsos possideant, minime poterunt æquale quoddam machinamentum opponere. Neque vero tantum adversus hominum insidias, aut adversus fallacias dæmonum utilis nobis est hæc possessio, dilectissime : sed et si nobis communis Dominus ob peccatorum multitudinem irascatur, his objectis corporibus continuo poterimus eum propitium reddere civitati. Etenim si, qui multa præclare gesserant, majorum nostrorum ætate sanctorum virorum nomina prætendentes, atque ad Abraham, Isaac et Jacob appellationem confugientes[1], nonnihil solatii sunt assecuti, ac magnam ex horum nominum commemoratione utilitatem decerpserunt : multo magis nos non tantum nomina, sed ipsa, quæ decertarunt, corpora prætendentes, Deum propitium, et benignum habere poterimus ac placatum. Atque ut ea, quæ dicimus, verborum fumum non esse constet; norunt multi, cum indigenarum, tum eorum, qui aliunde venerunt, quanta Sanctorum istorum sit virtus, qui et testimonio suo, quæ dicta sunt, comprobant : ut qui quantam apud Deum fiduciam obtineant, experimento compererint. Ac merito sane : non enim vulgari modo pro veritate decertarunt, sed adeo fortiter strenueque violentos et intolerabiles impetus dæmonis repulerunt, ac si in saxeis ferreisque, non autem obnoxiis corruptioni mortalibusque corporibus decertarent : quasi jam ad illam passionis expertem et immortalem naturam acerbis ac dolorem inurentibus corporis cruciatibus non cedentem, translati fuissent. Etenim tanquam sævæ quædam belluæ, crudeles, et immanes

[1] Exod. XXXII, et Baruc. II.

corpora circumstantes undique carnifices latera perfodiebant: carnes lacerabant, ossa detegebant ac denudabant; nec eos quidquam ab illa crudelitate atque immanitate revocabat: sed et cum terga pervasissent, ac viscera, et ad intima penetrassent, reconditum in illis fidei thesaurum compilandum non invenerunt: quin idem potius illis accidit, quod aliquibus, qui cum urbem angustissimam, divitiis multis refertam, et copiosis thesauris opulentam obsederint, et eversis mœnibus ejus ad ipsa pecuniarum promptuaria devenerint, portas everterint, vectes sustulerint, pavimentum effoderint, omnia scrutati non potuerint ejus divitiis abreptis discedere. Talia namque sunt animæ bona: non corporis passionibus produntur, cum ea ipsa caute custodit: licet ipsum pectus effodias, et raptum cor minutatim concidas, thesaurum semel a fide sibi creditum non dimittet. Hoc autem divinæ gratiæ opus est, quæ cuncta dispensat, et in infirmis corporibus mirabilia potest perficere. Atque hoc quidem admiratione dignius est: non enim modo, cum adeo insaniissent ac sæviissent, nihil ex thesauris reconditis subripuerunt, sed etiam effecerunt, ut eos majori cautione custodirent: quin etiam illos cum illustriores, tum opulentiores reddiderunt. Non enim jam anima sola, sed et ipsum corpus majoris gratiæ factum est particeps: neque tantum quam habebat, non amisit, postquam dissecti sunt atque concisi persæpe, sed et copiosius sibi majusque subsidium comparavit. Quid hac victoria mirabilius fieri possit, cum eos, quos detinebant, et obnoxios habebant, ac vinctos imperiose cædebant, superare non potuerint, sed ab istis misere ac infeliciter vincerentur? non enim bellum cum ipsis, sed cum habitatore ipsorum Deo gerebant: eum porro qui cum Deo bellum gerit, necessarium esse plane superiori potentia vinci, ac solius conatus luere pœnas, ignorat nemo.

II. Hujusmodi sunt Sanctorum victoriæ : quod si certamina et luctæ sunt adeo mirabiles ac stupendæ, quid de præmiis coronisque dicemus, quæ ipsorum tolerantiæ reservantur? Non enim intra ista tormenta constiterunt, nec cursum hic suum interruperunt : sed ulterius illorum scammata protendebantur : quod improbus quidem dæmon accessione pœnarum athletas se supplantaturum speraret, Deus autem benignus permitteret, nec impediret : ut et infidelium insania manifestior omnibus appareret, et splendidiores istis coronæ multoque plures necterentur. Et quemadmodum in Job evenit; hic quidem plures adversus eum pœnas a Deo postulabat, ac se malorum accumulatione generosum pietatis athletam superaturum sperabat : ille vero sinebat, ac pravis petitionibus pravi dæmonis indulgebat, et athletam suum illustriorem reddebat; ita nimirum hic accidit. Postquam enim ipsorum corpus quavis fera crudelius omni ex parte depastus est, et exedit, linguamque et os cruentavit, tametsi non cruore Sanctorum, sed inhumanis et crudelibus illis sententiis; ab illorum patientia victus, et inhumano illo convivio affatim expletus et exsaturatus abscessit. Ac vide quanta fuerit patientia sanctorum, quæ tantum furorem suis cruciatibus exsatiaverit. Invasit rursus, cum furore certamen instaurans, ac feras omnes alia crudelitate superare contendens : siquidem illæ naturæ necessitate impulsæ ad hoc convivium feruntur, et satiatæ recedunt, et si vel sexcenta viderint corpora, nullum ex illis attingunt : hic vero ex animi pravitate ad escam istam pergebat, et eorum carnibus expletus, alteram adversus illos machinam fabricatur, ac Sanctos longissimæ acerbissimæque morti addicit : in metallis enim illos opus facere perpetuo jussit : o amentiam singularem, cum ita manifestum experimentum cepisset fortitudinis ipsorum ac tolerantiæ, hac ratione se superaturum confi-

debat. Cum feris igitur habitabant Sancti, contubernales Angelorum, ac cœlorum cives, et supernæ Jerusalem deinceps ascripti: tum vero sanctius erat postea quavis urbe desertum. Atque in urbibus quidem hæc iniqua et tyrannica diebus singulis mandata conficiebantur: desertum autem inhumani ministerii illius immunitate gaudebat. Tribunalia quidem plena nefariis facinoribus redundabant, injustisque mandatis: deserta vero mortalium cunctorum justissimos cives habebant, qui ex hominibus Angeli facti erant: cum cœlo desertum certabat, saltem ob virtutem civium, a quibus habitabatur. Ac natura quidem sua gravissima erat pœna, sed ab eorum alacritate animi, qui decertabant, proclivis ac levis et facilis reddebatur: multiplicatam se lucem intueri tunc arbitrabantur, et quod dictum est apud Prophetam, « Luna erit ut Sol, » Sol autem septuplex[1], » hanc sibi obtigisse lucem putabant. Non enim est, non est, inquam, anima quidquam hilarius, quæ digna est habita pro Christo pati quidpiam eorum, quæ nobis gravia et intolerabilia videntur. Jam se translatos in cœlum esse, ac cum Angelis ducere choreas putabant. Quid enim amplius illis cœlo et Angelis opus erat, cum in deserto cum illis Angelorum Dominus Jesus esset[2]? Nam si, ubi sunt duo vel tres congregati in nomine ejus, ibi est in medio eorum[2], multo magis in medio illorum tunc erat, qui congregati tum fuerant non ut in nomine, sed ut pro nomine ejus perpetuo torquerentur. Nostis enim, nostis aperte hoc supplicio gravius esse nullum, eosque, qui sententia sunt illa damnati, sexcentas alias mortes malle tolerare, quam eos, qui illic inuruntur, dolores sustinere. Metallis addicti fuerunt, ubi æs effodiendum erat plerumque ab ipsis, qui auri metallo erant pretiosiores, et auro quod materia non constat, quod non

[1] Isaï. xxx, 26. — [2] Matth. xviii, 20.

damnatorum effoditur manibus, sed fidelium virorum studio reperitur. In metallis opus faciebant, qui thesauris innumeris abundabant. Ipsi quidpiam acerbius etiam illa vita, et in se ipsis evenisse narrationes et historias de viris illis magnis cernebant, quas de Sanctis refert Paulus dicens : « Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egen-» tes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus[1]. » Hæc itaque cum sciamus, et nunc, et olim ex quo nati sunt homines ærumnosam et laboriosam ac innumeris refertam malis Dei amicos omnes vitam esse sortitos : ne delicatam ac dissolutam et voluptatibus affluentem vitam consectemur, sed laboriosum, atque ærumnosum vitæ genus afflictionis et miseriæ plenum. Ut enim fieri nequit, ut is, qui in agone contendit, per somnum et torporem ac delicias, coronas etiam consequatur, neque miles tropæa, neque portum gubernator, nec aream repletam agricola : sic nec ut fidelis, qui vitam suam in pigritia ac remissione traduxerit, bona promissa consequatur. Annon igitur absurdum est in omnibus quidem rebus sæculi hujus ante voluptatem labores esse propositos, et ante securitatem pericula, idque cum vilium et exiguarum rerum post labores illos expectatio relinquatur : cum vero cœlum sit propositum, Angelorum honores, vita quæ nullo fine terminatur, cum Angelis conversatio, et bona quæ nec intelligere, nec effari quisquam potest; sperare nos fore, ut per desidiam et inertiam animique remissionem ea consequamur, nec eamdem illis dignari diligentiam, quam sæcularibus rebus impendere? Ne obsecro, ne adeo male de nobis, neque nostra ipsorum salute statuamus : sed oculis nostris ad Sanctos istos conversis, ad generosos atque tolerantes athletas, qui nobis, ut quasi faces præluceant, dati sunt, ad horum tolerantiam atque patientiam vitam

[1] Hebr xi, 37.

nostram componamus: ut eorum precibus, postquam hinc excesserimus, cum illos videre, tum amplecti possimus, atque in illis cœlestibus tabernaculis collocari. Quæ nos omnes utinam consequamur gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, per quem et cum quo Patri et Spiritui sancto gloria in sæcula sæculorum. Amen.

LAUDATIO

SS. omnium qui martyrium toto terrarum orbe sunt passi.

I. Nondum septem dierum elapsus est numerus, ex quo sacram Pentecostes solemnitatem celebravimus, et nos rursus martyrum chorus assecutus est, vel martyrum castra potius et exercitus nihilo minor illis Angelorum castris, quæ Patriarcha Jacob vidit[1], sed æmulus illis et æqualis. Martyres enim et Angeli nomine tantum distincti sunt, factis autem junguntur. Cœlum incolunt Angeli; itidem et martyres: senectutis expertes et immortales sunt illi, hoc et martyres obtinebunt. At incorpoream illi naturam sortiti sunt. Quid tum postea? licet enim martyres corpore circumsepti sint, immortali tamen: quin potius etiam ante ipsam immortalitatem Christi mors corpora multo plus, quam immortalitas condecorat. Non ita siderum exornatum choro cœlum illustre est, ac splendida vulnerum sanie martyrum corpora exornantur. Itaque quia mortui sunt, idcirco maxime superant, et ante immortalitatem

[1] Gen. XXXII, 2.

a morte coronati præmia reportarunt. « Minuisti eum paulo » minus ab Angelis : gloria et honore coronasti eum[1], » de communi hominum natura inquit David : sed et hoc paulum reddidit Christus cum advenisset, et mortem morte damnasset. Verum hoc ego inde non confirmo, sed ex eo quod defectus hic mortis in lucrum et commodum cessit : nisi enim mortales fuissent, martyres facti non essent : itaque nisi mors fuisset, ne coronæ quidem extitissent : si non fuisset interitus, martyrium non fuisset : si mors non fuisset, non potuisset dicere Paulus, « Quotidie morior » per vestram gloriam, quam habeo in Christo Jesu[2] : » nis mors et interitus fuissent, non potuisset idem dicere, « Gau- » deo in passionibus meis pro vobis, et adimpleo ea quæ » desunt passionum Christi in carne mea[3]. » Ne doleamus ergo, quod mortales facti simus : sed gratias agamus, quod martyrii stadium nobis sit a morte reseratum, et ab interitu præmiorum materiam acceperimus, unde et certaminum occasionem nacti sumus. Vides sapientiam Dei, quo pacto maximum illud malorum caputque nostræ calamitatis, quod invexit diabolus, mortem, inquam, eam in honorem gloriamque nostram convertit, ac per hanc ipsam athletas ad martyrii bravia deduxit? Quid ergo? idcirco-ne diabolo mortis causa gratias agemus? absit : non enim ab ejus mente recte factum hoc, sed Dei sapientiæ est donum. Ille quidem invexit, ut perderet, et ad terram reductis spem salutis omnem præscinderet : Christus autem id arreptum immutavit, et in cœlum nos rursus per ipsum introduxit. Nemo igitur vestrum damnet, quod chorum et exercitum, martyrum cœtum appellarim, unique rei contraria duo nomina tribuerim : chorus enim et exercitus contraria sunt, verum hic utrumque coaluit : etenim quasi choreas ducerent, ad tormenta cum volup-

1 Psal. VIII, 6. — 2 1 Cor. XV, 31. — 3 Coloss. I, 24.

tate perrexerunt, et tanquam bellatores omnem fortitudinem ac tolerantiam præ se tulerunt, hostesque vicerunt. Ac si eorum quidem, quæ geruntur, spectes naturam, pugna et bellum et acies sunt, quæ geruntur : sin autem eorum mentem consideres, quæ fiunt; choreæ sunt, et convivia ac festivitates, et voluptas maxima, quæ perficiuntur. Vis-ne te doceam hæc omni bello esse terribiliora, martyrum, inquam, res gestas? quid est in bello formidabile? utrinque stant acies communitæ, undique armis fulgentes, terramque splendore complentes : undique jaculorum nubes emittuntur, quorum multitudine aër occultatur : torrentes sanguinis in terram volvuntur : multæ undique strages ut segetum in messe, ita militum, qui a se invicem prosternuntur. Age ergo ab illorum pugna te ad hanc traducamus. Hic binæ quoque sunt acies, una quidem martyrum, altera vero tyrannorum. Ac tyranni quidem armati sunt; martyres autem nudo pugnant corpore : sed a nudis tamen, non ab armatis, victoria reportatur. Quis non obstupescat, quando is qui virgis cæditur, cædentem vincit, et vinctus solutum, exustus urentem, et qui moritur interficientem? vides ut hæc illis terribiliora sint? Nam illa quidem quanquam formidabilia sunt, tamen ex ordine naturæ fiunt : hæc autem exsuperant naturam omnem, rerumque omnem consequentiam : ut intelligas divinæ gratiæ accepta ferenda esse, quæ hic cum laude præstantur. Tametsi quid hac, quæso, pugna iniquius? quid certaminibus istis injustius? nam in bellis uterque eorum, qui pugnant, armatur : hic vero non ita; sed hic quidem nudus est, ille vero armis est tectus : in certaminibus rursus utrisque licet manus contra attollere; hic vero vinctus est iste, at ille cum potestate ictus infligit, et tanquam ex tyrannide quadam sibi quidem eas partes assumentes Præsides ut male faciant, justis marty-

ribus ut male patiantur attribuentes, ita congrediuntur cum sanctis, et ne sic quidem ipsos expugnant, sed ab ista pugna tam iniqua superati discedunt : atque idem accidit ac si quis virum quempiam bellatorem in prælium deducat, et præcisa lanceæ cuspide lorica spoliatum nudo corpore pugnare jubeat, ille autem licet percussus, ac læsus, sexcentisque confossus vulneribus tropæum tamen erigat. Martyres enim nudos cum in medium protraxissent, ac revinctis post terga manibus eos undequaque percussissent, ita vincebantur : illi autem vulnera cum excepissent, tropæum contra diabolum erigebant. Et quemadmodum percussus adamas minime cedit neque emollitur, imo ferrum a quo percutitur confringit : ita nimirum et Sanctorum animæ, cum tam multi cruciatus adhiberentur, ipsæ quidem nihil grave patiebantur, eorum vero a quibus cædebantur vim ac virtutem profligantes, turpiter et ignominiose devictos post multos et intolerandos ictus e certaminibus dimittebant. Etenim illis in equuleo vinctis, latera fodiebant profunde sulcos agentes, quasi terram aratro sulcarent, non corpora lacerarent : videre erat sinus apertos, reserata latera, pectora effossa, neque tamen eo cruciatu furorem suum explebant illæ sanguine pastæ belluæ; sed abstractos ab equuleo subjectis carbonibus in scala ferrea extendebant : tumque videre erat spectacula multo prioribus acerbiora, duplices guttas e corporibus defluentes, has quidem stillantis sanguinis, illas autem carnium liquefactarum : Sancti vero tanquam inter rosas jacentes in prunis, ita cum voluptate quæ gerebantur spectabant.

II. At tu dum scalam audis ferream, spiritualis illius scalæ recordare, quam Patriarcha vidit Jacob a terra in cœlum extensam[1] : per illam Angeli descendebant, per hanc vero martyres ascendunt, utrique Dominus est in-

[1] Gen. XXVIII, 13.

nixus: non potuissent Sancti isti dolores perferre, nisi huic innixi fuissent. Ac per illam quidem ascendunt et descendunt Angeli: per hanc vero ascendere martyres cuivis manifestum est. Quid ita? quod illi quidem in ministerium sunt missi propter eos, qui hæreditatem capient salutis[1]: isti vero tanquam athletæ atque victores certaminibus absolutis deinceps ad agonothetam pergebant. Verumenimvero ne oscitanter audiamus quæ dicuntur, dum audimus subjectas fuisse corporibus laceratis prunas, sed cogitemus, quales, ubi febris non invaserit, simus: vitam nobis injucundam et peracerbam putamus, ingemiscimus, impatienter ferimus, tanquam parvuli infantes indignamur, ignem illum nihilo mitiorem gehenna putamus. At isti non febre incumbente, sed flamma illos undique obsidente, ac scintillis in ulcera prosilientibus, et quavis fera crudelius vulnera vellicantibus, perinde quasi essent adamantini, et in alienis ista corporibus fieri cernerent, ita generose, ac cum ea, quæ illos decebat, fortitudine in confessionis verbis constantissime perseverabant, et in omnibus his malis durantes, simul et animi sui robur invictum et Dei gratiam egregie præ se ferebant. Sæpe sub auroram solem exorientem vidistis et quasi croceos radios emittentem? talia Sanctorum erant corpora, dum veluti crocei quidam radii rivi sanguinis undique illis difflluerent, eorumque corpus multo quam cœlum sol ipse splendidius illustrarent. Hunc sanguinem Angeli contuentes oblectabantur; dæmones horrebant, et ipse diabolus tremebat. Non enim sanguis erat simpliciter, qui cernebatur, sed sanguis salutaris, sanguis sanctus, sanguis cœlo dignus, sanguis, qui pulchras Ecclesiæ arbores jugiter irrigat. Vidit hunc sanguinem, horruitque diabolus: recordatus est quippe alterius sanguinis dominici: propter illum sanguinem hic

[1] Hebr. I, 14.

effluxit: ex quo enim Domini latus apertum est, sexcenta deinde latera effossa contueris. Quis enim non cum gaudio sese ad agones istos ineundos dominicis Passionibus communicaturus, et Christi morti conformis futurus accinget? Est enim sufficiens hæc retributio, et amplior merces, et certamina excedens præmium, vel ante ingressum in regnum cœlorum. Ne igitur horreamus, dum hunc vel illum passum esse martyrium audimus: sed horreamus, dum audimus hunc vel illum emollitum, ac tot tantisque certaminum præmiis lapsum esse. Quod si placeat ea, quæ post hanc vitam sequuntur, audire; nulla ea quidem possunt oratione declarari: « Neque enim oculus vidit, » inquit, neque auris audivit, neque in cor hominis ascen» derunt, quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum[1]: » nullus porro ex hominibus adeo Deum dilexit ac martyres. Verumtamen non quod omnem orationem mentemque exuperet repositorum bonorum magnitudo, ideo silebimus, sed quantum situm in nobis erit dicere, et in vobis audire, conabimur vobis obscure demonstrare, quanta illos ibi excipiat beatitudo: hanc enim illi soli evidenter noverunt, qui ea reipsa perfruuntur. Enimvero perexiguo quidem temporis momento martyres gravia ista et intoleranda patiuntur: postquam autem hinc excesserint, in cœlos ascendunt Angelis ipsos præcedentibus, et Archangelis satellitum more stipantibus: non enim pudet eos conservis officia præstare, sed quævis parati sunt illorum causa facere, quando illi quævis pro Domino suo Christo non dubitarunt perferre. Postea vero quam in cœlos ascenderint, sanctæ omnes illæ virtutes concurrunt. Si enim peregrinis athletis in urbem adventantibus populus omnis confluit undique, eosque circumvallantes aptam membrorum dispositionem in illis contemplantur: multo magis cum

[1] 1 Cor. II, 9.

religionis athletæ in cœlos ascenderint, concurrunt Angeli, omnesque undique confluunt supernæ virtutes, eorum, considerant vulnera, et tanquam victores quosdam, e bello ac præliis revertentes, multis tropæis ac victoriis partis, cum voluptate excipiunt eos omnes et amplexantur, ac deinde multo satellitio circumseptos ad Regem cœlorum ad illum thronum multa gloria redundantem, ubi Cherubim et Seraphim astant, deducunt. Cum vero illuc advenerint, eumque qui throno insidet adoraverint; multo majori, quam a conservis, a domino excipiuntur benevolentia : non enim ut servos eos excipit : quanquam et maximus hic est honor, cuique non possit æqualis reperiri; sed tanquam amicos suos. « Vos enim, inquit, amici mei estis[1] : » ac merito sane : siquidem ipse rursus dixit : « Majorem hac nemo habet dilectionem, ut animam » suam ponat quis pro amicis suis[2]. » Quando igitur maximam ipsi charitatem demonstrarunt, istos excipit honorifice, atque illa gloria perfruuntur : participes fiunt chororum et canticis mysticis communicant. Si enim cum essent in corpore, secundum mysteriorum communionem in illum chorum admittebantur, ut cum ipsis Cherubim psallerent hymnum ter sanctum[3], ut vos probe nostis, qui mysteriis initiati estis; multo magis nunc illis conjuncti, cum quibus choros olim ducebant, multa cum fiducia laudationi illi communicant. Annon antehac martyrium horrebatis? annon martyrii vos nunc desiderium capit? numquid non doletis jam martyrii tempus non adesse? verum exerceamus nos ad tempus martyrii : contempserunt illi vitam? contemne tu delicias: projecerunt illi corpora in ignem? projice tu pecunias nunc in pauperum manus : prunas illi calcarunt? tu cupiditatis flammam extingue. Laboriosa sunt ista et difficilia? sed tamen utilia

[1] Joan. xv, 14. — [2] Ibid. 13. — [3] Isaï. vi, 3.

valde. Noli ea quæ præsentia sunt acerba spectare, sed quæ jucunda futura: non quæ in manibus mala, sed quæ in spe bona : non ærumnas, sed prœmia : non labores, sed coronas: non sudores, sed mercedes : non acerbitates, sed retributiones : non ignem urentem, sed propositum regnum : non carnifices circumstantes, sed Christum coronantem.

III. Hæc expedita maxime ratio ac via ad virtutem facillima, non labores tantum intueri, sed et præmia cum laboribus, neque ipsa tantum separatim. Cum igitur eleemosynam es impertiturus, noli pecuniæ impensam attendere, sed justitiæ coacervationem. « Dispersit, dedit pau» peribus : justitia ejus manet in sæculum sæculi[1] : » ne respicias opes, quæ exhauriuntur, sed thesaurum qui augetur. Si jejunes, non carnis ex jejunio macerationem considera, sed relaxationem, quam ex illa maceratione consequeris. Si noctem insomnem traducas orando, non molestiam ex vigilia, sed quam acquiris ex oratione fiduciam perpende. Ita quoque milites faciunt : non vulnera intuentur, sed præmia : non cædes, sed victorias ; non mortuos cadentes, sed coronatos victores. Sic et gubernatores ante tempestates portus respiciunt ; ante naufragia negotiationes ; ante incommoda navigationis, quæ ex maritima peregrinatione lucra decerpuntur, ita fac tu quoque : cogita quantum sit illud, multa nocte dormientibus mortalibus omnibus, feris ac jumentis in altissima quiete, solum te expergefactum cum communi omnium domino libere colloquia miscere. Dulcis est somnus ? at nihil dulcius oratione. Si solus cum solo colloquens diu potueris perdurare nullo obstrepente, nullo te interpellante, atque ab oratione revocante, habes et tempus suffragatorem ad id quod expetis obtinendum. Verum in molli strato decumbens, in hanc et in illam partem verteris, ac surgere pi-

[1] Psal. cxi, 9.

gritaris? veniant tibi in mentem illi, qui in craticula ferrea jacebant hodie martyres, non subjecto cubili, sed prunis substratis. Hic ego finem dicendi facere statui, ut vos craticulæ vigentem adhuc et recentem habentes memoriam abscedatis, et ejus noctu atque interdiu recordemini: licet enim sexcenta vincula nos devinciant: tamen facile cuncta disrumpere poterimus, atque ad orandum consurgere. Dum vero craticulam semper versamus animo, non craticulam solum, sed et alia martyrum tormenta super cordis nostri latitudinem describamus. Quemadmodum qui suas ædes elegantiores reddunt, florida eas pictura undique exornant: sic et nos in mentis nostræ parietibus cruciatus martyrum depingamus. Nam illa quidem pictura est inutilis; ista vero plena lucri: non pecuniis indiget, non expensis, neque adeo arte ulla pictura hæc: sed vice omnium promptam voluntatem mentemque generosam ac vigilantem sufficit adhibere; atque his quasi manibus peritissimis ipsorum describere cruciatus. Depingamus ergo in anima nostra hos jacentes in sartagine, illos autem super carbones extensos; hos in lebetes dejectos, illos in mare demersos; alios laceratos, alios in rota distortos, alios in præcipitium actos: atque hos quidem cum bestiis depugnantes, illos vero in barathrum devolutos, alios ut cuique contigit mortem obeuntes: ut hujus picturæ varietate domum nostram illustriorem cum reddiderimus, aptum cœlorum Regi diversorium præparemus. Etenim si ejusmodi viderit in nostra mente picturas, veniet cum Patre, mansionem apud nos faciet cum Spiritu sancto; eritque deinceps regia quædam domus mens nostra, nullaque in eam ingredi poterit absurda cogitatio, dum Martyrum memoria, velut pictura quædam omni tempore in nobis manebit, multumque in ea splendorem emittet; atque in nobis Rex universorum continue diversabitur. Quod si ita

Christum in hac vita susceperimus, post nostrum ex ea discessum, poterimus in æterna recipi tabernacula. Quod nobis omnibus præstare dignetur gratia et benignitas Domini nostri Jesu Christi, per quem et cum quo Patri gloria, una cum sancto et vivifico Spiritu in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO

Sancti Joannis Chrysostomi Constantinopolis Episcopi de Sancto Illuminatore Magno Gregorio Pontifice Dei nostri.

I. Ut diversi sunt multiplicis generis flores qui provecto veris tempore foliis diversicoloribus ornantur; ita varium est et abundans encomium virorum, qui divinis præditi sunt dotibus, quas cernere tantum oculis atque in apotheca mentis coacervare non sufficit; mens enim ideo colligit et lingua enarrat, ut quamplurimis simul largiatur.

Ingrediens igitur in floriferas virtutum areas strenui Martyris et supplicia perpessi, solis splendentis, et Pontificis Armeniæ majoris Illuminatoris : protendensque mentis oculos super florigerum quo fulget decus : nescio utrum ea, quæ complecti quidem possum, encomio sapienter digesto prosequi poterim; mihi namque desiderium est omnia congerere, vereor tamen ne plurima mihi excidant.

Jam vero apiculæ, alis præditæ levibus, Beatus ille similis merito mihi videtur. Et sane ut admiratione dignum

est apiculæ opus, ita et sancti Gregorii virtutes animos rapiunt : utque nemo valet stupendum illius laborem aut sermone aut ingenio assequi, ita et sancti hujus dotes eximias encomio prosequi nemini conceditur.

Quemadmodum autem apis, licet sponte feratur in universos flores ut eos ambiat, non potest tamen succum omnem illorum, ob virium tenuitatem, asportare : ideoque seligit ea, quæ in medio florum emicant et subtiliora sunt, ut alis suis congreget, atque inde mellis favum conficiat : ita et ego ea, quæ complecti potero, coacervabo in mente, et sermone proferam, ut odore suavi nares recreem eorum qui sacra celebrant mysteria et sancti Gregorii encomium audire gestiunt.

II. Jam vero quomodo appellabo Pontificem hunc, nisi solem in partibus Orientalibus nascentem, cujus radiorum splendor usque ad gentem Græcorum pertigit? O prodigium ! Si quis hortum plantis insertum velit, spinæ primum exscinduntur, evelluntur que noxiæ radices, nec sine aliqua difficultate hortus ille plantatur; sed magni Martyris et supplicia perpessi Pontificis hortus, in medio spinarum germinavit, ad cœlum usque pertigit, et Angelicos emisit flores, quorum folia speciosis nitebant coloribus : non equidem spinas, carduos et alias noxiarum herbarum radices exscindendo et projiciendo, sed eas in suaveolentes flores et arbores pomiferas transformando. rhamnos reddidit poma ferentes odorifera, carduisque dedit ut rosas ederent et flores speciosos atque fragrantem emittentes odorem.

Felices Riphsimem et Caïanam prædico : quæ, cum radicem sumpsissent, unde propagines ortæ sunt et longe lateque diffusæ, intraverunt in Majorem Armeniam, cujus ne minimus quidem angulus protectione ramorum illarum destitutus fuit.

O prodigium ! homo corporeus incorporeis agminibus similis est; imo si sic loqui licet, Angelicis potior spiritibus. Horum enim neque corpus neque membra suppliciis et doloribus obnoxia sunt; ille vero in se dolores admisit et tormenta quæ, perinde atque illi qui corporis sunt expertes, pertulit.

III. Præterea et alia multa sunt in eo genera virtutum, Similem enim illum Petro et Paulo dicere ausim; namque sicut illi magnis conatibus, magnaque virtute plagas Occidentales ab idololatria revocaverunt ad viam quæ ad cognitionem Dei perducit; ita et beatus Gregorius Orientales partes prædicatione illustravit. Docuit enim illas colendum esse Patrem, Filium et Spiritum sanctum : Verbum a Patre individuum assumpsisse corpus ex Virgine : perfectum Deum factum esse hominem perfectum, atque per nativitatem doloris expertem, incorruptibile corpus assumpsisse.

Verbum Dei, inquiebat, quod est eloquio majus, corpore cum crevisset, conversatum est inter homines : et circumcisionem, quam subierat, per baptismum abrogavit. Traditus est pro nobis ille, qui a sinu Patris indivisibilis erat. Elatum est super cruce Verbum et mortuum est quidem quantum ad humanam naturam, sed immortale stetit et mansit quantum ad divinitatem quæ in illo erat. Quia autem ex duplici natura unus efficitur Christus, ideo mortem perpessus est corpore quod erat divinitati conjunctum. Caro quæ tormenta sustinuit, Deus erat, et immortalis erat divinitas quæ corpus induerat. Divinitas carnem Deum effecit, atque ita æquabiliter et plane cum Verbo unita fuit, ut illud quod pro nobis mortuum et sepultum est, idem per divinitatem resurrexerit et destruxerit inferos. Illud cognoscite, illud adorate, quia illud, (cum Verbo conjunctum,) est omnium Deus.

Ea autem est doctrina qua superbam illam et superciliosam gentem erudiebat.

IV. Talenta sibi credita hic multiplicia reddidit, non quidem duo pro unico, aut quatuor pro duobus, aut decem pro quinque referens; sed talentorum myriadas lucratus est et idcirco a Domino verba hæc audiit. « Euge » serve bone et fidelis, quia in pauca hucusque fuisti fide» lis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini » tui[1]. »

Beatum hunc Apostoli nomine insignio. Is namque, cæterorum instar Apostolorum, prædicavit Deum verum, idola et idolorum templa destruxit, Deum cœli adorare docuit, et superstitiosam erga creaturas abrogando religionem, cultum conditoris creaturarum instituit.

Is ardenti cum zelo libros Scripturarum divinitus inspiratarum edocuit: homilias conscripsit sapientia plenas, populosque quamplurimos erudivit.

V. Novi Danielis nomen apud me Gregorius obtinet. Sicut enim Propheta sanctus a Rege Babyloniorum pœnas exegit, illumque velut bovem et sub forma bovis pastum abegit in deserta; ita et rebellem veritati Tiridatem aprugna forma indutum Gregorii preces humanæ formæ restituerunt. Fidem equidem habuit spe nixam, et integram ut granum sinapis, in quo non potest corrupto vermis oriri, neque grani virtutem imminuere; verum fidem ita firmam habuit, ut id perficiendum confideret, quodcumque postularet a Deo; atque si diceret monti, transfer te illuc, procul dubio transferendum fore pro certo teneret. Absit ergo ut non crediderit hominem aprugna forma indutum priori formæ posse restitui.

VI. Ast ego virum hunc admirandum valde suspicio sponteque feror in ejus encomium: verum timeo ne tanti

[1] Matth. XXV, 21-23.

viri laudibus impar sit oratio mea; non ideo tamen a proposito recedere mens est : confido enim tenuitatem virium mearum animi promptitudine fore superandam. Ea igitur, quæ valeo depromere ex iis in quibus manifestata est dextera Dei proferam.

O novum portentum! sol in aëreo cœlo a Deo conclusus, ab alto in terras emittit radios; verum hic Sanctus ex profunda, in qua detentus erat, fovea, radios suos in excelsa cœlorum dirigit. Eum intuentes Angeli et Archangeli felicem pronuntiabant, eique in fossa jacenti famulabantur. Corpus ejus videbant in lacu, dum in cœlis fulgebat ejus sanctitas : corporeus in cœlo, Angelus in terra : corpus habens, sine corpore esse videbatur : cœlestis homo, terrestris Angelus : e cœlo columna ignis caput ejus in terra pertigit : Illuminator Armeniæ : Fundamentum stabile Græcorum, (Armeniæ minoris.) Apostolus Christi, viamque præmonstrans hominibus.

Felicem te dico primam, O Cæsarea Cappadocum; a te enim impositionem manuum accepit multorum Pastor populorum. Tunc autem eodem virtutum splendore fulgebant consecratus et consecrator.

VII. Hi (*Scil.* Capadoces) validis jam fundati erant radicibus; et ille ipse solus radicem sumpsit, unde alii, qui radicis expertes erant, suam acciperent. Ibi multæ colligebantur fruges ab operariis, qui olim inculta excoluerant; ille vero solus ipse operarius, unica manu tenens aratri stivam, terras complures incultas verbo veritatis emolliebat. Unico vomere sulcos cum aperuisset innumeros, semen quintuplex et multos fructus retulit : atque pugillo semen divinum apprehendens, digitis infinita grana spargentibus, campos seminabat plurimos. Tunc in sulcis unico lacerto excisis, satæ unica manu fruges simul germinabant.

Illic videre erat autumnum et ver, messem et areæ tempus; et quando adventabat hyems, unicum spargebat semen, nempe Verbum Dei. At ecce diversas quæ inde oriebantur fruges advertens, maturas alias, alias maturitate pingues in aream, messis tempore, comportabat, triturabat, vanno mundabat, atque componebat in acervos, ut eas inde in horrea lucis deferret.

VIII. Quid quod hyems (*Scil.* Armenia) quæ acceperat et seminibus florum fidei, quibus per glaciem infidelitatis non licuerat progerminare, ipsum seminatorem projecit inter exitiosa veneno reptilia?

Homines, qui cum sancto illo sermonem et vultum communes habebant, mores induerant serpentum; at contra, dracones lethiferi armatique veneno, mitium hominum mores referunt, pedesque sancti eodem, quo mortem inferunt, ore lingentes, obsequium ei exhibent.

Quid tum? diu perseveravit tempus hyemis, et seminatorem, instar seminis quod rigente glacie satum est, periisse arbitrati sunt Armeni. Aperitur fovea. Quærebant corruptos totius hominis artus; at multarum vocum concentus audiunt. Tetrum ex draconibus et serpentibus odorem nares suas pervasurum reformidabant; at inde suavis odor, velut ex horto voluptatis, exhalatur. Ossa carie absumpta quærebant oculis; sed splendentem in ejus facie solem contemplantur; in fovea exanimem reputabant; ast eum, velut in augustissimo templo, deambulantem intuentur. Artus fame consumptos investigabant; sanum vero et cœlesti cibo saginatum advertunt. Comminutum dentibus draconum corpus indagabant, sed cicuratos ab ipso serpentes admirantur, contemptores contemptos sese vident ab eo, quem despexerant.

Pudore suffusi erubescebant, exclamabantque attoniti: Magnus est Deus quem prædicat magnus Gregorius. Infir-

mata sunt arma nostra ab illo, quem a venenatis draconibus infirmatum arbitrabamur. Quinetiam, si defuissent dracones per solam famem, futurum erat ut absumeretur corpus, quod inde nullus mortalis eripere poterat. Verum mirabilis est Deus in Sanctis suis, inquiebant, ad mentem Davidis prophetæ; glorificatores enim suos glorificat. Admirabundi suum erubescebant facinus, atque dicebant : Is quem in foveam et tenebras projecimus, nobis, qui certe filii tenebrarum eramus, veluti sol, illuxit, nosque de tenebris educens, filios lucis effecit. Is a magno ovium pastore, qui veniam pro tortoribus deprecabatur, edoctus fuit : nos enim tortores ejus eramus dum projiceretur in foveam; at ille, fulgens Illuminator, vestimento lucis nos induit, pedesque nostros in viam pacis mirabiliter direxit. Nos ejus carnifices fuimus; hic vero providus pastor noster est. Hic Pater misericors, nos filii in Patrem rebelles, quin et parricidæ.

Hic divinis vallatus erat castris, ut vastantem lupum ab ovium septo funda propelleret; nos autem aberrantes secuti sumus lupum depopulatorem, quem vulneraverat, præcipitem egerat, et perdiderat in æternum. Hic Pastor optimus, nos grex rebellis et caulæ desestor. Hic medicus; nos ægrotantes properavimus eum, qui nobis medebatur, interficere quoad corpus, quasi impossibile sit immortalem eum esse quoad animam.

Hic præibat nobis, præcidebatque spinas in via quæ ducit ad cognitionem Dei; nos vero, cæci et incauti, cecidimus in foveam perditionis, et utroque orbati oculo pastorem nostrum percutientes in altum injecimus puteum, atque in cæcitate nostra perseverantes, nihil intelleximus.

Hic erat lucerna lucens; nos autem in tenebris sedentes non insistebamus ardenti vestigiorum ejus splendori. Hic

Dei servus erat; at illa, quæ Deos appellabamus, erant creaturæ servi hominum; ideoque hic servus Dei deos, quos colebamus, repulit.

Corda nostra excæcabantur, et non intelligebamus: comprehendimus enim eum et in profundam abyssum demisimus; atque eodem instanti vidimus terræ profunda in se continere solem, qui nobis affulgebat. Providi Doctoris nostri corpus prædam fore ferarum arbitrabamur; at vidimus illud a serpentibus et draconibus observatum, instar Adami recens creati, in quem, ante transgressionem primam, nullam et serpentes et basilisci nocendi potestatem habebant; nos vero, qui prævaricationem Adæ sectati sumus, a feris despicimur.

Nos potestatem in fidei nostræ principem draconibus contulimus: at debilitatam vidimus illorum virtutem qui, columbarum instar, placide gemebant: suisque linguis, quibus ob Adæ prævaricationem datum fuit calcaneo insidiari innocenti Christi discipulo adblandiebantur.

Quid ergo dicemus? aut quomodo patere audebunt pupillæ oculorum nostrorum, aspicere, et intueri misericordem Patrem nostrum, ut ab eo veniam deprecemur, qui innumera in eum convicia furentes congessimus? verumtamen quia in ejus corde nulla erat simultas; ideo confidamus, curramus ad ostium foveæ, ibique dicamus. Exi foras, serve Dei, et subjice tibi servos tuos, qui in te potestatem acceperamus ab eo quem conterebas in abyssis, dum profundam descendebas in foveam: et sicut a Magistro tuo edoctus es, similiter et fac cum discipulis tuis.

Ascende, Magister bone, in Armeniam, apud nos qui visi sumus secunda Babylon. Namque pro fornace, accendimus foveam, in quam, loco ignis ardentis, venenatos immisimus dracones, quorum virus extinguebant, in mo-

dum roris, virtutes tuæ : inter mortiferam serpentum et basiliscorum flammam incedebas : spirantes ignem dracones conculcabas pedibus, atque videbaris redivivus Ananias, Azarias et Mizaël, dum individuam colebas Trinitatem, cui non credebamus. Credimus nunc et laudamus cum rege Babyloniorum Nabuchodonosor; quandoquidem dîvinum in medio fornacis rorem advertimus.

Exi foras, serve Dei excelsi; per te enim credidimus et confitemur Patrem, Filium et Spiritum sanctum. Egredere ex fovea tua, et glorifica illum qui glorificantem se glorificavit, teque maximo affecit honore. Divinam tuam extolle vocem, et dic: Deum colite, quem ego libere prædicavi: ille est creator omnium, qui me a pestiferis draconibus servavit incolumem.

Egredere, nove Daniel, et Sadoc Regi Babylonis, id est, Armeniæ, ostende te qui projectus es in lacum, non inter duos leones quidem, sed, quod magis est, inter ferocissimas belluas. Omnis enim fera quamvis artus confringat, fieri tamen potest ut quis semel aliquando sanitati restituatur; at venenati et pestilentes dracones non confringunt corpus neque mutilant, sed instar aciculæ cujusdam, pungendo, mortem invisibilem afferunt. Tu vero incolumis evasisti, nedum ab illis interemptus fueris.

Verum hæc ea sunt omnia quæ forsan illis erat ad manum Sancto dicere.

Nos autem, suppliciorum ejus causam in medium afferentes, encomium prosequamur.

IX. Tiridates Rex ob parentis sui cædem furebat; et ideo acerbissimis tormentis et cruciatibus, verberibus et corporis inter asseres compressione, pectinibus ferreis et omni dirorum suppliciorum genere, quæ pariebat furor, Gregorium torquebat. Martyr autem sanctus, illa propter

amorem Jesu Christi Domini nostri sponte perferens, carnifices sic alloquebatur.

Suppliciis et cruciatibus torqueor a vobis, qui carnalia diligentes hac vita potimini, quæ somno similis, cras evanescet, atque vitæ immortalis spe præcidimini ; ast ego ad horam patior pro eo qui pro me perpessus est tormenta, ideoque patet immortalis vita necnon et paradisi suaves exhalantis odores voluptas: illuc ingrediar, et illius hæres fiam in æternum. Gaudio perfusus illa beneficium esse reputo supplicia, quæ in me congeritis, et esse mihi detrimento arbitramini. Quamvis enim inter asseres membra et ossa mea momentaneo dolore conteratis, exinde tamen sana spica evadam; atque velut palma firmis nixa radicibus, multos longe lateque surculos proferens, venusta foliis, floribus elegans, quibus marcessere nunquam continget, exaltabor coram factore meo atque vernans et densa in viridario horti, manu Dei consiti, læta fulgebo. Licet enim capite deorsum verso machinis crudeliter suspendar, et comminuar inter asseres, confido tamen futurum ut post exiguum doloris spatium, caput usque in cœlos coram factore meo efferam. Quin etiam objiciat feris et ursis velut totidem instramentis suppliciorum, quibus corpus meum consumatur; fiduciam habeo diadema aureum et ornatam coronam mihi ab illis connecti, quam aptabit capiti meo Rex cœlestis, cum super sponsæ thalamum sedere mihi dabit. Quid quod hic sanguis e corpore meo emanans tingit mihi purpuream et coccineam immortalitatis trabeam, quæ non marcesset in æternum? Hæc ea sunt omnia quæ Martyrem decuit respondere.

X. Quid postea? Nondum immanitate sua satiatus Tiridates, quantumvis vinctum et cruciatum Gregorium teneret; atque quasi cum iis, quæ ante acta erant, cohærentiam haberent illi cruciatus. Profecto, inquit, filius est

Anaci e genere Parthorum qui patrem meum Chosroem interemit: jubetque Tiridates Gregorium pedibus vinctum, vinctumque manibus et collo abduci in Provinciæ Araratensis arcem, ibique in profundam foveam detrudi.

O amens! inquiebat forsan sanctus Gregorius, si enim pater meus gladio aggressus est impium patrem tuum; ille non solum occisus est, et transitorium amisit illud, quod vitam esse reputabat; sed et anima ejus ingressa est quoque in cruciatus, inter quos non morietur. Tu vero, fili parentis impii, cum in ultionem patris tui pœnas a me exigebas, ideo non superabant me tormenta tua, quia corpus meum incolume servari necessarium erat; ast ego animam tuam simul et corpus tuum invisibili cruciabam supplicio, ut Deum meum contritus tandem adores. In conspectu tuo cruciari me jubes; at tu ipse vel præsente me vel absente cruciaris et non intelligis Regem meum a te illo modo pœnas exigere, atque ab eo in æternum tibi præparari tortorem illum quem tu tibi amicum esse existimas.

Hæc et plura alia beato ad manum erant quæ Regi dicere potuit.

XI. Hinc autem ad putei foveam properandum nobis est, ut quænam ibi fiant prodigia videamus?

Projiciunt eum in foveam, quæ latibulum erat serpentum. At quid dicebat puteus?

Benedictus est adventus tuus, o pater admirande! illi enim præparaverunt me in foveam tormentorum profundissimam, et abysso tenebrosæ similem; at ecce creator tuus facit ut hortus floribus consitus tibi fiam. Domicilium eram tenebrarum; at ecce tibi factus sum templum luminis. Nomine vocor abyssus profunda; verum a te sublimis elata pertingo ad aëreum usque cœlum, atque in me contineo devolutum e cœlis lucidum solem, qui mundum

Armenium illuminat. Corpora multorum in me projecta odore sordium teterrimo conficiebantur, eorumque carnes et ossa lenta fame comminuebam : abominandum et intolerabilem emittebam odorem, atque nares eorum molestabam. At per te nunc videor hortus floribus ornatus, et amœna roseta flores emittentia qui diversimode suaveolentem exhalant odorem.

XII. Jam vero quid de exitiosis veneno draconibus, qui ibi degebant, dicam? Sanctum Gregorium in foveam injectum statim ut viderunt; consuetam primam suam indolem in se requirere, ad Seraphinos attendere qui eum alis suis, ne periculum ei fieret, portabant, terrore percelli, admirari et dicere.

Nos progenies sumus serpentis illius, qui Evam per comestum fructum decepit eamque exulem et præcipitem egit ex paradiso voluptatis; tu vero semen Adami et nepos Evæ, qui maledictionem illam susceperunt qua spinas et tribulos terra produceret, insidiari capiti nostro jussus es, et nos calcaneo tuo. Igitur, secundum idem mandatum, insiliebamus ut nostrum in te odium a natura inditum expleremus; sed ubi circa corpus tuum incorporeos exercitus advertimus, teque inter Angelicos choros vidimus constitutum; tunc fractus est impetus noster: quin et obtusi sunt aculei nostri: atque, velut si liquescat cera a facie ignis, ita divino vultu tuo dentes nostri cum veneno suo liquefacti sunt. Virus nostrum, quod inflammatos in corpore extraneorum pariebat tumores, fonte precum tuarum, a Deo fluentium, extinctum est, et instar aquæ frigidæ obtorpuit; atque nedum a facie tua fugiamus, venimus in ministerium ejus, qui ferocitatem cicuravit indolis nostræ, cujus obliti sumus; et absque timore coruscantis, instar flammæ, vultus tui, columbis similes atque in silentio in domo tua sedebimus.

XIII. Quin etiam ego demiror ibi per quatuor et decem annos degisse Gregorium. Sed ad ea festinemus quæ post exactos tot annos evenerunt.

Venationis ferarum horam cum Rex (Tiridates) condixisset, jamque egressurus ex urbe conscendisset currum : immissum desuper iræ divinæ flagellum in eum irruit. Ab ipso dæmone correptus e curru præceps agitur, atque furens lacerare corpus incipit. Ille, velut alter Babyloniorum Rex Nabuchodonosor, naturæ oblitus humanæ, similis apro, inter apros versabatur, et exinde gramine pascebatur. En quæ tunc loci fiebant prodigia.

Verum quid Regi dici debuit! O Rex, servum Dei, satanæ vestigiis insistens, subsannabas ; idcirco et ille cui serviebas te, jussu Dei veri quem colit magnus Gregorius, torquet et excruciat. Tibi viluit corpus beati, quem post supplicia in carcerem et foveam profundam injecisti ; ideoque corpus tuum in apri corpus commutatum cernis. Quoniam adeo impie insaniisti, ut vero Deo contra ires, dum fidelem ejus servum cruciabas ; jam tibi licet per pessimam tuam plagam ut tibi consulas, atque ut per eam, quam indutus es apri formam, satanam qui te conculcavit pedibus obteras, postquam cum Adami pelle setosum tuum tegmen commutaveris. Quia expedita lingua sanctum istum virum contumeliis affecisti ; idcirco belluina dic lingua tua, peccavi coram Domino. Quia tu in sanctum Martyrem caput superbum extollebas ; ideo aprugnum turpe tuum caput dimitte, quod in fœtenti luto volutari gaudet. Quia ex arbitrio cruciatibus omnimodis illum torquebas, jubebasque Domini tui tuique Doctoris manus et pedes et cervicem vinciri ; idcirco transformatus in anteriores apri pedes manus tuas compone, ut juxta pedes Martyris illius procumbas. Non te lateat, qui rationis usum amisisti, quintum et decimum annum jam adesse

quo vita potitur sepultus ille, quem, dum rationis particeps eras, mortuum, cujus ossa sola superessent, arbitrabaris.

At quia, dum sub humana videbaris forma, illum in mortiferam foveam impellens dejecisti ; ideo sub aprugna forma irrue ad os putei : clama ad eum, quem corruptum reputabas, medicum tuum, ut ipse pristinum tibi corpus restituat. Et quoniam curribus insidens involutum ipso Deo Gregorium aspernabaris ; vade itaque, curre, et in modum apri quadrupes exili ad ostium foveæ, atque ibi clama : Egredere, serve Dei Altissimi.

XIV. Ea autem sunt quæ oportuit vel decuit tunc temporis dicere : at illa, quæ profecto deinceps contigerunt, accipite.

Visione cœlesti recreata Regis soror (9) has aut similes voces auribus excepit. Frustra nihil non tentatis Medici homines, vestræ non est artis immedicabili morbo remedium quærere. Solus præstabit opem Gregorius magnus, qui medicus a Deo vobis missus est, et cui vos mortis calicem propinastis : sum etenim ego Deus servi mei Gregorii, quem vos morti addixistis ob Deorum vestrorum multitudinem. Illum suscitabo vobis medicum qui sanet vos ; et ejus ope fugient a vobis, quæ meremini, flagella.

At ecce visionem, quæ sibi contigerat, admirata femina nomine Khosrovidoukhit, quamprimum narravit.

Aspexi, inquiebat, fulgentem lumine virum, qui in visione mihi apparuit et hæc dixit. Nullum aliud calamitatibus, quæ vobis acciderunt, remedium est, quam ut Artaxatam petatis, atque ibi ex puteo profundo vinctum educatis Gregorium ; ipse veniens opem vobis conferet salutarem.

At homines, ut eam audierunt, cachinnari, illamque ludibrio habere. Quid ais? inquiebant, te profecto dæ-

monium agitavit; et idcirco insana facta es. Quomodo enim fieri potest illum loqui, vel remedia sanitatis indicare jus vel ossa putrefacta sunt? Numquid valuit putei abyssis emergere, qui nedum serpentum vitaverit aculeos, conspectum illorum effugere nequivit; eadem enim ipsa hora, qua in puteum projectus fuit, illico exterminatus est; quin et post exactos quindecim annos, non putrefact asolum, sed in cineres redacta esse illius ossa persuasum nobis est. Abi, nemini dictum velis, ne risum sermones tui moveant.

Quid tum? verbis illorum credidit, abiit domum, siluitque. Quin et jamdudum neglexerat vidua panem subministrare quem jussa erat, quotidie injiciebat in foveam.

XV. Vix aliquot elapsi erant dies, cum non modo semel et iterum, sed quinquies apparuit ei visio, Angelusque magna et minaci voce. Nisi quamprimum, inquit, nuntiaveris. . . . noli timere ne te cachinnis excipiant, neve impossibile reputent, illum per quindecim annos vivum remansisse; Angelus enim Dei missus est qui ei famularetur. Ego panem accipiebam quem sicut Eliæ sic et Gregorio porrigebam: illi quidem in deserto, huic autem in abyssis terræ, qui loco solis lucidi virtutem in se habebat. Priora quæ tibi nuntiaveram in dubium revocasti propter hominum incredulitatem; at nunc verbis meis fidem habe: nihil enim impossibile est apud Deum. Numquid non edocta es quomodo de lacu, et e medio leonum fame furentium liberatus fuerit Daniel? aut quomodo tres pueri incolumes remanserint in ardenti flamma, cujus altitudo quadraginta novem sanctorum jejuniorum dies adumbrabat?

An te latet quomodo arida ossa per divina observantem

mandata Ezechielem, jubente Deo, a quatuor ventorum partibus in campo mota fuerint, et accesserint unum ad alterum, non fortuito quidem, sed unumquodque ad juncturam suam? desuper ea nervi et pellis adducti sunt! insufflatus est in istos interfectos spiritus vitæ: steterunt super pedes suos exercitus grandis valde[1]. Ille quidem est etiamnum Deus, quem Gregorius prædicat, quique potens est illum in puteo servare; tu vero sermonibus meis fidem habe, eosque populo annuntia.

XVI. Admiratione simul et terrore perculsa femina cum festinatione intrans narrat ad Satrapas, qui domus Regiæ præfectum accersunt, mittuntque confestim Artaxatam. Ito, inquiunt, et deprecare illum ipsum Dei virum, quem ne hominem quidem reputavimus. Proficiscere, roga medicum, cujus verbis non auscultavimus. Perge, voca eum qui nos de ventre inferi vocaturus est. Propera, supplexque postula ab eo, quem contumeliose tractavimus, ut persecutoribus ignoscat.

Hæc omnia vel etiam his potiora forsitan in promptu habuerunt quæ dicerent.

Proficiscitur Regiæ domus Præfectus, urbemque cum advenisset, causam itineris ab eo sciscitantur cives: qua cognita admirabundi et stupefacti intra se cogitabant. Quonam pacto fieri potest, inquiebant, ut vivum quærat cujus ossa quindecim abhinc annis putredine consumpta sunt? Quomodo quæris incolume corpus, quod in visceribus draconum consumptum computruit et in pulverem conversum est? Quo pacto in medicamen quærunt corpus in terram redactum, quod sibi ipsi salutem præstare non potuit?

XVII. Quid plura? densos, longos validosque funes aptant et in puteum demittunt. Voce magna exclamat

[1] Ezech. XXXVII.

domus Regiæ profectus: Egredere, serve Dei, et libera nos de manibus Deorum quos colimus. Egredere, fili lucis, et ab umbris tenebrarum erue nos. Ex profundis abyssis egredere, sol, majusque nobis præbe lumen quam sol qui super aëra volvitur: ille enim corporeis oculis lucem præbet; tu vero animarum nostrarum oculos luce perfundis, et deducis in terram rectam, quæ est lumen indeficiens et inaccessibile. Hæc eloquebatur Satrapa.

At simul ut motu funium funibus insedisse sanctum intellexerunt, educunt eum foras. Tunc nubibus coopertus sol ille apparuit, quandoquidem corpus ejus, velut atra fuligo, nigrum erat; atque inde intellexerunt illud esse corpus, quod tormenta pertulerat, et quo velut sine corpore, patiebatur et fulgebat. Vestibus deinde ipsi oblatis illum induunt.

Tum obtupescens admirabatur eum populus, quem oportuit et decuit cum sapiente acclamare, « Tunc stabit » justus cum multa fiducia ex adverso eorum, qui se afflixe- » rant et qui aspernabantur labores illius. Videntes eum » turbabuntur, et super admirandam ejus salutem valde » terrebuntur[1]. » Quid profuit nobis superbia? aut quid jactantia contulit? Hæc erant ad manum quæ dici poterant.

At nos encomii stylo ea, quæ deinceps evenerunt, prosequamur.

XVIII. Egredienti ex puteo Rex et omnes, qui cum eo in furorem acti erant, obviam ierunt nudi et deformes, et procul ab urbe stantes expectabant. At cum venientem a longe prospexissent, carnes suas furibundi devorare, clamare et dicere cœperunt. Veni, Angele in corpore degens, et ope luminis tui amicos tenebrarum, qui nos infestant, expelle. Veni, profligator eorum, qui nobis domi

[1] Sap. v, 1, 2.

nantur, quique superba exacerbabant pectora nostra, ut eum, qui eos torquebat, torqueremus. Veni, qui corpore visibilis es, ut invisibiles mentium nostrarum tenebras propellas. Veni, qui veste indutus es coriacea et materiali, ut immateriales et incorporeos hostes nostros, qui nos insequuntur, insequaris. Veni sol, et fervido tuo calore exundantem impietatis nostræ torrentem exsicca. Divinæ ignem doctrinæ tuæ nobis admoveas, qui nos, stagno gelu concreto immersos, calori restituat. Veni, flumen divinum, sterilesque campos nostros irriga, ut virens reflorescat semen exsiccatum, quod a te in nos decidit. Segetes, quas feceris ut turgescant, falce divina demete: bobus, qui sunt filii tui, vel flagellum quod est lingua tua, tritura : illasque eadem lingua tua ventila : brachio tuo divino in acervum compone, quas etiam in horrea divina comportes. Veni, qui e cœlo effusus es, candentibusque doctrinæ tuæ prunis spinas carduorum concrema, quæ laborum tuorum semen suffocaverunt. Egredere, minister Dei, ex puteo profundo, qui lumen doctrinæ tuæ ex abyssis sursum sparsisti. Egredere, et in stygiam glaciem austrum lene spirantem excita. Jam in te situm est divino terram exercere aratro, quam colere antea non sinebamus, cum præsertim lucidum solem in tenebras, velut in carcerem, immisericorditer detruserimus.

XIX. Jam vero beati laudes, pro ipsius meritis, encomio prosequi penes me non est, licet id mihi maxime sit in votis. Dicam igitur quam brevissime ea quæ postea profecto consecutus est.

Fidelem servum suum sic allocutus est creator. Euge serve bone et fidelis : ne quid sollicitus sis de tua seminis in terras projectione. Tu plantasti, Paule alter; ego autem incrementum do. Veni, intra in gaudium Domini tui. Ne timeas, Moses alter, quod tibi nonnisi recens crediderint

populi : tu enim me magis quam corpus tuum dilexisti. Veni, requiescere a laboribus tuis, nove Daniel.

Nuptialem ingredere thalamum, quem tibi antea pollicitus eram. Veni, sedem accipe inter Apostolos, Apostole alter, qui verbum veritatis genti superbæ annuntiasti. Inter Angelorum agmina colloceris, qui vitam illorum in terris æmulatus es. Veni, et cum Patriarchis princeps esto. Planteris ut Palma sancta in domo Domini, et in atriis Dei floreas. Veni, coronaberis cum Martyribus, lætaberisque cum iis qui pro me tormenta passi sunt, veni in aulam nuptiarum mearum. Veni, gaudio, inter cœnobitarum choros, exultabis qui non modo dilexisti montes et deserta, sed cruci etiam jugiter confixus fuisti mecum ; idcirco Angelorum meorum ad te mittam agmina, teque ad me recipiam. Et quia portasti jugiter crucem tuam et venisti post me, ego introducam te in Paradisum, in quem latro per crucem suam introivit.

XX. Beatus es tu, inter Ecclesiæ Patriarchas, Pater sancte. Olim Angelus in corpore, nunc incorporeus inter incorporeos versaris. Beatus, optime præsul, qui oves Regis tui perditas, et quæ sine ovili erant, repetiisti, adduxisti, et in atria ejus collegisti.

Beatus es tu, qui luporum destruxisti secessus, et belluas disperdidisti mactatrices, qui, illius ipsius virtute lapidis e monte præcisi sine manibus, vallasti muro gregis tui ovile, illudque divinorum sepe mandatorum cinxisti, quique effecisti ut Regis tui oves multiplicarentur.

Beatus es tu, qui Apostoli nomine vocaris ; Filii enim Dei Evangelium prædicasti : Incarnationis mysterio gentem alienam (a Christo) erudiisti, quæ, te docente, Patris, Filii et Spiritus sancti Trinitatem individuam et unam divinitatem adoravit.

Beatus es tu, fidelis Christi Martyr, qui de eo testimo-

nium velut Petrus reddidisti, affirmans eum Filium esse Dei vivi, individuum a sinu Patris. Beatus es tu, qui in te tormenta suscepisti pro eo qui pro te supplicia perpessus est. Beatus tu denique, qui per annos quinque et decem in puteo patienter degisti. Spiritum sanctum laudibus etiam extollo quem cum Patre et Filio ejusdem essentiæ esse prædicabas, cui honor et fortitudo in sæcula sæculorum. Amen.

LAUS

Diodori episcopi qui prior concionatus laudarat (Joannem Chrysostomum).

I. Sapiens ille ac generosus doctor, nuper deposita infirmitate corporis, cum ad sedem hanc ascendisset, a me sermonis fecit exordium; Joannem Baptistam et vocem Ecclesiæ, et virgam Mosis, et alia cum his multa me appellans. Ille tunc laudavit; vos exclamastis : ego procul sedens amare ingemui. Ipse namque laudabat amorem erga liberos exhibens; vos exclamabatis fraternum amorem ostendentes; ego ingemiscebam, quod laudum mole obruerer. Laudum enim magnitudo, non minus quam peccata, mordere solet conscientiam, et cum quis sibi nullius boni conscius, alios audit multa magnaque bona de se prædicantes, et præsentem opinionem, et futurum diem reputat in quo omnia nuda et aperta erunt : quodque is qui tunc judicabit, non ex vulgi opinione, sed ex ipsa rerum veritate judicabit. « Non enim secundum opinionem judicabit, » inquit, neque secundum rumorem arguet[1]. » Hæc omnia

[1] Isaï. x, 3.

cogitans crucior laudibus et bona opinione vulgi; magnum perspiciens illam inter et futurum judicium discrimen. Nunc enim existimatione vulgi ceu quibusdam larvis tegimur : in illo autem die, nudo capite, positisque larvis ante tribunal stantes, nihil ab hac existimatione ad illam sententiam juvari poterimus ; sed ob id ipsum gravius puniemur, quod et laudibus multis plurimisque præconiis ab hominibus celebrati, non ideo tamen meliores effecti simus.

II. Hæc igitur omnia mecum reputans, amare gemebam. Ideo celeriter hodieque præsto sum, ut a vobis auditoribus hujusmodi opinionem excutiam. Etenim corona cum ejus qui coronatur capite major est, non astringit tempora, non insidet capiti ; sed nimia sui magnitudine laxior per oculos descendens, collum torquis more ambit, et caput relinquit coronæ expers. Quod et nobis quoque accidit, dum corona laudum illa majori, quam nostrum sit, capite digna visa est. Attamen cum hæc ita se habeant, ex amoris abundantia pater non destitit ante, quam eam nobis quomodocumque imponeret. Ita et reges sæpe faciunt, et diadema sibi aptum filiorum capitibus imponunt, deinde ubi viderint corona minus esse puerile caput ; cum satis habeant illud quomodocumque ipsis imposuisse, receptum deinceps sibimetipsis imponunt.

III. Quandoquidem igitur pater coronam sibi convenientem nobis imposuit, et ea major capite nostro visa est, sibi autem illam nunquam impositurus est : age ademptam nobis eam, patris nostri capiti, cui apprime competit, imponamus. Nam Joannis quidem nomen ad nos, animus ad ipsum pertinet : nos ejus appellationem habemus, ipse ejus philosophiam nactus est ; quapropter ejus appellationis dignior quam nos hæres ille fuerit, cognominem quippe non nominum, sed actuum consortium facere

solet, etiamsi nomina differant. Non enim ut externi philosophi, ita et scriptura de his solet philosophari. Illi enim nisi cum substantia etiam nomina ipsa communia sint, cognomines esse non dicunt. At scriptura non sic; sed ubi viderit multam in vitæ instituto cognationem, et si alia sunt imposita nomina iis qui moribus inter se congruunt, eodem ipsos nomine appellat. Ejusque rei non longe demonstratio petenda; sed illum ipsum Joannem Zachariæ filium adducimus in medium: cum enim discipuli interrogassent an rursus Elias venturus esset, respondit, « Vultis eum recipere? iste est Elias qui venturus est[1]. » Atqui Joannes vocabatur: sed quia Eliæ mores habebat, idcirco nomen etiam ipsi imposuit: quia Eliæ spiritum habebat, ideo et nomen obtinuit. Nam deserta loca uterque habitavit, et ille ovina pelle, hic pilosa veste indutus fuit. Mensa ipsis perinde vilis ac tenuis erat: et hic quidem prioris adventus minister fuit; ille autem erit denuo futuri. Quando igitur et victus ratio, et vestium amictus, et locorum sedes, et ministerium unum, et omnia apud ambos paria erant; ideo nomen unum utrique indidit: ostendens etiam eum, qui aliud nomen habeat, posse illi cognominem esse, cujus mores æmulatus sit.

IV. Cum igitur in divina scriptura ea sit certissima regula, et accurata cognominum definitio: age ostendamus quo pacto sapiens pater hic noster Joannis mores æmulatus sit, ut discatis eum longe digniorem esse qui nomine illius appelletur. Non erat illi mensa, non lectus, non domus in terris; sed nec huic unquam fuit. Et hujus rei testes vos estis, quomodo in apostolica ducenda vita omni tempore perseveraverit, nihil proprium habens, sed ab aliis alimenta accipiens, ipse in oratione et in doctrina verbi perseverans. Prædicavit ille trans flumen, degens in

[1] Matth. xi. 14.

solitudine : hic cum ultra flumen civitatem omnem aliquando accepisset, sana illam doctrina erudivit. Habitavit ille in carcere, et capite truncatus est propter libertatem loquendi pro lege : sed et iste sæpe patria excidit, ob liberam fidei prædicationem : sæpe autem capite truncatus est ob eam ipsam causam; si re minus, at proposito tamen. Non ferentes enim veritatis hostes linguæ ejus eloquentiam, innumeras undique struebant insidias, et ex omnibus eripuit eum Dominus. Age igitur, hanc linguam audiamus, ob quam periclitatus et servatus est. De qua non peccet qui id dixerit, quod de terra promissionis dixit Moses. Quid autem de illa dixit? « Terram fluentem lacte et melle[1]. » Hoc itaque de hujus lingua dicendum : Lingua fluens lacte et melle. Ut igitur et lacte fruamur, et melle satiemur, hic finita oratione nostra, lyram et tubam audiamus. Cum enim verborum suavitatem considero, lyram ejus vocem appello : ubi autem vim cogitationum, bellicam quamdam tubam voco, qualem habebant Judæi, cum Jerichuntis muros dejecerunt. Quemadmodum enim tunc tubarum sonus igne vehementius in lapides incidens, omnia consumebat et labefactabat; sic et ejus vox nunc, non minus quam tuba illa, in hæreticorum munitiones incidens, ratiocinia destruit et omnem altitudinem quæ se extollit adversus scientiam Dei[2]. Verum ut ne per linguam nostram, sed per ipsius hæc ediscatis, hic finem orandi faciamus, gloriam referentes Deo qui tales doctores præbuit : quia ipsi gloria in sæcula sæculorum. Amen.

[1] Exod. III, 8. — [2] 2 Cor. x, 5.

FRAGMENTUM

S. Joannis Chysostomi, ubi de eodem Diodoro ex Facundo Hermianensi qui ait lib. 4. c. 2. Rursus in alio Sermone de ipso suo magistro Diodoro dixit:

Non superflue, sicut apparet, sermones prolixos expendimus. Sedenim in Martyrum celebratione commonemur etiam vivi martyris, vicini martyrio fluminis spiritualis. Vivus est enim iste martyr, et martyr, siquidem mortuus est sæpius proposito. Videte ejus membra mortificata, videte figuram circumferentem quæ sunt hominis, et sensum habentem Angelicum. « Et post aliquanta. » Sed revertamur ad Martyrem istum iterum, propter quem et ista diximus. Quomodo itaque mortuus est mortificans membra sua, et conculcans naturæ cupiditates in humano corpore, et Angelicam nobis demonstrans vitam? Si autem vultis videre, quia et reipsa mortuus est, recordamini illius temporis, quando bellum asperum adversus Ecclesiam exsurrexerat, et exercitus movebantur, et arma præparabantur, quando trans fluvium omnes congregabantur. Tunc ipse exiens, et velut turris ante posita, vel scopulus quidam altus et magnus ante alios stans, et contrariorum suscipiens fluctus et resolvens, in tranquillitate cæterum corpus Ecclesiæ custodivit, repercutiens tempestatem, et præstans nobis quietum portum. Amen.

FINIS TOMI NONAGESIMI SECUNDI.

ANNOTATIONES.

ANNOTATIO (1) pag. 40.

Is cujus hic dictum commemorat Chrysostomus, quemque Apostolorum tempore martyrio affectum dicit, est, ut existimat Baronius, Ignatius Martyr, in cujus Epistola ad Smyrnæos se huic similem sententiam reperire putat; secus arbitratur Tillemontius, dicitque locum Epistolæ ad Smyrnæos cum hoc Chrysostomi loco vix quidpiam affinitatis habere. En Baronii verba ad annum 382, ubi postquam hunc Chrysostomi locum protulerat, sic prosequitur : *At quisnam hic qui scriptorum monumenta reliquerit, alius quam Ignatius? Est sane locus in Epistola ad Smyrnenses, ubi hæc leguntur verba :* Si enim jure censetur pœna dignus qui adversus Regem insurgit, ut qui violet bonas legum constitutiones : quanto, putatis, graviori subjacebit supplicio, qui sine Episcopo quid volet agere, concordiam rumpens, et decentem ordinem confundens, etc. *Reddidit ipse sententiam et non verba Chrysostomus, atque ad propositum illud suum inflexit.* Hactenus Baronius. Hæc cum, quod ad sententiam spectat, iis quæ Chrysostomus refert sat similia sint, facile crediderim eum memoriter loquentem ad hunc Ignatii locum respexisse, verbaque uti sese offerebant ex tempore protulisse, longe absimilia verbis Ignatii, sed quod ad sententiam pene eadem. Quem enim alium Martyrem ex Apostolorum successione, Antiochiæ loquens, protulerit, quam Ignatium?

ANNOTATIO (2) pag. 79.

Similia habentur supra in Catechesi ad illuminandos circa medium.

ANNOTATIO (3) pag. 109.

Quæ sequuntur, adjectitia sunt et Chrysostomi esse non videntur : et usque adeo intricata sunt ut nonnisi divinando possint latine reddi.

ANNOTATIO (4) pag. 110.

Hic sibi prorsus contradicere videtur hic, quisquis sit Scriptor.

ANNOTATIO (5) pag. 211.

Hæc habentur in aliqua Homiliarum de Pœnitentia quæ olim tertia numerabatur, nunc autem est octava, et in quinta de Lazaro.

ANNOTATIO (6) pag. 331.

Zoroaster magicæ artis inventor, qui risit eo ipso die, quo natus est. Vide Plinium l. 30 c. 1. Euseb. de Præparat. Evang. et Suidam. Zamolxis Pythagoræ discipulus, qui pro Saturno a Thracibus habitus est.

ANNOTATIO (7) pag. 360.

Menagyrtæ erant, qui singulis mensibus Matri magnæ stipem cogebant. De quibus plura in Collectione antiquitatum.

ANNOTATIO (8) pag. 571.

Rem prorsus novam hic proferimus, quæ ingentem hanc operum Chrysostomi seriem apte claudere possit : Encomium nempe sancti Gregorii Armeniæ Illuminatoris, quod in Manuscriptis Armenis Bibliothecæ Regiæ habetur, et a D. Abbate de Villefroy, linguarum Orientalium peritia insigni, ex Armena in Latinam linguam translatum, mihique oblatum fuit.

Habita autem fertur hæc concio Kokisi, quæ erat urbs Armeniæ Minoris, quæque in Editis et in Manuscriptis Operum sancti Joannis Chrysostomi Κουκουσὸς, *Cucusus* appellatur. In Vaticano tamen codice Κοκκουσὸς, semper legitur; in Itinerario item Antonini frequentissime *Cocusus* scribitur. Cocusi igitur, sive Cucusi exul Chrysostomus, ab Episcopo, et a Dioscoro quodam aliisque Armenis, cum tanta benignitate exceptus fuit, ut hoc beneficio, inquit ille, totum exilii mœrorem abstergi posse videretur; quin et Episcopus Cucusi, episcopalem ipsi sedem suam concedere voluit, neque neganti facile obtemperavit. Postquam vero Isaurorum incursione pulsus, Arabyssum Armeniæ Minoris urbem transfugere coactus est, ab Otreo istius urbis Episcopo cum tanta exceptus fuit humanitate, ut inter amicissimos illum deinceps numerarit. Hinc magna illi semper fuit cum Armenis societas, amicitia atque familiaritas.

Rogatu autem Dioscori cujusdam Episcopi, qui consanguineus erat sancti Gregorii Illuminatoris, ut fertur in titulo, hoc Encomium edidit, imo etiam ad populum habuit in die festo ejusdem sancti. Hactenus omnia quadrant. Verum quæstio jam movebitur, an vere sit Chrysostomi, necne. Exordium certe nihil habet a Chrysostomo alie-

num : verum in progressu tot tantaque occurrunt a Chrysostomi more atque stylo dissonantia, ut tanto Doctori nemo ascribere ausit; puteum nempe et fossam loquentem, serpentes et dracones orantes, Tiridatem Regem in aprum conversum, et portenta similia : quæ tamen ipsa in vita sancti Gregorii Illuminatoris leguntur, cujus vitæ Manuscriptos duos codices vidi, alterum Bibliothecæ Regiæ, alterum Coislinianæ. Posset fortasse dici Chrysostomum concionem in laudem sancti Gregorii Illuminatoris habuisse; sed illam ab Armenis ita immutatam fuisse, ut jam Chrysostomi stylus ibi fere nusquam compareat.

Ut res est, non ingratum Lectori fore puto quod hoc opusculum protulerim, tum quia in concionis decursu quædam de Armenia, paucis nota, memorantur; tum quod non pauca satis eloquenter dicta hinc inde occurrant.

ANNOTATIO (9) pag. 584.

Adveniente in Armeniam sancta Riphsime, Christianam fidem amplexa fuerat soror Tiridatis, nomine Khosrovidoukhit et virginitatem servabat.

CONCORDANTIA

BIBLIOTHECÆ LATINÆ CUM GALLICA.

BIBLIOTHECA LATINA.	BIBLIOTHECA GALLICA.
Homilia De Eleemosyna, p. 3.	Ejusdem fragmenta, tom. XIX, p. 8-25.
Homilia, Peccata fratrum non evulganda, p. 20.	Ejusdem fragmenta, tom. XIV, p. 539-540.
Homilia de non anathematizandis vivis et defunctis, p. 36.	Ejusdem fragmenta, tom. XIII, p. 245-257.
Homilia in Eutropium, p. 55.	Ejusdem fragmenta, tom. XVI, p. 1-29.
Homilia de capto Eutropio, p. 63.	Ejusdem fragmenta, tom. XIII, p. 152-163.
Homilia, Cum Saturninus et Aurelianus, etc., p. 92.	Ejusdem fragmenta, tom. XV, p. 331-337.
Homilia antequam iret in exilium, p. 105.	Ejusdem fragmenta, tom. XIII, p. 163-171.
Homilia de Sanctis Macchabæis, p. 181.	Ejusdem fragmenta, tom. XVI, p. 456-460.
Homilia I de Laudibus S. Pauli, p. 208.	Ejusdem fragmenta, tom. XVI, p. 492-497.
Homilia II, p. 217.	Ejusdem fragmenta, tom. XVI, p. 497-504.
Homilia III, p. 224.	Ejusdem fragmenta, tom. XVI, p. 504-510.
Homilia IV, p. 231.	Ejusdem fragmenta, tom. XVI, p. 510-521.
Homilia V, p. 246.	Ejusdem fragmenta, tom. XVI, p. 521-525.
Homilia VII, p. 267.	Ejusdem fragmenta, tom. XVI, p. 525-527.

Homilia in S. Babylam, p. 319.	Ejusdem fragmenta, tom. XVI, p. 574-575.
Homilia encomiastica in S. Pelagiam martyrem, p. 404.	Ejusdem fragmenta, tom. XVI, p. 575-582.
Homilia in S. Martyrem Ignatium, p. 407.	Ejüsdem fragmenta, tom. XVI, p. 571-574.
Homilia de S. Basso martyre, p. 530.	Ejusdem fragmenta, tom. XV, p. 479-481.

INDEX

TOMI NONAGESIMI SECUNDI.

S. JOANNIS CHRYSOSTOMI

OPERUM PARS II

MISCELLANEA.

S. JOANNIS CHRYSOSTOMI

OPERUM PARS III

PANEGYRICI, ELOGIA, ET EPISTOLÆ.

EXPLICIT INDEX.